

www.e-rara.ch

**Xenophontis philosophi et historici clarissimi Opera, quae quidem
Graece extant, omnia**

Xenophon

Basileae, anno 1551

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-637>

Tomus secundus

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Xenophontis de

REPVBLICA ET LEGIBVS

LACEDAEMONIORVM LIBER,

Francisco Philelpho

interprete.



OGITANTI mihi aliquãdo Spartam, quæ omnium una urbium maxime infrequens esset, hominibus tamen et uiribus in Græcia & nomine claruisse: mirandum profecto uisum est, quoniam id pacto fieri potuerit. Sed cum Spartiatarum

studia didicissem, mirari iam destiti. Equidem Lycurgum qui leges his tulerat, quibus obtemperantes rem fauste feliciterque gessere, hunc mehercule et admiror, et ad summum usque sapientissimum duco. Ille namque haudquaquam reliquas ciuitates imitatus, quin potius harum plurimis contraria sentiens, patriam ut cæteris felicitate præstaret, effecit. Liberorum enim procreatione (ut ab initio rem aggrediar) alij quidem eas, quæ ad sobolem procreandam idoneæ et bene institutæ puellæ uideantur, tum cibo quam tenuissimo, tum obsonio quoad fieri potest quamminimo nutriunt. Vini autem aut omnino expertes, aut eo aquatissimo uti uolunt. Quemadmodum igitur ex artificibus multi uno in loco quieti sedent, sic & uirgines reliqui Græci per quietem lanificio insistere dignum putant. Ex his uero ita educatis, quid sperandum est magni nasci posse? At

Lycurgus uestes ab ancillis præberi, satis putauit esse.
Sed liberis quidem mulieribus cum procreationem libe-
rorum magnum quiddam esse censuisset, primū nihilo mi-
nus foeminā quā marem exerceri corpore instituit: dein
de cursus et uirium ueluti uiris, ita et foeminis certami-
na inuicē posuit. Existimabat enim ex acribus illis robu-
 stissimisq; uiris natos, etiam robustiores gigni. Cum uerò
 mulier ad uirum uenerit, intuens ille alios primo tempo-
 re immoderatus uxoribus cōmisceri, sensit et huiusce rei
 contraria. Sanxit nanq; et ingredientē ad uxorem uirum
et exeuntem, ne ab alijs uideretur, pudore affici; sic au-
 tem coeuntes necesse est tum suauius sese auidiusq; appe-
 tere, tum ualentiores etiam foetus esse, si in aduersam uale-
 tudinem inciderint, ita magis quā si ad satietatem usque
 inuicē sint. Statuit præterea quòd nemo pro uoluntate u-
 xorem duceret: non nisi cum in adultā ætatem peruen-
 tum iam esset nuptias fieri: id enim plurimū ipsi foecundi-
 tati acrobiori conducturū arbitratus est. Atq; si quidem
 contigerit ut senex aliquis iuniorē uxorem habeat, ui-
 dens Lycurgus huius ætatis homines maximè asseruare
 uxores, item et huius rei contrarium constituit. Sanxit e-
nim, ut cuius uiri corpore animoq; senior ipse magis dele-
ctaretur, eo adducto prolem ipse susciperet. At si quis u-
 xorem rursus nolit, ingenuæ autem prolis desiderio tan-
 gatur, in hanc quoq; rem legem tulit: si quam is foecundā
 generosamq; prospexerit, persuaso eius uiro ex ea susci-
 pere natos queat. Et huiusmodi multa Lycurgi legibus
 sunt concessa. Enimvero et uxores domos binas inhabi-
 tare uolunt, et uiri ipsi fratres ex se natis pueris acquire-
 re, qui generis quidē uiriumq; participes æquē sunt, fa-
 cultatum

cultatum uerò nequaquã sunt. Hoc de procreandis liberis, diuerso à Græcis cæteris instituto, quanto præstantiores ille & magnitudine & robore uiros Sparta reddiderit, quiuis secum animo uolutato. Ego uerò postquam de ortu ipso disserui, uolo & ipsam utrorumque disciplinam exponere. Alij quidem Græci, qui pulcherrimè filios instituere se dicunt, quamprimum pueri quæ dicuntur intelligunt, continuo seruos his pædagogos præficiunt: continuo item illos ad magistros mittunt, literas scilicet & musicam, & quæ ad palæstram attine u, percepturos. Puerorum præterea pedes calceamentis demolliunt: corpora uerò uestium uarietate insigniunt: cibi modum uentris plenitudine metiuntur. Lycurgus autem pro seruis pædagogis, quos priuatim pueris quisque præfecit, uirum præesse ex illis uoluit, è quibus maximi magistratus constant: qui quoniam pueros moderetur, pædonomus appellatur. Huic uerò potestatem dedit, ut & pueros congregaret, & quem nequiter quicquam patrare obseruasset, acerrimè cæderet. Dedit etiam ei ex puberum numero qui flagra ferrent, ut uerberibus cum opus foret, pueros afficerent: quo factum est, ut & multa pueri uerecundia tenerentur, & iussis faciliè parerent. Pro calceamentis autem, pedum nuditatem instituit: censebat enim huiusmodi exercitatione longè facilius & accliuum ascendere posse, & tutius decliuum descendere, & exilire & resilire, & celerius discalceatum currere, si pedes exercuerit, quàm calceatum. Pro uestium uerò uarietate instituit, uno amictu toto anno assuefieri, ratus & aduersus frigora & aduersus calores melius hoc utiq; pacto muniri. Cibi autè tantum

masculo habendum censuit, ut & nunquam crapula gra-
 uaretur, & indigentiam ferre expertus sciret: putans eos
 qui sic eruditi essent, ut magis profectò, si opus esset, uel
 absq; cibo labores perpeti, et ab ipso, si amoueretur, plus
 temporis abstinere posse, et minus præterea obsonij ege-
 re, et facilius omnem escam admittere. Quinetiam ad sa-
 lubrius degendum, & ad status proceritatem magis id
 alimèti conducere arbitratus est, quòd gracilia corpora,
 quam quòd lata cibo efficeret. Verùm ne rursum fame ad-
modum premerentur, noluit illos quibus indigebant, ea
ociosos capere, sed furari quaedam sinebat quibus fames
leuaretur: Ac quòd, non quia non haberet quod daret,
 permisit bis alimentum sua sibi industria molirètur, la-
 tère id puto neminem. Patet autem eum qui surrepturus
 quippiam sit, oportere et noctu uigilare, et inter diu frau-
 dem ac insidias tendere, exploratoresq; parare, si conse-
 qui quod cupit, uelit. Itaq; perspicuū est, eum qui pueros
 callidiores circa res ad uictum necessarias facere uolue-
 rit, hac ratione etiā bellicosiores effecisse. At dixerit quis-
 piam: Quid igitur, si quidem furari bonum existimabat,
 multis eum uerberibus qui in furto deprehenderetur, ple-
 ctendum uoluit? Quoniā, ut mihi uidetur, & in alijs quæ-
 cunq; homines edocent, puniunt non ritè ministrantem:
 proinde & illi cruciant deprehensos perinde atq; ineptè
 furantes. Perpulchrum præterea statuit ex arduo et diffi-
 cili loco caseos quamplurimos rapere, quos ab alijs cædi
 iussit: ille quidem hoc significans, solere eum qui paucum
 tempus doluisset, diu ubi sibi prosperè successerit gaude-
 re. Manifestatur etiam, hac in re mollem et tardum, ubi
 maturato sit opus minimè iuuari, ac plurimas turbas ca-
 pere.

pere. Quòd si pædonomus abeat, ne quando pueri sine magistro sint, fecit ut is qui semper adesset ex ciuibus, ius haberet, qui quicquid factu optimū uideretur pueris imperaret, ac si quid delinquerent plecteret: quod quidē faciens illud etiam est assecutus, ut & maiore pueri uerecundia tenerentur. Nihil enim neq; pueri, neq; uiri, ita ut suos magistros uereri solent. Vt autem et si quando neminem uirū adesse contingeret, aliquis tamen ipsis pueris præesset, statuit, qui in singulis alijs grauißimus esset, is maribus imperaret: quare nunquā illic pueri sine magistro sunt. Sed iam mihi de puerorū amoribus dicendum est, nam et hoc ad disciplinam pertinet. Alij quidem Græci, uel sicuti Bœotij uir atq; puer commixti coëunt, uel sicuti Elienses gratiarū interuentu formæ specie utuntur: alij uerò sunt, qui uel cum pueris colloqui amatores prohibent. Lycurgus autem ab his omnibus dissentiens, si quidem aliquis admiratus ipse, ut decet, pueri animum enitatur irreprensibilem amicum reddere, et unà esse permissit, & honestissimam hanc disciplinam duxit. Quòd si quis pueri corpus appetere uideretur, id turpissimū decernens, statuit, apud Lacedæmonios nihilo utiq; minus amatores à puerorum congressu abstinere, quàm uel parentes à filijs, uel à fratribus fratres ueneris in rebus abstinent: quæ quidem à quibusdam non credi haud miror. In multis enim urbibus leges minimè aduersantur libidinib. erga pueros. De disciplina igitur pueritiæ tum Læconica, tum aliorum Græcorū diximus. Ex utra uerò ipsarum & obedientiores & uerecundiores, & magis deniq; quibus in rebus opus sit, continētes uiri perficiantur, poterit quisq; secum ipse considerare. Sed postquàm è lu

do pueritiæ ad pubertatem exceſſerint, continuo alij qui dem tum à pædagogis, tum à doctõrib. ceſſant, ipſiſq; nemo præficietur, ſed liberi mittuntur. Lycurgus uerò & ab his plurimum diſſenſit: quippe qui quoniã didiciſſet adoleſcentibus maximã animorum elationem ingentiam, pro cacemq; contumeliam, & uehementiſſimas uoluptatum cupiditates aſſeſſe, tunc plurimis eos laboribus ſubdidit, utq; ſemper occupati eſſent, molitus eſt. Qui cum etiam addidiſſet, ſi quis hæc fugeret, ei nihil rerum honeſtarum aſſequi licere, effecit ut non ſolum publicè conſtituti, ſed etiam neceſſarij ſingulos curarent, ne metu uacantes reprobi prorsus in ciuitate fierent. Ad hæc uolens quaſi naturalem his pudorem uehementer conciliare, imperauit ut in uijs manus intra pallium haberent, ſilentioq; incederent, ac nuſquã circumſpicerent, ſed humi defixos oculos tenerent. Hic certè patet maſculinũ ſexum et circa pudicitiam fortiorem eſſe natura muliebri. Itaq; illorũ uocem minus quàm ſi lapidei eſſent, audieris: oculos uerò minus quàm ſi eſſent ænei conuerteris. Maiore autẽ eos pudore affici, quàm ipſas in thalamis uirgines exiſtimaris. Ac poſtea quàm in conuiuũ uenerunt, ſatis proſectò ſit ſi uel ad interrogata reſpondeant. Et circa horum rursus inſtituta hanc curã adhibuit. Enimuero de puberibus quam maximam diligentiam habendam uoluit: hoſce nanq; arbitratur, ſi quales deceret fierent, boni plurimum reipub. allaturos. Videns igitur, quibuſcunq; maximè contentionis ſtadium innatũ eſſet, horum et choros ſummo ſtudio audiri, et gymnica certamina maxima frequẽtia celebrari, ratus eſt adoleſcentes ad uirtutis certamen accendendos hoc pacto, & hoſce ad magnam probitatem peruenire poſſe.

posse. Quo igitur pacto hos rursus ad id inflammari, ostendam. Eligunt ipsorum Ephori ex florentioribus uiros tres, qui hippagritæ ab equitatu congregando appellantur. Horum quisq; uiros centum deligit, declarans cuius gratia alios in honore præferat, alios reprobet. Qui ergo honorem affecuti non sunt, certamen incunt, et aduersus eos à quibus missi non fuerint, et aduersus illos quos sibi in electione prælatos uident: seq; inuicem obseruant, si quid præter honesti existimationem admiserint. Quare pijsima hæc fit et reipub. perutilis contentio, ubi ostenditur et quæ sint bono uiro faciunda, et separatim utrinque diligentiam omnẽ studiumq; accommodant, ut quamoptimi semper sint: atque si quid oporteat, singulatum reipub. pro uirili parte opitulantur. Coguntur etiã bonæ ualeitudini consulere: nam ubicunque conueniant, ambitionis gratia contendunt pugnis, luctanturq;. Quos quidem ita pugnantes, quisquis ius habens inter fuerit, dirimit: quod si quis illi minus pareat, cum pædenomus ad Ephoros agit. Hi uerò acerrimè illos puniunt, quippe qui uelint constituere, ne unquam quis ira usque adeo superetur, quo minus legibus obtemperet. Cum puberem uerò ætatem superarint, et maximi iam ex his magistratus consistent, alij quidem Græci nulla roboris habita cura, militiæ tamen munus illis imponunt. Lycurgus autem legem tulit, qua huius ætatis homines uenatione uti, nisi quod publicum officium impedierit, pulcherrimum esse duxit, quod et hi nihilo minus possent quàm ipsi adolescentes militiæ labores tolerare. Quæ igitur cuique ætati seruanda studia Lycurgus sanxerit, serè diximus. Cuiusmodi uerò uicium omnibus constituerit, in præsentia dicere

aggrediar. Cùm Lycurgus Spartiatis domi, ueluti & reliquos Græcos, conuiuantes accepisset, ac per id animaduertisset plurimos ex his in nequitiam labi, cõtubernia in publicum eduxit, existimãs illos minimè hoc pacto transgredi imperata posse: ac cibum statuit ut neq; his nimis, neq; parum foret. Per multa quoq; ab ociosis & absurda patrari solent, ac locupletes interdũ ociosi similitudinẽ reddunt: proinde neq; uacua cibus mensa unquã fit quoad discubuerint, neq; item sumptuosa. At is remouens à potu non necessarias potiones, quæ & corpora & mentes ledunt, permisit quãdo quisq; sitiret, biberet: arbitratus sic & saluberrimum & iucundissimum potum esse. Enimuerò ita conuenientib. quomodo quis uel edacitate, uel ebrietate, aut sese, aut rem domesticam corruperit? Nempe alij in urbibus ut plurimum æquales inuicẽ uersantur, proinde & pudore quam minimè detinentur: at Lycurgus apud Spartiatis iuuenilli ætati seniorum disciplinam peritiamq; admiscuit. Etenim patrium est in conuiujs dici, quodcunq; honestè in urbe quis fecerit: quam ob rem nulla illic contumelia, nullũ uinofitatis conuiciũ, nulla turpis actio, nullum denique turpe uerbum interuenit. Atqui ex publica epulatione id quoq; perficitur boni, quòd et de ambulare coguntur cùm domum abeunt, et ne uino debilitètur diligenter curare, utpote quos non latet, non ubi coenarint manendum fore, & nocte non secus ac die uti oportere: neq; enim sub lumine eum qui adhuc intra præsidium sit, proficisci licet. Cùm autem animaduertisset Lycurgus, ut à cibus hi qui sese laborib. dedunt, & colore insignes, & uegeti robustiq; sint, ocio uerò soluti, tumentes imbecilliq; reddantur, neque rem hanc neglexit,

glexit: sed cogitans se, si quando quicquam mente machinaretur abundè corpore sufficere, instituit qui natu maximus esset, is quolibet semper in gymnasio curaret ne cibis immodicis uincerentur: atque mihi quidem neq; in hoc uideatur errasse. Itaq; haud facillè quis inueniat neq; bona ualeitudine, neq; corporis uiribus, qui Spartiatis antecellant: æquè etenim & cruribus & manibus ceruicèq; exercentur. Secus autem & in hisce Lycurgus sanxit, quàm ciuitates plurimè consueissent. In alijs namq; urbibus homines suorum quisque & filiorum & seruorum atq; pecuniarum domini sunt. At Lycurgus cum efficere uoluisset, ut ciues inuicem nihil officientes mutuo bono aliquo fruerentur, statuit pueris quenque suis alienisq; iusta imperare. Cum uerò quis uideat hos esse patres puerorum quibus ipse imperet, cogitur ita imperare quemadmodum uelit, & illos suis. Quòd si quis aliquando puer cæsus ab alio, patri deserat, turpissimū factu ducitur, nisi & ipse filium alijs uerberibus affecerit: adeò se inuicem credunt nihil turpe pueris imperare. Idem statuit & circa seruos tum proprios, tum alienos, si quid his uti opus fuerit. Sunt & uenationis canes communes. Itaque indigentes ad uenationem uocant: quòd si quis ipse minus uacat, libenter canes emittit. Et equis eodem utuntur modo: nam inualidus, uehiculū ue indigens, aut aliquòd prope re profecturus, sicubi equum uideat, eum capit, ususq; pulchrè restituit. Præterea & illud, quòd minimè apud alios solitum est, usitatum fecit. Quocunque enim loco à uenatione retardati egeant rebus ad uictum necessarijs, si minus his instructi sunt, sanxit ut hîc & hi qui cœnauerint quæ parata sunt relinquerent: indigentes uerò pa-

ratas res resignarent, & quotquot indigerent acceptis, rursus obsignata dimitterent. Sic igitur illis inuicē communicantibus, ipsi etiam pauperes participes sunt quæcunque pro loco inueniuntur, quodocunq; alicuius indigerint. Item & hæc legitima Lycurgus Spartæ discere à reliquis Græcis uoluit. In alijs enim urbibus omnes rei pecuniariæ pro uiribus intendunt. Nam alius agriculturæ, alius nauigationi, alius mercaturæ studet, alij uerò ab opificijs nutriuntur. Lycurgus autem apud Spartiæ liberos scilicet homines uetuit quicquam attingere, quod circa rem pecuniariam uersaretur. Quæcunq; autem libertatem ciuitatibus afferunt, hæc sola instituit ipsorum studia ducenda. Etenim quid illic diuitijs indulgendi est, ubi pariter ad res necessarias feruntur? Idem etiam ex hac uictus institutione fecit, ne uoluptatis gratia pecunias desiderarent. Quinetiã ne uestium quidem gratia quæstui incumbendum est: non enim uestis sumptu ac magnificentiâ, sed bona corporis habitudine exornatur. Neq; eò pecuniæ congregandæ sunt, quò sumptus in contubernia præberi queat, propterea quòd illustrius iudicauit corporis laboribus, quàm ipsis sumptibus homines familiaribus hominibus prodesse, quippe qui demonstraret aliud animi, aliud uerò diuitiarum opus esse. Veruntamen per iniuriam locupletari in talibus etiam prohibuit. Enim uerò primùm huiusmodi nummum constituit, qui decem minarũ solùm, ubi in domum peruenerit, nunquam neq; heros, neq; seruos lateat: nam et loco magno, et curru ad agendum opus sit. Aurum quidẽ et argentum diligenter inquiritur: quod sicubi appareat, possessor multatur. Quid ergo pecunijs comparandis eo loci quis studeat,

deat, ubi illarū comparatio plus molestiæ, quàm usus uoluptatis præstat. Iam uerò maiore in modum apud Spartiatis, tum magistratibus, tum legibus cunctos obedire omnes scimus. Ego quidem neque attentasse Lycurgum puto bonum hunc reipub. statum, priusquam eos qui optimates in urbe essent, inter se conciliaffet. Hæc autem ea assequor coniectura, quòd in alijs urbibus potentiores neque uolunt uideri quidem magistratus ipsos pertimescere, quin illiberale id esse ducunt: principes uerò & parent Sparte, maximè in magistratibus: & humiles esse, currendoq; potius quàm incedendo, cum uocentur obedire, gloriosum censent hi quidem: facile futurum existimantes ut & alij sequantur, si quidem ipsi uehementer obtemperando principes fuerint: quod certè & factum est. Consentaneum uerò est hos etiam ipsos Ephorum potestatem constituisse, quoniam intelligerent obedire maximum esse bonum, tum in repub. tum etiam & militiæ & domi: quò enim maiores uiros magistratus haberet, eò magis arbitratus est ciues ad obediendū perterrendos. Itaq; Ephori quæcunq; uelint, mulctare queunt, possunt extēplò exigere, possunt in magistratu cōstitutos interim et abrogare, et in carcerē conijcere, ac de uita certamen constituere. Tantam uerò habentes potestatem, haudquaquam aliarum ciuitatum exemplo sinunt delectos ad magistratū semper utcunq; uoluerint dominari: quin potius quemadmodū tyranni, et qui gymniciis certaminibus præsumunt, quæ senserint præter leges aliquid perpetrantem, per quā properè puniunt. Sed cum et alia per multa sint pulchra Lycurgi inuenta, quibus ciues legib. obtemperarent, tū et hoc in primis pulcherrimū esse puto, quòd non

antè multitudini leges ædedit, quàm cum principibus Delphos petens deum rogasset, an esset futurum cõducibilius & melius Spartæ, si legibus quas ipse tulerit obediret. Qui cùm oraculum ædidisset, id prorsus melius fore, tunc reddidit: non modò iniquum, uerùm & impium statuens, si quis legib. à Pythio roboratis oraculo minus paruisset. Dignũ est præterea & hac in re Lycurgum admiremur, qui apud Lacedæmonios id effecerit, ut honestam mortẽ turpi uitæ anteponerent. Etenim si quis secum ipse consuleret, inueniat horum longè pauciores, his qui ex hac luce migrare metu elegerunt. Et profectò si uerum dicendum sit, consentaneum est, uirtute in longiorem ætatem quàm uitio perueniri: ea nanq; et facilior est et iucundior et expeditior et fortior. Patet autem, gloriam maximè sequi uirtutem ipsam: etenim omnes quodammodo bonis auxilio esse uolunt. Quo igitur pacto ut hæc fieret molitus sit, et hoc nõ omittamus oportet. Ille igitur planè præstitit, ut et boni feliciter et mali miserè degerent. In alijs enim urbibus cum aliquis malus fiat, mali tantum cognomentũ accipit: uersatur autem eodem in foro malus, ubi et bonus, & sedet & ludit si uelit: sed apud Lacedæmonios qui uis erubesceret uitiosum hominem in contuberniũ secum, aut in palestra concertatorem admittere. Sæpe etiã malus, diuisis qui pilæ ludum contrà inter se ludunt, in neutram partem accipitur, atq; in choreis quoq; in abiectiones locos reijcitur, atque uis cunctis ei cedendum est, & in consessibus, ac inter iuniores quoq; assurgendum. Propinquas autem uirgines domi nutrire cõuenit, & his est causa fortitudinis subducendum. Vxoribus autem uacuum larem despicere fas non est: & huius rei multa simul

Virtutis quàm
uitij longior æ-
tatis.

mul subeunda. neq; unctum incedere, neq; infontes imitari licet: aut si secus fecerit, uerbera suscipere à præstantioribus oportet. Ego igitur cum huiusmodi ignominiam propositâ malis intueor, ne miror quidem malle illic homines mori, quàm tanta cum ignominia ac probro uiuere. Perpulchrè et in hac re Lycurgus mihi legib. sanxisse uisus est, qui ad ipsam usq; senectutem uirtutem excolendam uoluerit. Nam cum in uitæ meta senectutis iudicium apposuisset, statuit ne in senio quidem honestatem ac probitatem negligendâ esse. Est et illud tum laude, tum admiratione dignum, quòd & bonorum uirorum senio prospexerit. Cum enim instituisset uitæ certamen penes senes esse, perfecit senectam pluris habendam esse quàm iuuentutis robur. Et rectè quidem ex omnibus humanis rebus huic certamini studetur: nam etsi gymnica certamina pulchra sunt, ea tamen corporum certè sunt: senectutis uerò certamen, animorū indicium bonorum præbet. Sed quantum corpori præstat animus, tantum etiam animorum certamina corporum certaminibus antecellunt. Atqui et hoc Lycurgi institutū quì non maximopere admiremur? qui posteaquâ didicisset eos qui lentius studere uirtuti uellent, patrias amplificare nō posse, coëgit Sparta omnes uirtutes exercendas publicè. Quemadmodū igitur priuati homines priuatis præstant uirtute, & studiosi negligentib. ita & Sparta, quæ sola publicè honestatem probitatemq; exercet, uirtute cunctis planè urbib. præcellit. Etenim nonne et illud pulchrum, quòd alijs ciuitatibus in eos duntaxat animaduertentibus, si quis alter in iuriam alteri intulisset, Lycurgus cum non minus plectendū uoluit, si quis manifestò neglexerit quò optimus fiat?

Existimabat enim, ut uidetur, ab his qui aliquos captiuos effecissent, aut quicquā abstulissent, aut furto surripuissent, in eos qui lederentur solum perpetrari iniuriam, à uitiosus uerò ignauisq; hominibus respub. prodi. Itaq; rectè uidetur mihi maximas hisce pœnas statuisse. Addidit præterea intolerabilem quandã necessitatem ad omnem ciuilem uirtutem excolendã. Nam his qui legitima exoluerent, ex æquali omnibus rempublicam esse uoluit: nihilq; existimauit, neq; corporum, neq; rerum imbecillitatem. Quòd si quis ignauū sese circa legitima præstitisset, hunc decreuit ne in ciuib. quidem habendū esse. Nam quòd hæc leges uetustissimæ sunt, perspicuum est. Lycurgus enim Heraclidarum temporibus fuisse traditur: quæ cum ita uetustæ sint, hac etiam tempestate alijs sunt admodum nouæ. Etenim quod unum omniū maximè admirandum, huiusmodi studia omnes laudant, imitari autem nulla ciuitas uult. Atq; hæc quidem communia bona sunt et pacis et belli. At si quis discere uelit, et circa rem militarem Lycurgum melius quàm reliquos prospexisse, ex his audire licet. Primùm igitur Ephori pronunciant, quibus annis educendæ copię sint & equitibus et grauioris armaturæ: et peditib. primùm, deinde et opificibus. Quare quotquot rebus in urbe utuntur homines, his omnibus et militiæ Lacedæmonij affluunt. Eodẽ modo & instrumenta quibus exercitus uulgò egerit, ea omnia partim curru, partim iumentis præbenda imperauit: sic enim minus quod defuerit, latère id quenque possit. In armorum autem certamen talia quædam molitus est. Voluit enim stolam puniceam haberent, & clypeum æreum. Hanc quidem stolam arbitratus minimè cõmunem cum sceminis, esse

esse quambellacissimam: nam et celerius ea expurgatur, & serius maculatur. Permisit autem eos qui pubertatis annos transcendissent, nutrire comam, ratus hoc pacto et maiores illos & liberiores terribilioresq; uideri. Quibus ita instructis, distribuit equites ac pedites in tribus sex. Quelibet autem ex urbanis tribubus habet unum tribunum militum, et manipulorum praefectos quatuor, quinquagenarios octo, duces turmarum sexdecim. Ex his uero tribubus per denunciationem constituuntur tum in turmas tres, interdum autem in sex. Quod autem plures putant ordinem Laconicum esse in armis perquam implicitum, longe secus quam res se habeat opinantur. Sunt enim in ordine Laconico praepositi principes, & singuli ordines quaecumq; praebenda sunt omnia continent. Hanc autem institutionem ita est perdiscere facile, ut nemo qui homines queat cognoscere unquam errarit. Alijs enim datur ut ducant, alijs ut sequantur demandatur. Atqui mouendae phalangis modus tanquam ex praecone ab turmae duce, uerbo manifestatur. Phalanges uero et raras & latiores sunt, quarum nequiduis discere difficile sit. Quod tamen, si haec acies cum quouis similiter pugnare possit, difficile quis intelligat, praeter eos qui Lycurgi legibus instructi fuerint. Facilia Lacedaemonijs et illa factu sunt, quae armis pugnantes perdifficilia ducunt. Cum enim in cornu incedunt, turma in postremis sequitur: quod si hoc ordine hostium phalanx ex aduerso appareat, turmario duci denunciatur, ad frontem sese in clypeum locet: itaque semper se habeat quandiu aduersa phalanx ita steterit. Et si quidem interea loci terga hostes inuaserint, uertuntur singuli ordines, quod fortiores semper hostibus opponantur. Cum princeps

autem ad leuam est, neque hoc modo deteriores sibi partes datas existimant, quin potiores interdum si qui etenim circuire tentarint, non nudas quidem, sed armatas partes circundabunt. Quòd si alicuius rei gratia uideatur conducere ut imperator dextrum cornu teneat, uerso in cornu agmine, phalangem ipsam quoad imperator ad dextram, post remi uerò ad leuam fuerint, explicant. Quòd si ex dextro hostium cornu acies decenter incesse- rit, nil aliud curant quàm ut singulos manipulos, ueluti triremem aduersa prora, in aduersos uertant. Itaque rur- sus postrema acies in hastam ad dextram constituitur. Sin autem ad leuam hostes inuaserint, id minimè sinunt, quin repellunt, aut aduersariorum aduersas acies uertunt: & sic iterum postremus manipulus in clypeum constituitur. Dicam etiam quo pacto castrametandum esse Lycurgus censuerit. Nam quoniam quadrati agminis angulos inuti- les esse duceret, in orbem castra ponebat, nisi aut monte tuti essent, aut murum, aut fluuium post se haberent. Statuit diurnas custodias, quæ in armis intrò aspicerent: non enim hostium gratia, sed amicorū hæ constituentur: quip- pe quæ tum hostilem equitatum ex his locis obseruant, è quibus prospicere plurimum queant. At si quis noctu ex- tra phalāgem progrediatur, statuit ab sciritis obseruari, qui ne quis ordinem egrederetur, ius habebant: nunc ue- rò et ab ipsorum etiam peregrinorum quibusdam qui si- mul circumcūt obseruantur. Quòd aut et hastati semper circumcunt, sanè et hoc scire conuenit ea gratia fieri, qua & seruos ab armis prohibent, & eos qui ad leuandam aluum abeunt. Neq; mirandum est, eos neq; ab inuicem, neq; ab armis longius abire, quàm ut sibi inuicè molestie

non sint: faciūt enim hæc securitatibꝫ gratia. Atqui castra percrebrò mutant, quò & hostes ledant, & amicos iuent. Ac ut se exerceāt, lex omnibus Lacedæmonijs præscribit, quicumque meruerint: quare tum magnificentiores ipsi inter se fiunt, et inter alios strenuiores apparent. Oportet autem neque ambulationis, neque cursus minus efficere, quàm quantumcunq; tribus ipsa permiserit, quò nemo suis ab armis porrò absit. Post exercitationis autē ludos, primus militū dux cunctis sedendum iubet: hoc autem perinde ac exquisitio quædam est: deinde prandendum mandat, confestim speculatorem dimittendū, postea rursus concilia inter se habent, & se quieti dedunt ante uespertina gymnasia. Quibus actis cœna per præconem significatur, & ut posteaquàm deorum laudes cecinerint, quoscunq; sacrificijs placarint, in armis quiescant. Quòd autem multa à me scribuntur, mirandum certè non est: nam minimè Lacedæmonijs quis omissa inueniat, quæcunque in re militari studiosa ducenda sint. Sed iam mihi narrandum est quam & uim & honorem regi Lycurgus in exercitu pararit. Primū nancq; regem ciuitas, & eos qui cum rege sunt nutrit. In præsidio contubernales sunt, unaq; cum eo militum tribuni, quò semper præsentēs unà magis si quid opus est, consulant. Contubernales sunt simul alij tres, eiusdem ordinis uiri. Hi cum illis unà omnium rerum necessariarum eam diligentiam habent, ut nunquā prorsus uacent à rerum bellicarū cura. Repetam autem quonam rex pacto copias educit. Nam primū domi sacra facit Ioui ductori, alijsq; cœlitibus: quòd si hic litarit, accipiens fœcialis (qui pyrphoros à ferendo igne appellatur) ignem ex ara, præcedit ad regionis usque confinia,

ubi rex rursum Ioui Minueruæq; sacrificat. Cùm his uerò duobus dijs litatum fuerit, tum demum regionis fines transit, et ignis ab his sacrificijs perpetuus antecedit, omnifariamq; hostiæ sequuntur semper cùm sacrificaturus sit. Id operis adhuc crepusculo aggreditur, uolens is quidem antè sibi dei fauorem beneuolentiamq; conciliare. Adsunt circa sacrificium tribuni militum, manipulorum præfecti, quinquagenarij peregrini militis duces, & eorum qui impedimenta ferunt duces, urbiumq; prætores, quisq; pro uoluntate. Adsunt & ex Ephoris duo, qui nihil agunt nisi à rege accersiti. Intuentes autè quid singuli faciant, castigant omnes ut decet. Absolutis uerò sacrificijs, rex aduocata concione, quæ faciūda sunt iubet. Itaq; hæc aspiciens aliquis, facile putet alios quidem disciplina rei militaris peritudo esse, Lacedæmonios autem solos esse profectò rerum bellicarum artifices. Cùm igitur rex ducit, si quidè nemo ex aduerso appareat, nemo ante ipsum incedit præter sciritas et speculatores equites. Quòd si quando prælium futurum existimant, assumens rex primæ tribus agmen ducit, in hastam conuertens, quousq; in medio duarū tribuum existat, & inter duos militū tribunos. Quos uerò præfici hisce oporteat, is qui in repub. maximus natus est, illos constituit. Hi uerò sunt quotquot eiusdem ordinis simul conuiuantur, et uates & medici & tibicines ac exercitus principes, & si qui ultro affuerint. Quo fit ut eorum quæ fieri oportet, nihil ambiguum sit: nil est enim non prospectum. Pulchrè & hoc Lycurgus & utiliter, ut mihi quidem uidetur, in armorū certamine cogitauit. Nam cùm intuentibus iam hostibus capra iuguletur, lex est omnes astantes tibicines tibijs uti,

ac neminem Lacedaemoniorum sine corona esse: atq; arma quoq; expolienda pronunciat: licet etiam iuniori ac delecto in pugnam congregiatur, & sese letum atq; probum praestet. Hæc autē turmario duci demandantur. Neque enim auditur in omnes singulatim turmas à singulis, præter turmæ ducem: quod ut rectè fiat, militum tribuno curandum est. At cum uidetur castrametandi tempus, id regi ipsi curandum est, locusq; demonstrandus. Item & legationis & societatis ineundiq; belli ratio, diligentie regis commissa est: atque regem omnes adeunt cum quid agere uoluerint. Quòd si cui causa ulla fuerit, hunc rex ad certaminum iudices dimittit: si pecuniarum gratia ueniat, ad quæstores: sin autem prædam agens, ad eos qui prædam uendunt. His uerò ita à rege gestis, negocij aliud circa præsidium relinquitur regi nihil, nisi ut sacerdotem sese diuinis in rebus, erga homines autem ducem gerat. Sed si quis me roget, an hac etiam tempestate uideantur mihi Lycurgi leges immotæ permanere, id ego mehercule non iam audacter dixerim. Scio nanq; Lacedaemonios prius domi cum mediocrib. facultatibus unà uiuere, quàm in urbibus magistratibus præesse, ac per assentatores corrumpi, longè maluisse. Et antea quidem pertimescebāt, ne quid auri habere uiderentur: nunc autem quosdam nosco, qui eo gloriantur. Neque me præterea latet, antea quoque huiusce rei gratia peregrinos amotos esse, neque peregrinari licuisse, ne ciues uersutias atque dolos à peregrinis haurirent. At hoc tempore non sum nescius, eos qui primarij uidentur, in id maximè studere, inuigilare, incubere, quò nunquã peregrino magistratu desistant. Et olim certè elaborabāt ut digni essent qui imperarent, nūc

autem curant longè magis ut imperent, quàm ut imperio digni sint. Itaque reliqui Græci petentes antea Lacedæmonem, eos deprecabantur ut sibi duces fierent aduersus eos à quibus iniuriam accepisse uiderentur. Sed hac tempestate permulti sunt qui se inuicem rogent atque exhortentur, ut eis ne denuò imperent, obstant, & arceant. At profectò mirari nemo debet eos in has reprehensiones incurrere, cùm manifestum sit eos neque Deo, neque Lycurgi legibus obtemperare. Narrandum etiam mihi est quæ fœdera Lycurgus regi cum ciuitate constituerit: solus enim hic principatus pro initij constitutione perseuerat: alias uerò reipub. leges et antea immutatas, et item nunc immutari quis inueniat. Statuit nanque ut rex publicis in rebus omnibus tanquam ex Deo esset, pro urbe sacra persolueret, & exercitus quocunq; ciuitas mitteret, dux fieret. Decreuitq; sibi munera ex his quæ immolarentur capiunda: & præcipui agri tantum in uicinis plerisq; urbibus statuit, ut neque frugali apparatu indigeret, neq; opulentia efferretur. Atque ut reges in publico discumberent, conuiuium eis publicum instituit, & duplici parte in cœna honorauit: non ut duplo magis quàm alij ederent, sed quò & ex hoc quem uellent honorare quirent. Dedit præterea contubernales duos, quos ipse utrunque deligeret: hi autem Pythij appellantur. Dedit & ex omni scropharum foetu porcum unum, quò si quid Deum consulere opus foret, nunquã hostijs indigeret. Ac iuxta domum aquæ copiam stagnum præstat, quod quanto plurimis in rebus usui sit, hi qui carent magis intelligunt. Atque regi omnes ex subsellijs assurgunt, præterquã Ephori à sui magistratus sellis. Hi autem singulis mensibus iurciurando

se mu-

se mutuò astringunt. Ephori quidem ciuitatis nomine,
 rex autem suo. Iusiurandum uerò regis est, pro conditis
 ciuitatis legibus imperaturum: ciuitatis autem, pro iu-
 reiurando inuiolabiliter illi obseruato 'regnum incon-
 cussum reddituros. Hi ergo honores domi uiuo regi exhi-
 bentur, qui parum admodum priuatorum honoribus an-
 tecellunt. Non enim Lycurgus uoluit, neque regibus ty-
 rannicum fastum asciscere, neque ciuibus inuidiam ad-
 uersus regiam maiestatem iniicere. Quibus autem rex
 mortuus cumulatur honoribus, his declarant Ly-
 curgi leges, se non ut homines, sed tanquam
 heroës Lacedæmoniorum reges
 honorasse.

XENOPHONTIS LIBRI DE REPV-
 blica et legibus Lacedæmoniorum finis.

bb 3

AD SAPIENTISSIMVM AC SAN-
CTVM VIRVM D. NICOLAVM S. R.
ecclesie Cardinalem, Francisci Philelphi
præfatio, in Xenophontis oratio-
nem de regis Agefilai Lace-
dæmoniorum laudibus.



DMONVIT me superior Lacedæmo-
niorum respublica, quã a sapientissimo Ly-
curgo illo constitutam Socraticus Xeno-
phon immortalitati literarum commenda-
rat, ut & Agefilai laudationẽ, quam idem
disertissime ac penẽ diuinẽ scriptitasset, ad latinos tra-
ducerẽ. Idq; cum ob alias à me rationes factum est hu-
manissime Pater, tum ob eam potissimũ, ut quod ipse
perspicuẽ noscis, cæteri non ignorent, solere ex bonis &
institutis & legibus, uiros etiam effici meliores clario-
resq;. Itaq; Agefilaius ipse Spartiatarũ rex cum Lycur-
gi instituta die nocteq; animo uoluitaret, atque singula
eius non facta modò, uerum etiam dicta crebra medita-
tione studioq; tractaret, id est pro singulari sua tum sa-
pientia, tum animi magnitudine conlectus, ut & pa-
triæ maximopere prodesset, & æternitatis nomen suo
nomini uendicaret. Accedit ad rem, quòd rebus te pri-
scis delectari, illisq; clarissimis, non me præterit. Etenim
ingenuus animus & excelsus, magnarum item illustri-
umq; rerum suauitate perfunditur. Maiorum quidem
laudationes sunt præmia uirtutis, & rectè faciendĩ pro-
posita posteris exempla quẽdam. Quis enim omnium
est, qui cum summam iustitiam, insignẽ prudentiam,
sapientiam singularem, egregiam præterea animi gra-
uitatem, constantiam, modestiam, continentia, huma-
nitatem, magnificentiam, comitatem, gratitudinẽ, pie-
tatem, ac omnis deniq; uirtutum cœtus in Agefilao flo-
ruisse perspexerit, non & illum uel mortuum mirificè
diligat, eamq; mente uoluptatem percipiat, qua nulla
sit propè iucundior, nulla maior? Quod cum omnibus
auditu pergratum sit, longè his tamen & gratius arbi-
tror & suauius, qui ueluti tu, Pater modestissime, im-
mor

mortales uirtutes tuas in aliorū uirtutibus memorari
 simul & laudari cognouerint. Nos uerò qui probitatis
 nomē atq; splendorem quasi tyrones appetimus, per
 inde ac si ideam aliquam, & intuemur uos tales uiros,
 & imitari cogimur. Sed in hac traductione id mihi mo-
 lestū fuit, quòd non huiusmodi hęc oratio diuina apud
 nostros appareat, qualis apud Græcos effulget, & tan-
 quam sol aliquis irradiat. Quis enim musam Atticam
 (ita nanque Xenophontem prisca cognominarunt) di-
 cendo apud nostros expresserit? Quis talem hanc Age-
 silai laudationem, quam ipse etiam eloquētiæ deus Ci-
 cero, pluribus in locis & unice laudauit, & maiorem in
 modum admiratus est, ulla dicendi arte, ullo ingenio,
 ulla demum exercitatione, pro dignitate interpretari
 se posse uel crediderit, uel sperarit? Et si quis fortasse id
 se posse dixerit, hoc certè de me fateri facinus esse dixe-
 rim. Proinde omnes norint, sensa modò, si quid
 aliud limatius politiusue apparuerit, Xeno-
 phontis illius esse, dictionem au-
 tem nostram: & ingenium &
 peritiā interpretari po-
 tius, quàm fidem
 & dili-
 gentiam defuisse.
 Vale,

Xenophontis de

AGESILLAI REGIS LACEDAE-
MONIORVM LAVDIB. ORATIO,

Francisco Philepho
interprete.



V A Nquam nescius certè non sum, A-
gesilai tum uirtutem, tum gloriam, non
facilè scribendo laudari pro dignitate
posse, nihilo tamen minus id mihi mune-
ris aggrediendū existimaui. Non enim
rectè se res habeat, si quoniam ad summum usq; uir pro-
bus fuerit, eò non nisi summis cum laudibus prosequi li-
ceat. De ipsius igitur generis claritudine, quid aut maius
aut pulchrius dicere quisquam queat, quàm, quod etiam
et hoc tēpore celebratur, quotus maximè inter illustres
maiores suos ab ipso usq; Hercule excelluerit: neque illos
quidem priuatos homines, sed ex regibus natos, et ipsos
reges? Atqui neq; hoc eos quisquā uituperarit, quòd im-
perant illi quidem, sed obscuræ cuiquā uulgariq; urbi im-
perant. Quin ueluti ipsorum genus ceteros suæ patriæ
anteit, ita et urbs ipsa in Græcia in primis floret: quare
non in secundis principatum seruant, sed ipsis hi ducibus
planè præsent. Sic igitur ipsius unà et patria et genus
laudetur oportet. Nam neque ciuitas illorū unquam ho-
nori inuidens, suum rescindere regnum molita est: neque
reges maiora quàm ab imperandi accepissent initijs, un-
quam cupierunt. At neq; ullus unquam alius principatus
neq; in populari, neq; in paucorum, neque in tyrannico,
neque

neq; in regio dominatu firmus omnino incōcussusq; perdurauit, hoc uerò solum imperium perpetuū permanet. Quòd autem Agesilaus anteaquàm regnare occēpisset, dignus esse regno uidebatur, hæc sunt argumenta. Nam posteaquàm Agis rex diem obiit, Leotychida Agesilaosq; de imperio contendentibus, altero quidem ut Agidis, hoc uerò ut Archidami filio: ubi Agesilaum ciuitas tum genere, tum uirtute illustriorem esse dijudicasset, hunc regem decreuit, atq; potentissima in urbe honore pulcherrimo à uiris optimatibus insigniri: quibus etiam cōiecturis apparet, quanta is cū adhuc priuatus esset, uirtute claruerit. Quæ uerò gesta in imperio ab illo sunt, iam eloquar. Ex ipsis etānim rebus gestis, puto etiam eius mores pulcherrimè declaratū iri. Agesilaus cū inuenis adhuc esset, rex creatur, qui cū modò regnare cōpisset, nunciatur Persarum regem permagnas cogere aduersus Græcos nauales ac pedestres copias: quibus de rebus Lacedæmonijs simul & socijs consultantib. suggerit Agesilaus, polliceturq; si ex Spartiatis dederint sibi quinquaginta uiros, et ex reliquo libero populo tria millia, ex socijs autem ad sex millia, se in Asiam traiecturum, periculumq; facturū constituendæ pacis: uel si bellum Barbarus maluerit, negociū ei præbiturum quò minus in Græcos expeditiones agat. Itaque permulti continuò illum admirabantur, quòd hoc ipsum concupierit, antequā Perses in Græciam transmitteret, aduersus eum traicere, & eligeret potius ut occurrens, quàm ut sustinens ei repugnaret, malletq; ut illius quàm Græcorum facultates consumendo beligeraret. Id autem omnium pulcherrimum iudicabatur, quòd non de Græcia certamen, sed de Asia constitueret.

Itaque posteaquàm assumptis copijs enauigasset, quì clarior ostendere quisquam possit, an rem militarem prudenter et scite gesserit, quàm si eius res gestas enarrarit? Hæc ergo prima eius in Asia gesta sunt. Tissaphernes quidem Agesilao iuratus est, si inducias secum fecerit ad nunciatorum usq; reditum, quos ad regem mitteret, effecturum se ut Græciæ in Asia urbes sui iuris relinquereentur. Agesilaus uerò cōtrà iuratus est, fœdera sese sine dolo ad tris usq; menses obseruaturū. Sed Tissaphernes quæ iurarat ementitur. Nam pro faciunda pace, magnū præter eum quem prius habebat exercitū aduocauit à rege: quæ Agesilaus tametsi accepisset, in fœderibus tamen perstitit. Atque hoc primū rectè gestum ab illo existimo, quòd et Tissaphernem periurum ostendens, reddidit infidum omnibus: & se contrà primum iusiurandi obseruatorecm, tamen nil contra fœdera mentientem demonstrans, effecit ut & Græci & barbari audacter secum si quid ipse uellet cōuenirent. Cùm uerò Tissaphernes ob deductum exercitum plurimum elatus animo bellum Agesilao indixisset, ubi minus ex Asia abiret, cùm alij socij, tum ipsi qui aderant Lacedæmonij, uehementer manifesteq; angebantur, utpote qui putarent præsentis Agesilai uires regis apparatu minoris esse. Sed Agesilaus leta admodum fronte nunciare Tissapherni oratores iussit, se illi permultas habere gratias, quòd usus periurio sibi quidem immortalis deos hostes reddidisset, Græcis autè socios effecisset. Deinde uerò extemplò milites ut se ad bellandū parent monet, exhortaturq;: et urbib. ad quas ire necesse erat in Cariam bellū inferenti, commeatū iubet. Scripsit præterea & Ionibus et Aeolis et Hellespōtjjs, ut ad se Ephesum auxilia

xilia mitterent. Tissaphernes autem, tum quoniam Agesilaus equitem non haberet, Caria uerò est equitatu difficilis: tum quia eum contra sese propter fraudem iratum opinabatur, non absurde ratus contra suam domum facturum illum in Cariam impetum, omnes pedestres copias illuc transportauit, equites uerò ad campos Mæandri circūduxit. Censebat enim se satis posse Græcos equite obruere, priusquã ad difficiles equitatu locos peruenirent. At Agesilaus non in Caria, sed illicò inde uersus in Phrygiã pergit: & qui in itinere exercitus occurrerent assumens, omnium dux & urbes diruit, et insperatò adorsus pergrandes pecunias capit. Dignum & hoc quoq; disciplina rei militaris uisum est, quòd posteaquã bellum in dictum est, ac diripere fasq; & ius ex illo fuit, puerum Tissaphernem decipiendo demonstrauit. Amicos autem prudenter locupletare uisus est. Nam cùm ob multarum prædam rerũ omnia pariter uirili precio uenirent, admonuit amicos ut emerent, inquiring se propediem ad mare cum exercitu descensurũ. His uerò qui prædã uenundarent, iussit ut scribentes quanti quid emerint, res illis traderent: quare neq; quicquã eius amici prius persoluentes, neq; rempub. detrimento afficientes, cuncti quamopulentiissimi effecti sunt. Item cùm trãsfugæ, ut fit, ad regem irent, uellentq; aliquas res subducere, diligentiam adhibebat ut ab ipsis amicis hæ caperentur, quò & unã locupletarentur, clarioresq; fierent: quas quidem ob res statim multos suæ amicitie cupidos reddidit. Noscens aut cam regionem quæ in prædam uersa desertaq; esset, nõ posse ad multum temporis exercitum ferre: quæ uerò habitaretur serereturq; perpetuum præbere alimentum: studuit

ut non solum ui hostes caperet, uerum et humanitate pelliceret. Quare milites saepe numero monebat ut captiuos non ut iniustos cruciarent, sed ut homines seruarent. Pessime etiã quando castra mutaret, si paruos negociatorum pueros relictos acciperet, quos eò multi uendebant, quia putarent non eos posse & ferre & nutrire, curauit quò & hi quendam in locum conueherentur: atq; illorum item captiuorum qui ob senium & ipsi relinquerentur, imperabat curam habendam esse, ne siue à canibus siue à lupis perderentur: quapropter non hi solum qui hæc audiret, quin etiã captiui ipsi beneuoli in eum reddebantur. Quot autem urbes in deditiõnem accepisset, auferens his quæ serui ministeria heris præstant, ea imperabat quibus liberi principibus parent: quorum autem moenia nulla ui potuisset, humanitate et clementia capiebat. Cum ergo neq; in campis Phrygiæ propter Pharnabazi equitatum militare posset, uisum est Agesilao equitem parari oportere, ne fugiens bellare cogeretur. Itaq; ditissimos ex illius regionis urbibus qui equos alerent delegit: prædixitq; eum militiæ non fore obnoxium, qui equos & arma, probumq; uirum præbuisset. Effecitq; hoc pacto ut omnes hæc animo promptissimo gererent, ceu si quis hominem pro se moriturum studiose perquisierit. Statuit item ex quibus urbibus equites præparandi forent, ratus is quidem euestigiò ex illis urbibus, quibus ad alendos equos cura demandata fuerat, permultos sanè strenuos ac animosos circa equestrem fore. Hoc etiam mirificè & præclare facere uisus est, quòd & equitatus paratus est sibi et robustus illicò, atque ad res gerendas acer factus. Sed posteaquã uerum illuxit tempus, exercitum omnem ad Ephesum coegit:

git: quem uolens exercere, præmia proposuit, tum equestribus ordinibus si quis optimè equitarit, tum pedestribus si quis egregiè sese corpore habuerit: atq; scutatis etiã sagittarijsq; qui optimè suo functi officio uiderentur, præmia proposuit. Itaq; intueri licebat tum gymnasia resecta uiris certantibus, tum circum equitibus equestrem agentibus, tum denique iaculatores et sagittarios ordine euntes: sicq; totam urbem in qua erat, spectaculo dignam fecit. Nam & forum completum erat omnifariam et armis & equis uenalibus: ærarij quoq; & lignarij & ferrarij & coriarij & fullones omnes bellica arma construebant: quare urbem illam planè censuisses belli officinam. Illa quoq; re potuisset aliquis recreari qui illud conspexisset, Agesilaũ primò, deinde alios milites, & coronis insignes cum à gymnasijs redirent, et Dianæ ipsi coronas offerentes. Enimvero ubi homines Deos uenerentur, bellicas res exerceant, principibus obtemperent, qui non hic conuenit affatim omnia bene sperare? Ratus præterea robustiores quodammodo milites ex contemptu hostium ad pugnandum reddi, prædixit præconibus ut barbari à latronibus capti, nudi uenundarentur: quos milites illi intuentes tum albos, quia nunquam exuerentur, tum pingues et molles, propterea quòd in uehiculis semper existeret, putarunt nihilo esse magis bellum formidandũ, quàm si cum mulieribus præliari oporteret. Prædixit etiam militibus, sese aduersus munitissima & optima regionis illius loca ducturum exercitum, quò iam inde corpora illi atq; animum quasi pugnaturi ei præpararent. Tissaphernes autè hæc eò ab Agesilao dici arbitratus est, quò rursus eum falleret: uelle autem indubitato in Cariam irrupere: quare

per id temporis peditem ueluti antea in Cariam transtulit, equitem uerò ad Mæandri campum constituit. Sed Agesilaus nihil ementitus, in Sardianum solum, sicuti dixerat, perrexit: profectusq; dies tris, nusquã obuiam factis hostibus, ubertim rebus necessarijs referfit exercitum. Quarta autem luce uenerunt hostium equites, quorũ imperator dixit impedimentorũ praefecto, ut traiecto Pactolou fluio castrametaretur. Ipsi uerò Græcos eos intuentes qui sequerentur ad prædam intentos, multos necarunt. Quod ubi sensisset Agesilaus, equitibus iussit illis auxilium ferrent. At Persæ ubi auxilium uiderunt, in unum conuenere, ac se contra ad pugnam struxerunt perquam multis equitũ ordinibus. Hic igitur cùm sciret Agesilaus peditem nondum adesse hostibus, sibi uerò abesse ex apparatu nihil, tempus idoneũ uisum est, quo si per hostens liceat, prælio decernat. Itaq; cæsis hostijs, euestigio in aduersum equitem phalangem duxit. Adolescentes secum unã currere, scutatis autem dixit cursu subsequerentur: equites autem ut irrumperent, monuit. Sic igitur ipso omniq; exercitu insequente, equites ipsi à fortissimis Persarum excepti sunt: sed posteaquã barbari cunctis unã difficultatibus premerentur, inclinata est acies, & alij illicò in fluuium delapsi, alij in fugam conuersi sunt. At Græci eorum castra insequentes capiunt, ac ueluti fieri solet, scutati in rapinam uertuntur. Agesilaus autem inter amicos hostesq; medius constitutus, castra circūlocauit. Cùm uerò hostes tumultuari audisset, quoniã malè actam rem sibi inuicem crimini darent, confestim aduersus Sardos exercitum duxit, ubi omnes circum urbem locos & incendit simul et populatus est: simulq; per præconem nunciavit,

ciauit, ut hi qui liberi esse uellent, ad se tanquam ad sociū irent. Quod si qui Asiam suam facerent, aduersus liberatores armis decernerent. Sed posteaquā nemo contrā egressus est, secure posthac militabat: uidebatq; Græcos illos qui antea barbaros adorare cogebantur, ab his honorari, à quibus contumeliam suscipiebant. Illos autē qui uel deorum immortalium honoribus sese frui dignabantur, effecit ut neq; intueri aduersus Græcos auderent. atq; amicorū solum ab omni præda tutū præstitit: hostiū uerò ita fruitus agro est, ut duobus annis centū talenta et amplius deo apud Delphos decimā dedicarit. At rex Persarum Tissaphernem aduersarū sibi rerū autorem esse ratus, misso Tybrauste, eum capite obrūcat. Deinde uerò barbarorū resignauis se habere, Agesilai autē longè robustius: ab omnibus enim gentib. ad eius amicitia comparandā legati mittebantur. Multi etiā ad eum defecere, libertatis desiderio agitati. Itaq; non iam Græcorū solum, uerū et magnæ barbarorū multitudinis dux erat Agesilaus. Profectò et hinc Agesilaū inaudita quadā admiratione laudandū existimo, qui multarū in continente urbium principatū possidens, et insulis nonnullis imperitās, (nā et classē ei ciuitas addidit) auctus præterea et gloria et uiribus, cū ei in manu esset pro uolūtate plurima facinora optimaq; conficere: ac præter omnia, quod maximum fuerat, animo uolūtans speransq; eam rescindere ditionem, quæ prius in Græciā meruerat, re tamen nulla teneri potuit, sed cū ab ciuitatis principib. nūcius uenisset ut patriæ succurreret, nihilo minus reipub. paruit, q̄ si solus præter illos quinq; patrio more in Ephorio stetit: sicq; perspicuū fecit, ut neq; totū orbem terrarū patriæ,

neque novos ueteribus amicis, neq; turpes ac tutos questus his anteponeret, qui cum periculis honesti et iusti essent. Quanto autem tempore cum imperio mansit, nonne hoc laudatissimi regis esse opus ostendit? Qui cum omnes ciuitates ad quas regendas nauigarat, dissidentes propter rerum publicarum motum ex amisso Atheniensium principatu accepisset, effecit ut sine uel exilio, uel nece, quandiu affuit, inter se cōcordia uterentur, & ipsas urbes opulentas atque tranquillas redderet. Itaq; hi Græci qui Asiam incolunt, eius discessum non ut principis modo, uerum etiam ut patris, ut socij dolebant, atq; ad ultimum ostenderunt, non ficta illum beneuolentia coluisse. Deniq; ultrò cum eo in Lacedæmonis auxiliū iere: ne hi quidem ignari, sibi non aduersus imbecilliores pugnandū fore. Rerum igitur gestarum in Asia hic fuit finis. Traiecto autem Hellespōto, per easdem nationes profectus est, per quas antea Perses fuerat classe permaxima: & quod barbarus annum iter fecerat, id mensē & minus Agesilaus confecit. Non enim ut patria orbaretur studebat. Ac postea quā itinere per Macedoniam factō Thessaliā attigit, Larissei et Cranonij et Scothusij et Pharsalij Bœotiorum socij, & omnes præterea Thessali, nisi quotquot eorum exules per id tēporis erant, insequentes hi turbas inferebant. Veruntamē quadrato agmine Agesilaus exercitū duxit, habens equitum dimidium ante, dimidium uerò post exercitum. Sed ubi Thessali ab itinere arcerēt, utpote qui postremos inuaderent, transmittit ad postremos partem ex his qui præcedebant, et ex his partem qui circum se erant. Ut autem inuicem contrā instructi sunt, rati Thessali sibi non incommodum futurum equites aduersus

uer sus grauius armatos pedites pugnare, retrouersi abibant sensim, Græci uerò quamtemerè insequébantur. At noscens utrorunq; errata Agesilaus, transmittit quem circa sese habebat robustum equitem, iubetq; tum alios moneant, tum & ipsi uehementer insecutentur, neque amplius illos reditum facere sinant. Sed Thessali ut uiderunt præter opinionem Græcos se insequi, alij neque reuerterunt, alij uerò cum reuersionem tentassent, ab equitibus quos transuersos habebant, capti sunt. Polycharmus autem Pharsalius equitum præfectus reuertitur, & fortiter præliando cum suis occubuit. Quo factò, incredibilis hostium fit fuga, adeò ut alij interierint, alij uiui caperentur: neq; prius substiterunt quàm ad Antraciorum montem peruenissent: quo loci Agesilaus trophæum inter Antracè Narteriumq; statuit, ibiq; mansit, non mediocriter gestare delectatus, quòd eos instituto à se equitatu uicisset, qui ea re maximè exultarent. Postridie uerò superatis Achaicis Pythiæ montib. reliquũ iter omne iam per amicam regionem est profectus ad montes usq; Bæotiorum. Hic igitur instructa acie, Thebanos contra nitentes offendens cum Atheniensibus, Corinthijs, Aënianis, Eubœis, Locrisq; utrisque, nihil cunctatus est, quinimò extemplò se ad pugnam accinxit, habens Lacedæmoniorum tribum unam et semis, ex socijs autem per id temporis Phocenses & Orchomenios solum, & reliquũ exercitum, quem ipse ducebat. Neque hoc dicturus uenio, quòd & multò pauciores ac longè infirmiores copias habens congressus sit. Etenim si hæc dixerim, uidear certè & Agesilaum amentie, & me ipsum stultitiæ denotare, si eum laudem, qui maximarum rerum periculũ tē-

merè subiisset: quin potius hac eum in re admiror, quòd copias nihilo pauciores quàm hostiũ essent, cõparauerit, quas ita instruxit armis, ut omnia ærea, punicea omnia uiderentur. Curauit etiã ut cõmilitones per ferre labores quirèt: ipsorumq; animos adeò erexit, ut aduersus quoscunq; pugnare oporteret satis haberent roboris: eamq; suis certatim æmulationẽ et contentionem iniecit, ut singuli fortissimi uiderentur. Spe nanq; repleuit omnes qui probè sese ac strenuè gererent, multarum rerum bonarumq; assequendarũ. Existimabat enim huiusmodi se munus hominib. prõptissimis, aduersus hostis dimicaturum: neq; certè eum sua se fellit opinio. Narrabo autè pugnam ipsam: etenim huiusmodi fuit qualis nostra tempestate alia prorsus nulla. Conuenerant in Coronie campũ alij cum Agesilao ex Cephiso, alij cum Thebanis ex Helicone: conspiciabanturq; inuicẽ phalanges ipse pari admodũ apparatus, & equites utrinq; pari aderant ferè numero. Tenebat Agesilaus dextrũ exercitus sui cornu, cui ad læuũ Orchomenij postremi aderat: ex altera item parte Athenienses dextrũ, Argiui autè habebant læuũ, ac concurrentibus ipsis magnũ erat utrinq; silentiũ. Cũ uerò circiter stadiũ inter se distarent, Thebani contrà clamore sublato cursim unà ferebãtur. At posteaquã trium fermè iugerũ interuallo ab se dirimerẽtur, ex Agesilai phalãge aduersi cucurrerũt, quibus Eripides præerat. Erant autè hi eorũ partim qui ab initio secuti fuerãt, partim Cyricorum aliqui, et Iones et Aeoles et Hellepontij, qui simul omnes, cũ impetu factò in hastã uenientes uertissent aduersum cornu, Argiui quidẽ Agesilai aciem nequaquam sustinuerẽ, quin fuga in Heliconem se receperẽ. Atq; hoc
loci

loci quidā ex peregrino milite Agesilaū iam coronabāt. Interea nunciat ei quidā Thebanos Orchomeniorū per-rupta acie inter impedimēta uersari: quare phalāge subitō conuersa in Thebanos ferebatur. Sed hi ubi socios ad Heliconem fugisse intuerētur, elabi uolentes, sese ad suos magna ui recipiebāt. Iam hinc Agesilaū fortem quidē uirum appellare licet indubitato: non tamen tutissima eligebat. Nam licebat ei sinenti hostes abire, ubi insequi uoluisset postremos capere: quod facere certē noluit, sed aduersa fronte cum Thebanis acerrimē cōgressus est. Itaq; summa ui congressi feriebant, pugnabāt, necabant, moriebantur: neq; clamor quisquā aderat, neq; silentium item, sed quedā erat eiusmodi uox, qualem ira ac praeliū præbere solet. Tandem uerò Thebani alij ad Heliconē se recipiūt, multi autē fugientes cæsi sunt. Ut uerò uictoria cessit Agesilao, & ipse saucius ad phalāgem delatus est, accelerātes equitū aliqui, ei nunciant octoginta ex hostium numero, eosq; armatos sub templū esse, quidq; faciundum sit, rogant. Is autem quanquā multis ubiq; corpus ex omni telorum genere confossus esset, nō tamen numinis oblitus est, sed quō uellent eos abire ut sinerent iussit, et afficere iniuria non permisit: mandauitq; eousq; sui equites illos deducerent, quoad in tuto ponerentur. Finito quidem praelio spectare iam licebat quo in loco duo exercitus cōgressi essent, terrā sanguinē rubefactā, cadaueraq; tum amicorū, tum hostiū inuicē iacentia, clypeos perforatos, con fractas hastas, districtos gladios, alios humi, alios in corpore, alios adhuc in manibus. Tunc igitur, etenim iam uesper aduenerat, tractis hostiū cadauerib. intra phalangem cū cœnati essent obdormiere. Manē autem iussit Gylo tribuno

militum, ut & ordines instrueret, trophæumq; statueret, ut omnes in dei uenerationem coronarentur, cunctiq; tibicines tibijs canerēt: qui iussis paruere. At Thebani per caduceatorem sub foederibus ad sepulturam cadauera petierunt. Itaq; isto foedere Agesilaus abiit domum, eligens domi potius pro legibus imperare, ac legitimè imperium pati, quàm esse in Asia maximus. Postea uerò Argiuos animaduertens, qui non modò domestico fruerentur imperio, uerùm & Corinthum quoq; adiecissent, bellum etiam gliscere, in eos expeditiones educit: populatusq; omnem ipsorum agrum, confestim inde Corinthum superatis angustijs petens, muros ad Lecheum tendentes capit: ac patefactis Peloponnesi ianuis, ita domum rediens ad Hiacynthia, ubi à chori principe constitutum fuerat, pœanem Apollini simul perfecit. Deinde autem Corinthios accipiens pecora omnia in Pyraeum tuto contulisse, et ipsum Pyraeum omne serere, ac fruges ex eo capere: maximum præterea ratus quòd Bœotij illac ex Creusi transseutes, facile cum Corinthijs se coniungebant, aduersum Pyraeum cum exercitu processit. Quod cum non mediocri præsidio custodiri aduertisset, sumpto prandio, ad urbem perinde atq; in deditionem eam recepturus traduxit exercitū. Sed cum apud eum increbuisset, eos qui in Pyraeo essent, cunctis copijs noctu in urbem auxiliū uenisse, retrouersus quamprimū illuxisset, Pyraeum quod præsidio uacuum offendebat, capit, & cum alia intus inuenta sumit, tum muros euertit: quibus gestis domum repetit. Post hæc autem alacri animo Achiuis in societatem sese præstantibus, deprecantibusq; ut se in Acarnaniã secum militaturos duceret, ipsiq; Acarnanibus ad angustias in

sidenti-

fidentibus, superiores locos Agesilaus uelitibus occupās,
 pugnam conserit, & eorum multis interfectis, trophæū
 statuit: neque prius quieuit quàm Acarnanes & Aetolos
 et Argiuos Achiuus amicos, sibi uerò socios effecisset. Sed
 posteaquàm pacis cupidi legationes miserunt hostes, Age
 silaus paci contradixit, quousque eos qui Lacedæmonio-
 rum gratia ex Corinthijs Thebanisq; extorres ageban-
 tur, adegit urbes ut domum redeuntes acciperent. Ad
 postremum rursus & illos qui ex Phliasijs ob Lacedæ-
 monios exulabant, reduxit ipse, expeditionem aduersus
 Phliuentem agens. Quòd si quis hæc alia quadam ratio-
 ne carpit, ea profectò societatis amicitiaq; gratia gesta cõ
 stat. Etenim postquàm hi qui Thebas Lacedæmonaq; in
 colebant, ab hostibus cæsi sunt, rursus his auxilium ferēs,
 aduersus Thebas copias egit: ubi fossis omnia uallisq; mu-
 nita comperiens, superatis Canis capitibus (ita enim lo-
 eum nominant) agrum omnem ad oppidum usque deua-
 stauit, facultatem Thebanis dimicandi faciens & in cam-
 po & in montibus, si uoluerint. Profectus est & in pro-
 ximum annum aduersus Thebas, superatisq; Scoli et mu-
 nimentis & fossis, reliquam Bœotiam in prædam uertit.
 Quæ igitur ad hunc usq; locū contigere, pari secundaq;
 fortuna & ab ipso Agesilao urbeq; gesta sunt: quæ au-
 tem deinde enarrata secuta sunt, nemo certè dixerit ea
 ductu Agesilai accidisse. Rursum cum suscepta in Leu-
 stris clade, Tegeatas ipsius & amicos & hospites, The-
 bani cum Mantineis iam & Bœotijs omnib; Arcadibusq;
 & Eliensibus insurgentibus, nouo bello lacerferent, ob-
 uiam cum exercitu fit, existimantibus multis neque suum
 egredi solum ad multum temporis Lacedæmonios ausu-

vos: populatusq; hostium agrum ita rursus domum abiit. Deinde uerò adorsis Lacedæmonem Arcadibus, omnibus, & Argiuis & Eliensibus & Bœotijs, item & Phocensibus & utrisque Locris & Thessalis & Aenianis & Arcarnanibus Eubœisq;: defectione præterea facta seruorum, multis etiam municipijs, ac Spartiatis ipsis in Leuctris ad id redactis, ut plures prælio interierint quàm reliqui sint, urbem tamen tutatus est, eamq; sine muro. Qui quidem ubi omnino hostes præualerent, haud eò copias educebat, sed quo in loco ciues præualituri erant, cunctis sanè uiribus dimicabat: quippe qui putaret, ubi in latiorè locum exisset, undiq; circumueniri posse, sed in angustiis locis et cõmodis subsistendo, quire omnino uincere. Cùm igitur exercitus abiisset, quis neget eum seipso rite usum esse? Ut enim à militia & pedestri & equestri ob ætatem ingravescentem prohibebatur, uideretq; rempub. pecunijs indigere, si quem uellet sibi socium asciscere, se ad eas querendas parandasq; constituit: & quemcunque poterat, domi manens, ingenio atque industria moliebatur, & quæ tempus hortaretur in his se exercere non uerebatur: neque erubescerat, modò reipub. profuturus esset, pro imperatore legatus ire. Veruntamen & in ipsa legatione, magni imperatoris munera obibat. Nam & Antophradates in Asso obsidens Ariobarzanem sociũ, cùm Agesilaum formidasset, fugam petijt. Cotys autem Sestum quã adhuc Ariobarzanes tenebat obsidens, item & ipse soluta obsidione abiit. Itaq; haud absurdè etiã legatus trophæum sibi ex hostibus statuit. Mausolus uerò marte maritimo nauibus centum ambo hæc oppida obsidione premens, iam nõ formidine, sed persuasionẽ domũ rediens

rediens nauigauit. Dignas certè admiratione res gessit. Nam & hi qui beneficium ex eo suscepisse censerent, & qui eum fugissent, uterque ei pecunias dederunt. Atqui properè et Mausolus ob pristinũ sibi cum Agesilao hospitium, cum & ipse pecunias Lacedæmona detulisset, magna eum pompa domũ deduxerunt. Sed cum iam annum circiter octogesimũ attigisset, comperissetq; Aegyptiorum regem aduersum Persen belligerare cupientem, magnoq; et peditum et equitũ numero frætum, et grandi quoq; pecunia abundantem, non illibenter audiuit quòd ab illo accerferetur, & eò potissimum quòd imperiũ ille sibi polliceretur. Putabat nanque sese eadem profectioe, tum Aegypto gratias relaturum pro his quibus Lacedæmonem beneficijs affecisset, & eos qui Asiam incolent Græcos rursus in libertatem redacturum: tum denique ipsi Persæ rerum præteritarum poenam adiecturum, & quòd cum se nunc socium diceret, ut Mesenam dimitteret imperabat. At posteaquàm is qui accersierat, imperiũ ei haud traderet, Agesilaus quidem tanquam maximoperè deceptus, quid faciendũ esset animo uolubatur. Dehinc uerò Aegyptiorum ij qui seorsum militabant, primũ quidem à rege deficiunt, deinde reliqui omnes eum deserunt. Ipse autem rex rem formidans, Sidonem Phœnicis petijt fuga. At Aegyptij orta inter eos seditione, reges duos creant. Tũc igitur Agesilaus intelligens si neutri cohæserit, neuter Græcis stipendiũ soluet, commeatũ quoq; præbebit nemo, & uter uicerit hic hostis ijs fiet. Quòd si alteri fauerit, is beneficio affectus consentaneè amicus futurus sit. Proinde sic iudicans, uter magis Græcis affici uisus est, hunc militia secutus: alterũ qui Græcos exosus esset, uictũ

praelio capit, alterum regem confirmauit. Quem cum et
 Lacedæmoni amicū fecisset, multasq; pecunias accepisset,
 ita medio hyemis tempore domum nauigat, eò festi-
 nans ne ad proximam æstatē ociosa aduersus hostes urbs
 fieret. Atq; hæc etiam enarrata à nobis sunt, quæ pluri-
 morum testimonio de illius rebus gestis comprobantur:
 huiusmodi enim res coniecturis non indigent, sed satis est
 admonuisse duntaxat, continuoq; creduntur. Nunc autē
 enitar ostendere eam animi eius uirtutem, qua et hæc ge-
 sta ab eo sunt, & honesta is omnia assequutus, & turpia
 quæq; insectatus est. Agesilaus enim ita diuina ueneraba-
 tur, colebat, obseruabat, ut et hostes ipsi illius & iusiuran-
 dum et foedera certioris fidei, quàm suam inter se amici-
 tiam ducerent. Nam in contrahendis inter se rebus ple-
 runq; ad eundem ire uerebatur: Agesilao autem sese cre-
 debant. Sed ne quis falsa hæc existimet esse, illorum nomi-
 na in mediū referā qui essent inter eos illustrissimi, in pri-
 misq; spectati. Sphitridates quidem Perses quum scisset
 Pharnabazum operam dare ut regis filiam uxorem ha-
 beret, eius uerò filiā absq; matrimonio sumere uellet, hoc
 sibi futurum contumeliæ ratus, & seipsum & uxorem et
 natos atque uires omnes Agesilao dedit. Cotys uerò Pa-
 phlagonum princeps regi mittenti dexteram audire no-
 luit, ueritus ne captus uel grandes pecunias solueret, uel
 etiam moreretur. Agesilai autem foederibus idem fesus et
 in castra uenit, & societate facta elegit cum Agesilao mi-
 litare, equites duo millia, & scutatos quatuor millia se-
 cum habens. Venit & Pharnabazus in Agesilai collo-
 quium, eiq; fassus, ni torius ipse Persarum exercitus impe-
 rator constitutatur, à rege se defecturum: Si tamen ego, in-
 quit

quit, imperator fiam, belligerabo tecum Agesilaë pro uiribus. quam acerrimè. Quæ inquit, credebat se nihil præter foedera pati posse: usque adeò magna & perpulchra res est cùm alijs omnibus. tum uiro imperatori, fas fidemq; seruare, & se talem esse cognosci. Ac de pietate quidem hæc dicta sint. De ipsius autem in re pecuniaria iustitia, cuiusmodi quisquam maiora hisce argumenta habuerit? Nam nemo unquam de Agesilao questus est, quòd quicquã sibi abstulisset: eius uerò erga se beneficia multi multa confessi sunt. Cui uerò uoluptati est, rem suam ad hominum commoda usumq; conferre, quo hic pacto aliena uoluerit auferre quò ipse infamis fiat? Nam si pecuniarũ libidine tangeretur, longè quietius foret sua tueri, quàm aliena iniuste capere. Qui autè gratias hisce in rebus auferre nolit, quarũ nullæ sunt multæ in eum qui nil retribuerit constitutæ, quo pacto ea quæ lege prohibentur auferre uoluerit? At Agesilaus non modò gratias non referre, iniustum esse iudicauit, quin potius nõ multò maiores reddere qui posset, iniquum arbitratus est. Atqui ea furto surripuisse quæ ciuitatis essent, ubi eum quisquã iure criminetur, qui etiam eas quæ sibi gratiæ deberentur, fruidas patriæ tradiderit? Quòd autem cùm uellet uel reipub. uel amicis pecunijs benefacere, posset ab alijs accipiendo prodesse, nõne & hoc magnum est argumentum eius circa pecunias continentia? Nam si gratias uendidisset, mercedèue benefacere consuesset, nemo certè quicquam ei debere censuisset. Sed qui gratis beneficium suscipere, hi iucundè semper benefico inseruiunt, tum quia beneficio sunt affecti, tum quia prius crediti sunt digni esse qui gratiarum depositum tuerentur. Qui ue-

rò malit aut cum iusto minorē consequi, quàm cum iniusto maiorē habere portionem qui non turpe lucrū longē is magis euitarit atq; aufugerit? Illi igitur cū à ciuitate omnis Agidis substantia adiudicata esset, dimidium eius germanis tradidit, quoniam inopes illos intueretur. Hæc autem uera esse, omnis Lacedæmoniorū ciuitas testis est. Præterea permulta sibi munera Tithrausta offerente si ex Asia decederet, respondit Agesilaus: O Tithrausta, existimatur apud nos pulchrius esse principi, exercitum quàm seipsum locupletare, & ab hostibus prædam magis quàm dona capere eniti. Atqui quot uoluptatibus homines superantur, quibus nunquam quis uiderit superatum Agesilaum? qui ebrietate abstinentium non minus duceret, quàm edacitate, intempestiuo autem cibo tanquam & impudentia? Ac duplicem portionem in conuiujs ex constituto accipiens, ne sic quidem tota utebatur, uerūm simplici ipse, nec ea integra contentus, reliquū distribuebat: ratus geminam regi portionem dari non satietatis gratia, sed quò possit quem uelit honorare. Nec somno quidem ut domino, sed cui à rerum maximarū cura imperaretur, utebatur. Ac ne quidem obscurum erat eum pudore affici, ni ex præsentib. lectis cum habuisset qui esset uilissimus. Arbitrabatur enim decere principem non mollitie, sed tolerantia priuatis hominib. præstare. Hisce autem rebus, se locupletiorē esse haud pudebat: in æstate quidem sole, in hyeme uerò frigore. Quòd si quando nimio labore defatigari exercitum contingeret, elaborabat et ultro ipse præter cæteros, putans quæq; talia leuamēto esse militibus. Vt autē breuiter dixerim, Agesilaus labore quidē exultabat, ocio uerò omnino tristabatur. Sed

de ipsius circa res uenereas pudicitia, nonne si ob nullam rem aliam, at admirationis gratia dignum sit meminisse? Nam quòd ab rebus non cõcupitis sese abstinuerit, humanum quis esse dixerit, sed quòd Megabatem Spithridatis filium adamarit, sicuti uehementissimum effrænatissimumq; hominis ingenium rem pulcherrimam adamare possit: deinde cū patrius mos sit Persis, eos osculari quos honorib. prosequi uelint, aggressus est Megabates ut Agesilaum osculetur, isq; pro uirili parte repugnauit ne se osculetur: nonne hoc igitur per maximum quoddam est, et incredibilis continentie argumentū? Sed postquam Megabates non amplius deinde eum osculari tentabat, utpote qui se inhonoratū existimaret, quendam ex socijs Agesilaus alloquitur, qui Megabate suadeat ut denuò se honoret. Rogante aut̃ socio, an si Megabates assentiat, osculabitur: hic cūm Agesilaus tacuisset, inquit ita: Non si quidem statim unus omniū hominū sim futurus et pulcherrimus et fortissimus et celerrimus. Et tamen iter ū eandem certare pugnā malle (deos omnes iuro) quàm omnia mihi quæcunq; uideo aurea fieri. Et quidē plurimis hæc suspecta fore, neq; credibilia uisum iri nequaquā ignoro: equidem scire tamen uideor ualde plures eos esse qui hostium, q̃ tali uictoria potiri queant. Sed hæc paucis nota, multis non abs re incredibilia sunt. Id autem omnes profectò nouimus, quicquid clarissimi uiri egerint, occultum esse non posse: ab Agesilao nemo uerò unquā huiusmodi quicquā patratū uidisse nunciauit, neq; ex coniecturis suspicatus aliqd utiq; probabile dicere uisus esset. Etenim neq; in domū seorsum peregrinando diuertit unquā, semper autem uel in templo, ubi talia perpetrari minimè

possent, aut in publico residebat, oculos omnium suæ pudicitie atque continentie testes faciens. Quæ si ego mentior, hisce Græcia contraria sentiente, nec illum laudo equidem, & me certè uitupero. Atqui fortitudinis quoque non mediocres præbere coniecturas uidetur mihi, quòd cum ab urbe, tum à Græcia decretus sit semper qui aduersus hostium potentissimos bellum gereret, aduersus quos primus in certaminibus prodibat: & ubi secum hostes congregari uellent, non metu aliquo cunctatus uictoriam nactus est, sed aduersa & acri pugna superatis hostibus trophæum posuit, relinquens is quidem immortalia uirtutis suæ monumenta: signa autem certa afferēs quòd animo pugnaret, adeò ut non audiendo, sed intuendo liceret eius animum probare. Atque trophæa quidem Agesilai non ea solum quot statuit iurè habenda sunt, sed quot potius bellando promeruit. Neque enim minus uincebat, quòd nollet hostes pugnare secum, uerùm id tutius conducibiliusque erat reipub. & socijs: ac in certaminibus quoque non minus hi coronantur qui absque sudore, quàm qui pugnando sunt uictoriâ consecuti. Quanta uerò sapientia is claruerit, quæ illius res gestæ non demonstrant? qui ita patria utebatur ut alacri animo socijs obsequendo, obsequentissimos nihilq; recusantes amicos compararit, milites autem & obedientes simul & amantissimos sui reddiderit. Et quonã modo acrior phalanx fieri queat, quàm quæ obtemperando bene instructa sit, & suum amando principem fideliter adsit? Nempe habebat hostes qui uituperare non possent, odisse autem cogerentur: socios nanque semper potiores ut illis essent moliebatur, & tempestiuè decipiens, & celeritate oppor-

opportune præueniens, & ubi conduceret delitescens, et omnia denique secus aduersus hostes quàm in amicos curans: etenim nocte ueluti die, ac luce ueluti nocte utebatur, ignorabaturq; nonnunquam ubi esset, quò iret, quid rerum facere institueret: quare quæ tuta erant, dubia reddebat hostibus, hæc præteriens, illa superâs, alia surripiens ac fallens. Atqui quando proficisceretur, sciens eo consilio se egressum, ut cum hostibus manus consereret si uoluerint, eo ordine ducebat exercitum, ut maxime subsidiũ sibi afferi posset: ea uerò taciturnitate quieteq;, ut pudicissima aliqua uirgo prætergredi uideretur. Putabat enim hoc pacto neq; tremore, neq; formidine, neq; tumultu, neq; peccato, neq; insidijs occupari exercitum posse. Itaque huiusmodi rebus et acriter hostibus imminebat, & audentiã amicis roburq; iniiciebat. Itaq; neque inimicis contemnendum, neque ciuibus multandum, neque amicis uituperandum se præstitit, quoad uixit. Fuit autem & omnibus admodum charissimus, & à cunctis mortalibus apprimè laudatus. Quòd uerò fuerit reipub. studiosus, si singulatim quæque literis mandare uolucro, longissimũ certè fuerit. Arbitror enim nihil ab eo gestum, quod minus ad hoc unũ referatur. Verũm ut paucis dixerim, nostrũ neminẽ fugit, Agesilaũ ubi existimasset patriæ profuturum, neq; labores fugisse, neque à periculis abductum esse, neq; pecunijs pepercisse, neq; corporis, neque senectutis imbecillitatẽ obtendisse: quinimò boni regis officium esse ducebat, ut plurimis eos bonis cumularet, qui sub imperio constituti essent. Sed inter maximas patriæ uirilitates, uel hoc eius ego facinus posuerim: qui cùm in urbe potentissimus esset, perspicuè osten-

debat se nihil malle quàm legib. inseruire. Quis nanque refragari his uoluisse, cùm regem obtēperare intueretur? quis etiã deteriori se conditione esse ratus, noui quicquam facere attentasset, cùm regem animaduerneret tolerare ut legitimè etiam sibi imperaretur? qui & cum dissentientibus in repub. tanquam pater cum filijs disceptabat: obiurgabat nanque si quid errassent, honorabat si quid honesti egissent: assistebat si qua calamitas contigisset: ciuem nullũ ducebat inimicũ, laudare uolebat omnes, seruare omnes lucrum existimabat. Iacturæ ducebat, si quis etiam minus præstans perisset. Quòd si pacatè in legibus permanserint, patriam usq; beatam fore planè arbitrabatur: tum uerò robustam ac ualentem, quandoque Græci frugi fuerint. Atque si quidem honestum est Græcum Græcis bene uelle, quem alium quisquam norit imperatorem, qui aut urbem capere noluerit cùm uastare se eam arbitraretur: aut belli aduersus Græcos uictoriam cladem putaret? Ille igitur cùm nuncium accepisset Lacedæmonios octo, hostiũ uerò circiter decem millia in prælio aduersus Corinthios interiisse, haud obscure significauit, eam sibi rem minimũ uoluptatis attulisse, inquiēs: Heu tibi Græcia, quandoquidē hi qui nunc oppetiere, satis fuerant qui uiui omnes pugnando barbaros superassent. Corinthijs uerò exulibus dicentibus, urbem illi cessuram, ac machinas ostentantibus, quibus muros capere cuncti sperabant, apponere eas noluit, inquiens haud decere inseruitutem urbes Græcas redigi, sed castigare potius. Quòd si delinquentes, inquit, ex nobis ipsis perdemus, cauendũ est ne quo barbaros uincere possimus, non habeamus. Sin rursus pulchrũ est odisse Persas, quoniã superior

Perses

Perfes copias eduxit ad Græciam subiugandam, et is qui nunc regnat, fit socius quibuscunq; se maius detrimentum allaturū crediderit, illis largitur quoscunq; putarit acceptis muneribus plurima Græcis mala illaturos: pacem uerò eam agit ex qua censuerit maximè nos inuicem aduersus bellaturos: hæc quidem uidēt omnes. At quis alius præter Agesilaum curauit unquam, aut ut natio aliqua à Persa deficeret, aut ut quæ defecerit non periret, uel saltē ut rex malè affectus nequiret Græcis negocia præbere? Qui quidē Agesilaus patria contra Græcos belligerante, tamen publicū Græciæ bonū non neglexit: qui traiecit in Asiā malè barbarum pro uiribus affecturus. At qui dignū est, ne ipsius quidem comitatē affabilitatemq; naturæ taceamus. qui cum honore, potētia, ad hæc etiā regno, eoq; sine insidijs, et cum amore omnium potiretur, iactantiæ tamen obnoxius à nemine unquā notari potuit: obsequentem autē colentemq; amicos nullo etiā adhibito studio animaduertisset quilibet: doctis uerò eruditissq; sermonibus iucundissimè utebatur: quibuscunq; in reb. opus esset amicis, curarū socius accedebat. Et quoniā bonæ spei plenus, bonoq; animo et hilari semper esset, efficiebat ut multi se adirent non solum alicuius cōficiundæ rei gratia, uerum etiā quò diem suauissimè cōsumerent. Præterea cum minime de sese unus omniū magni quicquam loqueretur, non eos tamen molestè audiebat qui seipsos laudarēt: quippe qui nihil id illis obesse duceret, sed eos polliceri potius uiros se probos fore. Nec omittendū quidem reor, q̄ tempestiue animi quadam magnificentia singulari uteretur. Ille nanq; cū epistola sibi à rege reddita esset, quā Perfes cum Callia Lacedæmōio detulerat, de hospitij iure amicitiaq;

per scriptam, hanc ne suscepit quidem: tabellario uerò dixit, regi nunciaret, priuatim ad se epistolas dare nequaquam oportere. Quòd si amicum Lacedæmoni, atque Græciæ beneuolū se palam præstiterit, futurum et ipsum sibi uehementissimè amicū: quare, inquit, si quidem insidias necere deprehensus fuerit, neque si infinitas epistolas suscipiam, me sibi fore amicum putet. Ego igitur tum hoc Agesilai plurimum laudo, quòd ut Græcis placeret, regis despexit hospitium. Tum et illud uehementer admiror, quòd non uter ditior esset ac pluribus imperaret, eum putauit plus sibi tribuere debere, sed qui ipse melior esset, imperaretq; melioribus. Præterea et illud eius prudentiæ summis laudibus prosequendum existimo, quòd usui esse ducens ut quamplurimi satrapæ ad Græcos à rege deficerent, nunquam uinci potuit neque muneribus neque uiribus regis, quòd sibi hospitio iungeretur: sed obseruauit magis, ne deficere à rege uolentibus, infidus fieret. Ac id eius factum quis non iurè mirandum censet? Nam Perses quidem ratus si grandes pecunias habuisset, se omnia sub suum acturum imperium: propterea quicquid inter homines auri, quicquid argenti esset, omnes denique preciosissimas res ad sese cogere studebat. At hic cōtrà ita suam pararat domum, ut horū nihilo indigeret. Quæ si cui minus creduntur, intueatur cuiusmodi ei domus satis erat, aspiciat eius ianuas: putabit profectò has etiā illas esse, quas Aristodemus Herculis filius, quando in patriā redijt, sumptas statuit: et nitatur itē inspicere intimum ornatū, atq; suppellectilē cogitet, quo pacto epularetur in sacrificijs: audiat ut ciuili iumēto Amyclas petierit. Sic igitur sumptus æquabat cēsis, ut nihil iniustum

iustum agere cogeretur pecuniarum gratia. Atq; perpul-
 chrum equidem uidetur esse, muros esse inexpugnabiles
 hostibus: sed ego longè pulchrius iudico, suum parare ani-
 mum, et pecunijs et uoluptatibus & metu inexpugnabi-
 lem & inuictum. Equidem referam quàm Persicæ super-
 biæ contrarium seruauerit morem. Perses quidem in eo
 maximè exultabat, ut quârarissimè uideretur: Agesilaus
 uerò ut semper spectaretur gaudio exiliebat: existimabat
 enim turpiter degenti tenebras conuenire, sed honestæ ui-
 tæ plus ornamenti lucem asferre. Deinde difficilem ad se
 præbendo accessum ille gloriabatur: hic omnibus patère
 ad se aditum lætabatur. At ille rursus cunctatione hone-
 stari se putabat: hic autem tunc maximè gaudebat, cum
 celerrimè petitores rerum quibus indigerēt adeuntes se,
 dimitteret. Atqui uoluptatem ipsam quanto faciliorem
 promptioremq; diligentia, cura, studioq; reddiderit, con-
 siderandum censeo. Regibus enim Persarum sunt qui cir-
 cumeunt orbem terrarū omnem, quæritantes suaues po-
 tus: innumeri autem student quò uoluptuosius uescantur
 cibis: ut autem sopore capiātur, ne faciliè quisquam dixe-
 rit quanta & arte et industria moliantur. At Agesilaus
 quoniam patiens laboris esset, bibebat quam iucundissi-
 mè, quicquid apponeretur suauissimè comedeat: porrò
 ad somni suauitatem omnis ei locus aptus erat. Quæ a-
 gens non lætabatur solùm, uerum etiam recordatione ge-
 stiebat, quòd ipse in medijs uoluptatibus uersaretur, Bar-
 barum uerò intueretur, si uellet absq; dolore uiuere, o-
 portere è terræ finibus uoluptatis illecebras secum trabe-
 re. Hæc etiam Agesilao iucunditati erant, quòd se intue-
 retur deorum apparatu absq; ægritudine uti posse: Bar-

Agesilai et Per-
 sarum regis col-
 latio.

barum uerò tum calores, tum frigora fugere conspicaba-
 tur: imitariq; illum quidem propter animi imbecillitatē
 non uirorū fortium, sed debiliſimarum beſtiarum uitam.
 Illud quoq; quī non perpulchrū ac maximi inſigne animi
 dicendum ſit, quòd et ipſe præſtantis uiri facinoribus atq;
 rebus partis domum ſuam exornarit, uenationiq; canes
 multos ac bello equos enutrierit, & Cyniſcam ſororem
 iumenta iungendis curribus nutrire perſuaſerit? ipſaq;
 uincente demõſtrarit, ut hoc pecoris genus non prohibita-
 tis, ſed opulentiæ indicium eſſet. Nempe & hac in re ge-
 neroſa mihi eius planè ſententia uifa eſt, qui ſi curru pri-
 uatos homines uiciſſet, haudquaquam ſe clariorem fore
 exiſtimabat: ſi patriam amiciſſimam habuiſſet, amicos
 uerò & plurimos & optimos per omnem terrarum or-
 bem ſibi comparafſet, patriã uerò ipſam ac ſocios benefi-
 cijiſ ſuperafſet, hoſtes autem ſupplicio affeciſſet, ſe certò
 reportaturū arbitratur pulcherrimorū magnificen-
 tiſſimorumq; certaminum uictoriam, futurumq; & uiuū
 & poſt mortem celeberrimū. Ego igitur ob huiuſcemo-
 di res Ageſilauū laudandum puto. Hæc enim non ita ſunt,
 ueluti ſi quis theſaurum reperiât, ditior quidem fuerit,
 non autem ad gubernandum prudentior: & ſi morbo af-
 fectiſ hoſtibus uictoria potiatur, non eò tamen quia fortu-
 natior ſit, diſciplina rei militaris inſtructior dici queat.
 At qui tolerantia antecellit, ubi laborandi ſit tempus: &
 robore, ubi fortitudinis ſit propoſitum: & mente, ubi cõ-
 filij opus adſit, hic profectò uidetur mihi iure optimo uir
 bonus apprimè putandus. Quòd ſi ad ſtructuræ conue-
 nientiam, hominibus pulchrum inuentum eſt perpendi-
 culum & regula: pulchrum, mea ſententia, Ageſilai uir-
 tus

tus exemplum his fuerit, qui probitati uoluerint dare operam. Quis enim aut pius imitatus nepharius fuerit, aut iustum iniustus, aut sobrium petulans, aut temperantem intemperans? Etenim non tam quòd alijs imperaret, quàm quòd sibimet dominaretur, gloriabatur: neq; quòd aduersus hostes, sed quòd ad omnem uirtutem ciuibus dux esset, magni faciebat. Enimuero quoniã mortuus laudatur, non ideo lamentatione hanc quisquã orationem, sed multò magis præconiũ existimet. Nam primùm quidem quæ uiuus ille audiebat, hæc etiam hoc tẽpore de illo narrantur. Dein uerò quid à lamentatione longius abest, quàm et æuũ gloriosum, et speciosa mors? Quod denique dignius præconiũ, quàm et pulcherrimæ uictoriæ, laudatissimæq; facinoræ? Rectè is quidem beatus habendus fuerit, qui cõtinuò à puero cùm celebritatẽ nominis adamasset, eam maximè omnium ætatis suæ affecutus est: qui cùm appetentissimus honoris atq; dignitatis natura esset, rex creatus inuictum sese perturbationibus usq; præstitit. Ad summum uerò ætatis spaciũ perueniens, diem obiit sine labe, & erga hosce quibus imperabat, & erga illos quibus cum bellabat. Volo autem & eius uirtutem summatim repetere, quò facilius hæc laudatio memoriæ cõmendetur. Agesilaus quidem templa etiã quæ inter hostes erant uenerabatur, existimãs oportere deos non inter hostes minus quàm inter amicos propitios ac socios facere. Deorum aut supplexes neq; inimicos quidẽ uiolabat: absurdũ esse ducẽs, eos qui ex templis quicquã furerentur, sacrilegos appellare, qui uerò ab aris supplexes auellerent, pios arbitrari. Atq; ille certè nunquã illud prædicare desinebat, se uidelicet arbitrari deos nõ minus religiosi operib.

quàm sacrificijs castis delectari. Atqui cùm & secundis rebus uteretur, non homines despiciebat, sed gratias superis habebat, ac fidens tutus què plures hostias persolvebat, quàm anceps uouerat. Præterea sese assuefecerat ut metuens hilarius uideretur, secundis què in rebus mitis esset, & amicos quidem non potentissimos, sed promptissimos maximè & amabat & iucundè excipiebat. Insequeretur autem odio non si quis malè affectus ultionem capiebat, sed si quis beneficijs prouocatus, ingratus apparuisset: ac lætabatur non mediocriter, cùm turpem quæstū queritantes pauperes uideret, iustos uerò locupletes faceret, upote qui iustitiam uellet iniustitia uel lucrosiorem reddere. Consuecebat cum omnis generis hominibus colloqui, uti autem bonis solùm. Cùm eos qui aliquos uituperarēt laudarent uel audiret, arbitrabatur nõ minus eorum qui dicerent, quàm de quibus dicerent, mores perdiscere. Qui ab amicis decepti essent, haud uituperabat: qui uerò ab hostibus, maximoperè accusabat. Atque nil credentes decipere, sapientiæ esse iudicabat: credentes uerò fallere, impietatis. Ab his laudatus qui etiam turpia uituperare uellent, mirificè gaudebat: ac in simplices quidem & apertos homines nullas inimicitias exercebat. Versutos autem occultique ingenij habebat odio, quippe qui maiorem iacturam duceret amicis quàm pecunijs nudari. Et priuatorum quidem hominum errata modestè ferebat, principum uerò magna censebat: iudicabat enim ab illis pauca, sed ab hisce multa malè disponi atque constitui. Regiam autem potestatem non uersutia insignem esse, sed probitate, decere opinabatur. Corporis imaginē sibi statui recusabat, cùm hoc ei gratificari nonnulli uellent, sed animi

animi monumenta elaborare nunquam desistebat: putās statuariorum illud, at hoc suum esse ipsius opus: ac rursus locupletum illud, sed hoc bonorum esse. Pecunijs certè non iustè modò, uerum etiam liberaliter utebatur: censebat enim iusto quidem homini satis esse ab alienis abstinere, liberalem autem decere, sua etiam ad utilitatem hominum conferre. Præterea pius semper ac religiosus in deos erat, ratus honestè uiuentes nondum felices esse, sed qui diem præclare obiissent, eos iam beatitudinem affecturos. Maiorem quoq; calamitatem iudicabat scientè quàm inscium bona negligere. Gloriæ uerò nullius dulcedine tangebatur, quam non suis sibi laboribus cõparasset. Ac inter paucos mihi homines unus est uisus, qui tolerantiam non uirtutem, sed uoluptatem esse duxerit. Itaq; magis laudibus, quàm pecunijs lætabatur. Atqui fortitudinem consilio magis quàm periculis ostendebat, & sapientiam re magis quàm uerbo exercebat. Amicis mitissimū, inimicis penitus terribilem se præstabat: & cùm esset laborum patientissimus, amicis tamen iucundissimè cedebat, pulchrisq; operibus magis quàm pulchris corporibus delectabatur. Secundis quidem in rebus continentem sese, in aduersis autem fiduciæ bonæq; spei plenum facile seruabat. Atque comitatem non dicitur, sed moribus assidue studebat: animi quoq; elationē ac magnitudinem non contumelia, sed grauitate sententiarum metiebatur. Itaque iactabundos despiciens, erat moderatis hominibus moderatior: etenim cultu corporis uili, ac ornato exercitus apparatu exultabat: & se minimis indigere, et amicis plurimum prodesse lætabatur. Ad hæc bellator erat acerrimus, sed uictoria clementissimus: inimicis credebatur

nihil, amicorum fidem nunquam uerebatur. Id opus habebat, ut & amicorum res semper in tuto collocaret, & hostium usq; obscurando dissiparet. Illum cognati studiosum necessitudinis, familiares obsequentissimum: qui officij quicquam exhibuissent, memorem, iniuria pressi auxiliatorem, periclitantes uerò seruatorem post deos appellabant. Videtur et hoc mihi Agesilaus solus ex hominib. demonstrasse, uires corporis consenescere, sed animi robur probis in uiris senectutem pati non posse. Ille namq; nō est defatigatus, quandiu ipsius animi uires corpus perferre potuit, magnam uirtutem præclaramq; acquirere. Ergo qua iuuentute illius senectus melior non apparuit? Quis enim in ætatis flore formidabilis æquè fuit ac Agesilaus, cū extremum senectutis ageret? Cuius obitu magis hostes gauisi sunt quàm Agesilai, tametsi senior obiisset? Quis socijs tantum audentiæ præbuit quantum Agesilaus, etsi ad ostium uitæ iam aduentasset? Quid noui amici magis desiderarunt, quàm Agesilaū cū senior ex hac luce migrasset? Adeò autem absoluta uirtute uir utilis patriæ fuit quoad uixit, ut etiam mortuus in æternā habitationem diuerterit, & adhuc ciuitati et conducat et proffit: monumenta is quidem uirtutis suæ per totum terrarum orbem affecutus, ac regiam in patria sepulturam nactus.

XENOPHONTIS ORATIONIS DE
Agesilai regis Lacedæmoniorum laudibus, finis.

BESSARIONIS PRESBYTERI CARDINALIS NICENI, AD IULIANVM
episcopum, Cardinalem Tusculanũ,
in Xenophontem de factis et dictis Socratis memoratu
dignis, præfatio.



V CII Crasí apud Ciceronem illam sententiam, qua exercitium uertendi probat, ego quoque apprimè utilem existimans, Xenophontis oratoris suauissimí, philosophiq' nobilissimí, de factis & dictis Socratis memoratu dignis, hos quatuor libros morales è græco in latinum traduxi: eosq' tibi ideo, Iuliane pater optime, dedicaui, ut tum meorum tibi studiorum, quæ sum mopere à me flagitas, rationem tibi reddam: tum uel maximè, ut te autore, qui operibus omnem in his contentam uirtutem perfecisti, in aures Latinorum perueniant. Si enim quisquam ubi de iustitia, fortitudine, honestate, moderatione, continentia, liberalitate, magnitudine animi, amicitia, officio, itemq' de republica, de imperio, de re militari, cæterisq' uirtutibus Socrates dixerat, ea sibi non facilia factu putat: uel hæc præcepta audiens, ueluti ficta pro falsis et impossibilibus spernet, præsertim cum modò Socratè, qui dicta factis exæquabat, admonentem uideat, is abs te, tuiq' causa, qui omnibus his uirtutibus præditus es, hæc audiat necesse est, exemploq' tuo spe ductus, in imitationem studiumq' earum trahatur. Horum sermonum hoc argumentum est. Cum Socrates, uir profectò sapientissimus, accusatus Athenis iniuria, morteq' damnatus fuisset, accusationisq' eius duo capita essent, quòd scilicet priscos nõ coleret deos, sed noua dæmonia introduceret: quodq' iuuentutem corrumpere. Ad hæc ambo redarguenda, falsamq' de eo opinionem uulgò habitam refellendã, auditor eius Xenophon in primis celeberrimus, hos libros conscripsit. Et primò probato, quòd deos Socrates coleret, tum factis eius, tum alijs argumētis: deuenit secundò ad doctrinam dictaq' eius exponēda, quæ cum

suis auditoribus, quicq' ad eum conueniebant adoleſcentulis, conferebat. Quibus palàm ostenditur, non modò eum non corrupisse iuuentutem, sed etiam quammaximè ad omnem uirtutem capeſſendam ei profuisse. Vbi & modum eius disputandi acerrimum atq; uehementissimum, materiasq; de quibus disputat, tam admirari licet, ut meritò putemus illis potius mortem Socratis, qui eum damnauerunt, quàm ipsi, damno fuisse. Qui cum in iudicio capitis pro seipso oraret, ita dixit, ut non supplex aut reus, sed magister aut dominus iudicum esse uideretur. Cætera inter disputandum tute ipse cognosces. Bene uale.

Xenophontis de FACTIS ET DICTIS SOCRATIS MEMORATV DIGNIS LIBER PRIMUS, Bessarione Cardinale Niceno interprete.



AEpenumero miratus sum, quibus de causis Athenienses commoti, morte Socratem condemnarint. Quasi nanque priscos non coleret deos, noua uerò dæmonia introduceret, ac iuuentutem corrūperet, nomen eius aduersarij detulerunt. Hoc igitur primum, quòd non coleret deos, quos etiam ciuitas, quo argumento ostenderunt? cum sepiſsimè tum domi, tum etiam in aris communibus ciuitatis eum constet sacrificasse, cumq; uaticinijs usum fuisse haud

haud esset ignotum. Peruulgatum namq; erat Socratem prædicare, quendam sibi deum res significare: quam ob rem, ut arbitror, accusatus est noua dæmonia introducere. Atqui nil noui, quod non etiam alij, qui augurijs, ominibus, signis, ac immolationibus uaticinari solent, introducebat. Quemadmodum enim illi nec aues, nec obuiantes, scire aut prædicere opinantur futura, deos autem per illos ea ostendere, sic etiam Socrates arbitrabatur. At uulgus quidem ab auiibus ac obuijs se incitari, aut auerti asserit: Socrates uerò, ut sentiebat, sic etiam aiebat. Deum enim quendam dicebat, quæ faciunda, et quæ non, prædocere: quo confusus, necessarios etiam suos admonebat, quæ deberent facere, quæq; expediat eis omittere, tanquam à deo prædicta: et his qui ei parebant, conducebat: qui uerò non, illos poenitebat. At quis non concedet, noluisse Socratem aut stolidum, aut simulatorem uideri necessarijs suis? quorum utrunque profectò esse uisus fuisset, si cum quædam tanquam à deo monstrata prædiceret, mentitus postea uisus fuisset. Constat itaq; non illa Socratē prædixisse, nisi prius uera dicere credidisset: in quibus cui potius quisquam crederet quàm deo? Cùm uerò dijs crederet, quomodo non coloret deos? Præterea de rebus agendis, quæ quidem ad hanc uitam agendam necessariæ sunt, ea dicere ac facere suis familiaribus consulebat, quibus quamoptimè fieri res ipsas arbitrabatur. De illis uerò quorum incertus exitus erat, à dijs, an suscipiendæ sint, petere hortabatur: asseribatq; omnibus qui aut domum, aut ciuitatem rectè habitaturi sunt, opus esse diuinatione. Aedificandi namque, aut fabricandi, aut agros colendi, aut hominibus dominandi, aut computan-

di, aut domi militiæq; præsidendi artem, huiuscemodiq; res fascitadi, hæc omnia doctrina homines consequi, suoq; arbitrio eligere posse. Quod autem in his omnibus maximum est, id sibi ipsi deos conseruasse aiebat, incertumq; hominibus esse uoluisse. Nec enim illi, qui bene suum colat agrum, constat, quis eo fruiturus sit. Nec illi qui optime domum ædificet, notum est quis eam sit habitaturus. Nec duci, profuturum ne sit, an secus, ducere exercitum, apparet. Nec rei publicæ gubernatori certum est, an utile ipsi sit, ciuitati præesse. Nec si quispiam uenusta ac pulchram duxerit uxorem, putans letitiam hinc sibi futuram, clarum est, si propter illam mœstitia sit afficiendus. Nec si quis potentes in ciuitate affines assequatur, scire potest, si per illos exulabit à ciuitate. Horum itaq; omnium, si qui sunt qui nil à diuina prouidentia putent, sed à nostro arbitrio omnia pèdère, hos insanire quidem asserbat. Nec minus etiam illos insanire aiebat, qui diuinatione exploranda illa esse arbitrantur, de quib. discernendis data est hominibus à dijs facultas. Si enim quisquam interroget, utrum illum aurigam præficere quadrigis melius sit, qui bene teneat artem, an illum qui non bene sciat: aut utrū gubernandi perito sit nauis commendanda, an imperito: quæq; liceat aut numero, aut mensura, aut pondere scire, si qui sunt qui deos de illis interrogent, hos nefaria facere opinabatur. et aiebat, quæ quidem doctrina percipi dii uoluerunt, discere homines oportere: quæ uerò incerta hominibus sunt, illa diuinatione conari à dijs consequi: deos nanq; his quibus propitij sunt, ista aperire. Ad hæc, ille semper erat in publico. Manè nanq; deambulabat, & ad gymnasia accedebat: frequente uerò populo

in platea, ibi cōuersabatur, reliquumq; diē illic erat præ-
 sens, ubi quamplurimos esset homines conuenturus: ubi
 ille quidem ut plurimū loquebatur, omni uerò uolenti au-
 dire licebat. Nemoq; unquā nec uidit Socratem facientē,
nec dicentē audiuit scelestum aut impiū quicquam. Non
 enim de rerum omniū natura, ut quamplurimi alij, dispu-
 tabat: nec quemadmodū qui à sophisticis mūdus uocatur,
 natus sit, et quibus necessitatib. singula fiant cœlestiū, ille
 considerabat: imò uerò illos qui in huiuscemodi contem-
 plandis uacant, stolidos esse monstrabat. Primò nanq; id
 illorū considerabat, utrum quoniam arbitrātur satis res
 humanas cognoscere, ad illa rimanda ueniant: an huma-
 nis dimissis, diuinis res contēplantes, rectē sese agere opi-
 nantur. Admirabatur uerò non cōstare eis, impossibilia
 hæc inuenire esse hominib. cū hi quoq; qui recti et ex-
 celsi in hac gloriantur scientia, contraria de eisdem opi-
 nentur, ac sicut insani alter ad alterū se habeant. Quem-
 admodū enim insanientium quidam, nec illa quæ horrida
 sunt abhorrent: quidā uerò et ea quæ timenda non sunt,
 pertimescunt: et his quidem nec publicè agere aut facere
 quodcunq; cōtigerit, turpe esse uidetur, illis uerò nec con-
 uersandum cum hominib. esse: & quidam nec templum,
 nec aram, nec quicquam adorant diuinum, quidam autē
 lapides, ligna, ac feras colunt: sic etiam eorum qui in re-
 rum omnium natura contemplanda uacant, quibusdam
 unum solum uidetur esse quod est, quibusdam uerò infi-
 nita multitudo: & his quidem omnia semper moueri, il-
 lis uerò nihil unq; moueri. Et quibusdā omnia gigni atq;
 corrūpi, quibusdam aut nil unquā aut gigni, aut corrū-
 pi posse. Petebat uerò hoc etiā de huiuscemodi hominib.

Vtrum quemadmodum qui res humanas arte adipiscuntur, sibiipsis ac cæteris arbitrantur quodcumq; didicerint facere posse: sic etiam hi opinentur, qui res contemplantur diuinas, cum sciant qua de necessitate, quibusue de rationibus singula fiunt, etiam sese posse cum uelint, uentos, pluuias, ac temporum facere mutationes, aliaq; si quando indigeant, similia istis efficere: an' ne sperant quidẽ aliquid huiuscemodi: satis uerò eis uidetur, qua singula horum fiunt ratione cognoscere. De his igitur qui huiuscemodi res tractant, hæc aiebat. Ipse uerò de humanis semper disputabat rebus, considerãs quid piũ, quid ue impium sit, quid honestum, quid turpe, quid iustum, quid iniustũ, quid sobrietas, quid insania, quid fortitudo, quid formido, quid ciuitas, quid ciuilis, quid hominib. dominari, quid qui hominibus præsit, ac de cæteris huiuscemodi. Quæ si qui scirent, bonos ac honestos eos esse uiros putabat: mancipia uerò iustè appellari debere illos, qui ea ignorarent. Itaq; si in his decepti fuerint iudices, in quibus non erat manifestum quid Socrates saperet, nil mirũ profectò. Illud uerò mirum uidetur, quòd non meminerint illorũ quæ omnibus constabãt. Cum enim cõsiliarius aliquando fuisset, & senatorium iusturandum iurasset, in quo continebatur, secundũ leges consilium daturũ, qui in populo cognitor esset, cumq; populus cõtra leges uoluisset nouem illos duces, qui cum Thrasyllo ac Erasimide fuerant, interimere omnes communi sententia, noluit suum calculũ adiungere: nec aut iram populi, aut multorum potentum timuit minas, sed pluris fecit sacramentũ seruare, quàm populo placere præter iustitiam, minasq; euitare. Etenim deos credebat curam hominum habere, non quemad-

quemadmodum uulgus opinatur. Hi enim quædam arbitrantur deos scire, quædam autem ignorare. Socrates uerò omnia quæ dicuntur, quæ uè aguntur, eos scire credebat, etiamsi tacitè cogitantur: ac ubiq; adesse, deq; omnibus rebus agendis, hominibus consulere. Itaq; uehementer admiror, quo nam modo Athenienses fuerint persuasi, Socratem circa deos errare, qui nihil unquam impium de dijs nec dixerit, nec fecerit: imò uerò illa dixerit aut gesserit, quæ cum quisque dicat aut agat, meritò sit ac simul putetur religiosissimus. Non minus autem mirũ mihi uidetur, quosdam credidisse Socratem iuuentutẽ corrumpere, qui ad hæc quæ dicta sunt, primũ quidem à ueneris et gula, longè plus omnibus hominibus abstinebat. Deinde ad frigus et æstum, omnesq; sustinendos labores patientissimus erat. Præterea ad elegendum mediocribus exercitissimus, sic ut cum ualde pauca haberet, satis habere uideretur. Cum itaque talis ipse esset, quo pacto cæteros, impios, aut legum transgressores, aut luxuriosos, aut ueneris uoluptatib. deditos, aut molles, aut eneruatos ad subeundos labores effecisset? Imò uerò multos ab istis uitijs reuocauit, cupidosq; uirtutis reddidit, sperareq; persuasit, dummodo seipsos curarent, bonos ac honestos se uiros euasuros: non quòd se unquam pollicitus sit magistrũ fore uirtutis. Sed cum constaret talem ipsum esse, efficiebat ut necessarij eius, quiq; cum illo conuersabantur, sperarent eum imitando similes se illi futuros. Præterea corpus nec ipse contemnebat: et si qui fuissent qui negligenter, eos non commendabat. Itaque plus quàm oporteat se cibo onerantem, plus quàm oporteat laborare, improbat. Tantum uerò comedentem quan-

tum animus libenter accipit, hæc mediocri labore exercere approbat: hanc enim exercitationem & ad sanitatem satis esse aiebat, animiq; diligentie non esse impedimento. Insuper nec insolens, nec arrogans erat, aut in uofitu, aut in calceatu, aut in reliqua sua conuersione. Nec eos auaros reddebat qui cum eo conueniebant: ab alijs quoque cupiditatibus eos reuocabat. Si qui uerò ipsum audire desiderarent, ab illis non exigebat pecuniã: et hoc faciẽtes libertatis putabat habere rationẽ. Nam illos qui mercedẽ suæ doctrinæ suscipiebant, sui ipsius uendito res appellabat: neesse enim eis esse alloqui eos à quibus mercedem susciperent. Admirabatur uerò, si quis cum se profiteatur magistrum esse uirtutis, pecuniam exigat, & nõ arbitretur maximum habiturus lucrum, si bonum adipiscatur amicum: sed timeat ne is qui bonus atque honestus ab ipso factus est, non maximam gratiam illi qui ei benefecerit habeat. Socrates uerò nihil quidẽ tale alicui unquam pollicitus est. Credebat tamen illos qui ad eum conueniebant, quiq; imitarentur quæ ipse approbat, ad totam usq; uitã bonos amicos ipsi, ac inuicem sibi esse futuros. Quo igitur modo uir talis iuuentutem corrumpere? nisi quis dicat uirtutẽ corruptionem adolescentulorum esse. Attamen accusator aiebat, causam cum fuisse ut leges ciuitatis cõtemnerentur, dicentẽ, stolidum esse magistratus in ciuitate suffragijs eligi, cum neq; gubernatore, neq; fabricatore, neque tibicine, neque alijs similibus nullus unquam sorte confirmatis utatur, quæ tamen multò leuiora detrimenta inferant, quàm illa sint quæ in ciuitate à presidentibus committuntur. Hos uerò sermones incitare dicebat adolescentulos ad contemnendã rempublicam,

publicam, ac eos reddere uiolentos. Ego uerò arbitrator illos quibus prudentia curæ est, quiq; putant posse ciuibus suis, quæ eis conducunt, admonendo ostendere, minimè uiolentos esse debere, cum sciant, ad uim quidem inimicitias sequuturas atque pericula, persuadendo autem sine periculis cum amicitia eadem posse fieri. Qui enim coguntur, tanquam expoliati oderunt: quibus uerò persuasum est, tanquam gratum aliquid acceperint, amant. Nequaquam itaque illorum qui prudentiam exercent, proprium est uim cuiquam inferre, sed illorum qui sine ratione potentiam habent. Præterea, qui quidem audet uim inferre, non paucis indiget adiutoribus: qui uerò persuadet, nullo: nam & solum se sufficientè esse ad persuadendum putat, quibus & interficere quenquam minimè contingit. Quis nanq; potius interimere ullum uellet, quàm uiuente & persuaso uti ut uelut? Verùm hoc quoq; aduersarij addiderunt, quòd Critias & Alcibiades, cum Socratem audissent, multis incòmodis ciuitatè affecerunt. Critias enim cum ad paucos peruenisset ciuitatis status, unus ex illis factus, longè omnium auarissimus ac uiolentissimus fuit: Alcibiades uerò dum adhuc populus dominabatur, omnium iniustissimus atq; incontinentissimus erat. Ego uerò si quid illi mali ciuitati attulerunt, de hoc non respōdebo: quomodo uerò conuersatio illorū et familiaritas cum Socrate facta fuerit, narrabo. Fuerunt nanq; hi uiri natura longè omnium Atheniensium ambitiosissimi: omnia nanque per seipsos agere cupiebant, & quæ celeberrimi euadere. Cum itaq; Socratem scirent minima pecunia abundanter uiuentem, à uoluptatibus omnibus abstinentissimum, ac ut uoluerat, omnibus qui secū colloquebantur,

utentem ui sui sermonis: hæc cum uiderent, ac essent qua-
 les paulò antè dictū est, utrum eos quispiam putet deside-
 rio uitæ, ac moderationis Socratis, eius dilexisse doctri-
 nam? an quoniã opinati sunt, quòd si Socratem audirent,
 sufficientissimi ad dicendum aut agendum quodcunq; uo-
 luissent, euasuros? Ego nanq; arbitror, quòd si quis deo-
 rum eis optionem dedisset, aut totam suam uiuere uitã, ut
 Socratem uiuentē uidebant, aut mori, potius mortem ele-
 gissent, ut ex gestis illorum perspicuum est. Nam ut pri-
 mum arbitrati sunt, se in suadendo faciùdiores cæteris es-
 se, confestim dimisso Socrate ad rempub. gubernandã sese
 contulerunt, qua principali de causa Socratē audire desi-
 derarant. Verùm ad hæc forsitan quispiam dicat, non o-
 portuisse Socratem antea suis auditoribus reipub. guber-
 nandæ scientiã, quàm sobrietatem et moderantiam tradi-
 disse. Ego aut̃ nihil ad hoc contradicam. Video tamen om-
 nes quicūq; docent, se ipsos monstrare discentibus, si qui-
 dem ea faciunt quæ docent et oratione inducere. Scio etiã
 Socratem suis auditoribus bonum atque honestum homi-
 nem se ipsum monstrantem, ac optimè de uirtute omni-
 busq; alijs rebus humanis disputantem. Illosq; cognosco
 moderatos et sobrios fuisse, dum cõuersabantur cum So-
 crate: non quòd timerent ne detrimentum aliquod pate-
 rentur, aut ne uerberibus uapularent à Socrate, sed quo-
 niam hoc sibi tunc expedire uidebant. Fortassis autem
 nonnulli illorum, qui se appellant philosophos, dicent,
 nunquã iustum hominem iniustū fore, aut moderatū con-
 tumeliatorē, aut doctū in aliquo illorū, quorum doctri-
 na est tradita, indoctū in eo quod didicit posse fieri. Ego
 uerò de his aliter sentio. Video nanq; quemadmodum ea
 quæ

quæ per corpus fiunt, non posse bene facere illos qui non exerceant corpora: sic etiam qui non exerceant animum, minimè posse animi opera agere: nec enim quæ faciunda sunt, facere nec à quibus abstinendum est, abstinere possunt. Quocirca patres etsi sobrios sciant liberos suos: prauorum tamen hominũ colloquia eis prohibent, quasi bonorum hominum conuersatio exercitium sit uirtutis: prauorum uerò, destructio. Testatur autem hoc etiam qui dicit poëta, Bona quidem discas à bonis: quòd si te misceas prauis, amittes etiam insitam mentem. Quiq; ait: Vir autem bonus modò fortis, modò ignauus. Quibus ego quoque assentio. Video nanque, quòd sicut carminũ faciliè obliuiscuntur, qui meditatione continua non utantur: sic illi qui negligunt, tradunt obliuioni sermones ac admonitiones preceptorum suorum. Cùm uerò quispiam istorum obliuiscatur sermonum, obliuiscitur etiam illorum quibus animus ad desideratã sobrietatem mouetur. Hoc autem factò, nil mirum profectò ipsam quoq; sobrietatem obliuioni tradere. Considero etiam illos qui ad uitium bibendi, aut ad amores inciderint, minus quàm antea quæ deceant facere, & ab his quæ non deceant, abstinere posse. Multi nanq; cùm in pecunia expendenda antequã amassent, parci essent, post amorem non possunt: et cùm pecuniam consumpsissent, ab eo quæstu à quo propter turpitudinẽ antea abstinebant, amplius abstinere non queunt. Cur igitur non uideatur possibile, eum qui antea sobrius erat, in posterũ non sobriũ effici: et quod iustè antea egerit, non posse similiter agere postea? Mihi nanq; uidetur, omnia quidem bona ac honesta exercitatione homines consequi posse, & maximè sobrietatem. Cùm enim uolu-

Bonorum con-
uersatio utilis.

Amoris incom-
moda.

ptates in eodem corpore cum anima insint, persuadent ei non exercere sobrietatem, sed ea quæ sibiipsis atq; corpori grata sint, agere. Itaq; Critias atq; Alcibiades dum Socrate utebantur, potuerunt illius subsidio prauas superare cupiditates. Cum aut̄ discessissent ab eo, Critias quidem fugiens in Thessaliam profectus est, ac ibi cum hominibus conuersabatur pluris iniustitiam quàm iustitiam facientibus: Alcibiades autem propter pulchritudinem quidem à multis ac uenustis mulieribus allectus, propter potentiam uerò quam in ciuitate & apud socios habebat, à multis assentatorib. dissolutus, et à populo honoribus affectus, facileq; primas consecutus, sic neglexit seipsum, quemadmodum illi qui se in certaminibus gymnasijsq; exercent, cum semel primas occuparint, facile negligunt seipsos. Cum itaq; talia illis contingerent, cumq; nobilitate superbirent, diuitijs efferrentur, potentia inflamarentur, à uulgoq; dissoluti essent, & his omnibus corrupti, ac diu à Socrate distracti, quid mirum si sint insolètes effecti? Et postea si quid mali commiserint, Socratem huius fuisse causam aduersarij asserunt. Quòd autem dum adolescentuli essent, quādo impudici ac ingrati uerisimiliter esse debebant, Socrates reddidit sobrios, nulla laude dignum aduersarijs esse uidetur. Atqui non eo modo cætera iudicantur. Quisnam tibicen aut citharista, quis uel alius magister, si ubi satis ab illo docti fuerint discipuli sui, ipso omisso alios adierint, ibiq; peiores effecti fuerint, causa huius fuisse dicetur? Aut quis pater, si filius suus cuiquā conuersatus sobriè uiuat, postea uerò adiens aliū uitiosus efficiatur, priorē arguet? nec tantò magis laudet illum, quantò magis cum posteriore peior factus sit filius suus?

suus? At sicuti patres cum eandem habitent cum liberis domū, dummodo illi sobriè uiuant, non accusantur delinquentibus filiis: sic etiam de Socrate iudicare oportet. Si enim ipse quicquā egerit mali, meritò prauus esse uideretur: quòd si ille uirtuose peruixit, quomodo rectè pro non insita sibi accusetur improbitate? Ego uerò, etiamsi nihil ipse gesserat mali, tamen si cum illos uideret uitijs pollutos laudabat, reprehendendū eum existimare: à quo tamē longè aberat Socrates. Critiam enim cum in Euthydemū deperire, huiusq; corpore, quemadmodū ij qui uenercis uoluptatibus sunt dediti, frui conantem animaduertet, dehortatus est: illiberale & contra boni uiri decorum esse asserens, ab amasio, apud quem summæ existimationis esse uelit, ea maximè quæ nullius sunt precij, supplicem petere atque emendicare. Verum cum Critias nequaquam à proposito declinare uellet, aut nulla re deterreri posset, Socratem multis presentibus ipso Euthydemo etiam dixisse ferunt, Critiam in Euthydemum porcorum more, qui se saxis affricare solent, affici. Vnde etiam tantum in Socratem struxit odium Critias, ut cum unus è triginta tyrannis Critias factus legumlator cum Charicle fuisset, recordatus illorum uerborum quibus eum pluries arguit, scripsit in Legibus, Nulli licere dicendi artem docere: cupiens calumnijs implicare Socratem, cum in nullo eum reprehendere haberet, sed quod contra philosophos ab imperito dicitur uulgo, Socrati imputaret, & suspectum uulgo redderet. Nec enim ego audiui unquam Socratem magistrum esse se artis dicendi asserentem, nec alium dicentem memini audiuisse. Quòd uerò infestus erat Socrati propter reprehensiones

suas, patet. Cùm enim illi triginta multos interimeret, & meliores ciuium, nonnullis uerò licentiam iniurias inferendi præberent, dixit Socrates, sibi mirũ uideri, si quispiam bubulcus pauciores ac peiores faciat boues, deinde non malus fateatur esse pastor. Hoc multò mirabilius est, si quis cùm ciuitati præsit, atq; peiores faciat ciues, deinde non erubescat, nec se putet malum esse ciuitatis gubernatorem. His uerò ad aures eorum perlatis, Critias atq; Charicles ad se Socratem conuocarunt, legemq; ei ostenderunt, ac interdixerũt cum adolescentibus colloqui. Socrates uerò petijt ab illis, an liceat, si quidpiam interdictorum ignoraret, interrogare de eo. Et cùm illi consensissent: Ego igitur, inquit, quoniam parère legib. studeo, ut non per ignorantiam contra leges quicquam committam, hoc à uobis uellem clarius scire: Vtrum cùm dicitis, abstinendum esse ab arte dicendi, istam artem dicendi unã cum illis quæ rectè dicuntur, esse putatis, an cum illis quæ non rectè dicuntur? Nam si cum illis quæ rectè dicuntur, patet quòd abstinendũ est à rectè dicendo. Quòd si cum illis quæ non rectè dicuntur, nempe conandum est rectè dicere. Hic Charicles iratus: Quoniam ô Socrates, inquit, ignoras hæc tibi faciliora intellectu, iubemus iuuentutem nullo alloqui pacto. Tum Socrates: Ut ius, inquit, non sit ambiguũ, neue præter præscripta mihi faciã, determinetis ad quot annos debeant homines iuuenes arbitrari. At Charicles: Quousq; dixit, in consiliũ suscipi non possunt, tanquam nondum prudentes: nec tu loquere eis, dum iuniores triginta annis sint. Hic, si quid emam, Socrates ait, nũm ne quanti uendat interrogem si triginta annis sit minor? Interroga huiuscemodi res, inquit Charicles:

ricles: tu tamen, ô Socrates, quoniam soles multa, cum
 scias quemadmodum se habeat, interrogare, hæc non in-
 terroges uelim. Nec ergo respondeam dummodo sciam,
 Socrates ait, si quis me iuuenis interrogaret, ubi habitat
 Charicles, aut ubi Critias est? Hæc respondeas licet, Cha-
 ricles inquit. Tum Critias: Ab illis tamen, ô Socrates, ab-
 stinere debes cerdonibus, ac fabris: etenim, ut arbitror, ob
 tusæ factæ sunt aures eis à tua loquacitate. Ab illis quoq;
 igitur qui sequuntur abstinendū est, Socrates ait, iustitiã,
 pietatem, et alia huiusmodi? Ita per Iouem, Charicles in-
 quit: et non modò ab istis, sed etiam à bubulcis. Sin uerò,
 caue ne tu etiam pauciores facias boues. Quo clarū fuit,
 quòd audito illo de bobus sermone Socratis, irati ei fue-
 runt. Qualis quidem cum Socrate conuersatio fuit Cri-
 tiæ, et quemadmodum alter ad alterū se habuerit, dictum
 sit. Ego uerò ad hæc etiam dicerem, nulli ullam doctrinã
 ab illo fore, qui non ei placeret. Critias autem et Alcibia-
 des non placente eis Socrate, illū audiebant quando audie-
 bant, sed à principio statim ad rempub. gubernandam
 conati sunt se cõferre. Cùm enim adhuc cum Socrate con-
 uersabatur, nullis cum alijs potius quàm cū illis qui præ-
 erant ciuitati sermocinabantur. Alcibiadem nanque fer-
 tur, antequã uiginti annos natus esset, talia cum Pericle,
 tutore quidẽ suo, ciuitatis aut præfecto, de legibus dispu-
 tasse: Dic mihi quæso Pericles, utrū habeas quid sit lex,
 explanare? Ita profectò, Pericles respondit. Dic ergo per
 deos, Alcibiades ait: quoniam ego audiens quòd aliqui ut
 legibus parentes laudantur, arbitror non esse hominem
 hac laude dignū, qui primò quid sit lex ignoret. Tum Pe-
 ricles: Non difficilem flagitas Alcibiades rem, cupiens sci

Lex quid. re quid sit lex. Hæ enim omnes, quas in unum conueniēs
 & consentiens uulgus conscripsit, explanans quæ sunt faciunda, quæ ue fugienda, sunt leges. Alcibiades quærit: Vtrum autem illa faciunda sanxerunt, quæ bona sunt, an quæ mala? Quæ bona sunt, inquit Pericles, non ea quæ mala. Si uerò, inquit Alcibiades, non uulgus, sed quemadmodum ubi pauci dominantur, pauci illi conuenientes, conscribant quid faciundum sit, quid hæc sunt? Omnia, Pericles ait, quæcunq; qui ciuitati præsunt, consultatione de agendis inter se habita scribant, leges appellantur. Si ergo tyrānus etiam scribat quibus dominatur, quæ agenda sunt, & hæc leges nuncupari debent? Ita, inquit: quæcunq; tyrannus dum dominatur scribat, leges appellantur. **Violatio legum.** Violentia uerò & legum transgressio quid sit, ô Pericles: nonne cum fortior debiliorem non persuadendo, sed cogendo impellat facere quodcunq; sibi uideatur? Ita mihi uidetur, ait Pericles. Quæcunq; ergo tyrannus etiam non persuadeat, sed impellat ciues facere, & hæc legū transgressio sunt? Concessit Pericles. Nego nanq; esse, ait, leges, quæcunq; tyrānus non persuadendo scribat. Quæ uerò pauci non persuadendo, sed superando scribunt, utrum dicamus uim esse, an non? Omnia, inquit Pericles, quæ quispiã non persuasum quempiã, siue in scriptis, siue non scriptis impellat agere, potius uis mihi esse uidetur quàm lex. Quæcunq; ergo uulgus etiã cum superat diuites, scribat nõ persuadendo, uis esset profectò potius q̄ lex, ô Pericles. Ita prorsus ô Alcibiades, ait Pericles. Nos quoq; cū æquales tibi essemus, periti in huiusmodi fuimus rebus: talia nãq; cogitabamus ac arguebamus, qualia tu mihi uideris nunc meditari. Ad hæc uerò Alcibiades:

biades: Vtinā ō Pericles, ait, tum tecū fuiffem, cū peritior
 te ipfo in huiusmodi fueris. Cum primū itaq; fe arbitrati
 funt superiores ciuū effe, Socratē quidem amplius nō adī
 bant: nam neq; in alijs eis placebat: et fi quando cum adi
 bāt, increpati de peccatis quæ cōmittebant, egrē ferebāt:
 ad rem uerò publicā gubernandā uacabant, cuius rei gra
 tia cum eo aliquādo fuerūt. Verū Criton, Chærephon,
 Chærecrates, Simmias, Cebes, atq; Phædondes, Socratis
 auditores fuerūt, cæteri quoq; qui cum illo cōuerfabatur,
 nō ut in concionib; aut in iudicijs plurimi ualere, sed ut
 boni atq; honefti efferēt, et domo, et domesticis, et propin
 quis, et amicis, ciuitateq; ac ciuib; suis quā optimē uti pos
 sent. Horumq; nemo nec cū iunior, nec cū senior efferet,
 nec aliquid egit mali, nec fuit accusatus feciffe. Attamen
 aduersarius inquit Socratem iuuentutē docuiffe spernere
 patres, cū eis persuaderet, eos sapiētiores patrib; suis effi
 cere: ac dicere, secundū leges licere ut patrē etiam qui spīā
 afficiat uinculis, dūmodo ignorantē rerū reperiret: argu
 mentoq; tali uteretur, quod scilicet ignorantē à sapiētio
 re ius efferet ligari. Socrates autē qui uinculis afficeret quem
 piā, propterea quod ignorans efferet, illū etiā arbitratur
 oportere ligari ab illis qui sciūt ea quæ ipse ignoret. Qua
 propter nōnunq; cōsiderabat quid interfit inter insanīā et
 inscitiā. Et insanos quidē pro bono sui atq; suorū arbitra
 tur ligādos esse, inscios uerò illorū quæ scire oporteat, o
 portere à sciētib; discere. Verū aduersarius addidit, quod
 nō modò patres, sed alios etiā propinquos parui existimā
 dos esse, Socrates suis persuadebat auditorib; cū diceret:
 Nil propinquos prodesse, nec illis q; aduersa uale tudine te
 nētur, nec illis quorū causa in iudicio agitatur: sed illis qui

dem medicos, his uerò qui in iudicijs conuersantur. Asse-
 ritq; de amicis etiam Socratem dixisse: Nil utilitatis esse
 si beneuoli nobis sint, nisi possint etiam prodesse: solosq;
 illos honoribus esse dignos, qui quæ deceant sciant, et uer-
 bo explanare possint. Cùm ergo persuaderet adolescen-
 tibus, quòd ipse sapientissimus esset, aliosq; posset sapien-
 tes efficere, tales faciebat suos auditores, ut nihili alios om-
 nes comparatione sui putarent. Ego uerò memini eum et
 de parentibus cæterisq; propinquis hæc dixisse: nonnun-
 quam & ad hæc, quòd ubi & à corpore migrauerit ani-
 mus, in quo solo prudentia consistit, corpus simulac fieri
 potest, quamuis familiarissimi hominis sit, conantur ab-
 scondere: dumq; adhuc homines uiuant, quicquid corpo-
 ris sui, quòd longè plus omnibus amant, inutile esset, un-
 gulas, capillos, callos, cæteraq; superflua corporis & ip-
 si incidentes proijciunt, medicisq; cum doloribus et labo-
 ribus abscindendum præbent, atq; amputant, huiusq; rei
 gratia mercedem etiam eis oportere soluere opinantur:
 ac saluam ab ore quamlongissimè possunt, spuunt, quoniã
 nihil insita prodest, sed multò magis nocet. Hæc itaque
 Socrates aiebat, non quòd parentem etiam quidem dum
 uiuat obruendum esse doceret, aut aliquem se sibi abscin-
 dendum: sed ostendens, quòd nullo honore dignum cense-
 tur quod insipiens est, hortabaturq; ut studeant quãpru-
 dentissimi ac utilissimi effici, ut si quis aut à patre, aut à fra-
 tre, aut à quoquã alio uelit honorari, non contēnat uirtu-
 tes cognatione confusus, sed conetur ut à quibus honorari
 desideret, etiã possit eis prodesse. Enim uero accusator So-
 cratem inquit solere à nobilissimis poëtis ea dicta eligere
 quæ peiora sunt, hisq; ut testimonijs usum, docere adole-
 scentes

centes maleficos ac tyrannos esse. Illud nanque Hesiodi: Negocium non est opprobrium, ocium autem opprobriū est: interpretari Socratem solitum asserunt, quod poëta iubeat scilicet à nullo negotio nec iniusto nec turpi abstinendum esse, sed omnia quæstus gratia faciunda. Socrates uerò cum arbitraretur negotium esse utile ac bonum homini, ocium autem nocuum et malum: & operari, bonum, ocio uerò marcescere, malum: quos quidem bonum quippiam facientes uidebat, operari dicebat, ac bonos operarios esse: qui uerò taxillis uacabant, aut aliquid prauum, aut damnosum agebant, ociosos appellabat. Et ita rectè se habeat dicere, negociū non esse opprobrium, ocium autem opprobrium esse. Carmina illa etiam Home-ri aduersarius inquit sæpenumero Socratē dixisse, quod Vlysses si quenquam præstantem ac ducem conueniret, hunc suauis sermone cum appropinquaret demulcebat: O felix, non deceat uti formidolosum pertimescere, sed tu quoque maneat, & persuadeas populo permanere. Cum uerò quenquā uideret uirum plebeium, acreperiret clamantem, hunc sceptro cædebat, ac uerbo increpabat: Infelix, sede immobilis, ac alijs pareas qui præstantiores te sunt: tu uerò effœminatus & eneruatus es, nec bello nec consilio idoneus. Hæc uerò eum interpretari, quasi uelit poëta ut uerberibus afficiatur plebeij ac pauperes homines. Socrates uerò minimè ista aiebat: nam isto modo seipsum profecto diceret esse cædendum. Dicebat autem, illos qui nec uerbo nec opere profunt, nec exercitui, nec ciuitati, nec ipsi plebi, si opus fuerit, præsertim si ad hæc audaces ac insolentes sint, omnibus modis prohiberi oportere, quamuis ditissimi sint. Ipse autem in se popularis

Lichæ hospi-
talitas.

ac humanus erat. Multos nanq; tum ciues tum hospites cupidos sui habens, nullā unquam mercedem suæ doctrinæ exegit, sed omnib. liberaliter ac sine inuidia suam communicabat scientiā, cuius cum paruam alij partem accepissent, magno uendebant: nec erant, ut ille, populares, sed cum illis qui pecuniā dare non habebant, colloqui denegabant. Socrates aut etiam aduenis hominibus ornamentū esse uidebatur ciuitatis, multoq; magis quā Lichas ciuitati Lacedæmoniorū, qui famosus in hoc genere habitus est. Lichas nanq; aduenientibus Lacedæmona hospitibus, gymnasiarum gratia hospitium præbebat: Socrates uerò quādiu uiuebat sua impendens, maximæ utilitati uolentibus erat. Meliores nanq; eos qui secum conuersabantur efficiebat. Cū itaq; huiusmodi Socrates fuisset, honore potius quā morte à ciuitate affici, ut mihi uidetur, debebat. Nam si quis secundū leges consideraret, hoc idem inueniet. Sancitū nanq; legibus est, illum affici morte debere, qui aut furatur, aut latrocinatur, aut rapit, aut in ædes alienas irruit, aut in seruitutē homines redigit, aut sacrilegiū committit: à quibus ille longè plus omnibus hominibus aberat. Insuper nec ut bellum, quod multa mala sequutura erāt, nec seditio, aut proditio, aut aliquod malū accideret ciuitati, causa unquam ille fuerat. Nec priuatim quenquā aut bonis priuauit, aut ut incōmodum patretur, procurauit: et non modò non fecit, sed nec suspectum se unquā de eiusmodi reddidit rebus. Quā igitur ratione dignus esset accusatione, qui pro illo quod obijciebatur, quòd non coleret deos, colebat illos, ut hominib. patefactum erat, plus alijs hominibus? Pro illo uerò quod aduersarius eum accusauerat, quòd iuuentutem corrumperet, manifestè

manifestè eos adolescentulorū qui eo utebantur, quicun-
que prauas cupiditates haberent, ab illis dehortabatur:
illā uerò uirtutē quæ maxima pulcherrimaq; est, quæq;
ciuitates ac domus optimè habitantur, cupere hortaba-
tur? Hæc itaq; agens, cur nō esset in ciuitate maximis ho-
norib. dignus? Verūm quòd summopere proderat etiā il-
lis quib. cum cōuersabatur, partim opere seipsum qualis
esset ostendēs, partim disputationib. usus, horū conscribā
quæcunq; meminerim. Circa igitur deos eo modo uideba-
tur dicere ac agere, quo Pythius illis respondet qui inter-
rogāt quomodo oporteat agere, aut de immolationibus,
aut de maiorū obseruantia, aut de alijs huiusmodi rebus.
Sicut enim Pythius de immolationib. iubet, quòd rectè a-
geret si quis consuetudine ciuitatis utatur, sic etiā Socra-
tes et ipse faciebat, cæterosq; admonebat: eos uerò qui ali-
ter agebant, curiosos et inanes arbitrabatur. Orabat autē
deos simpliciter bona præstare, tanquā optimè dij quæ nā
sint nobis bona scirent. Qui uerò aurū, aut argentū, aut
tyrannidē, aut quippiam huiusmodi à dijs orando pete-
bant, illos simile quid opinabatur orare, ac si ludū taxillo
rū, aut præliū, aut aliquid orassent cuius incertus exitus
esset. Immolationes autē parui sumptus, cū pauca haberet,
offerēs dijs, nil arbitrabatur differre ab illis qui è magnis
diuitijs multa ac magna sacrificarēt. Nec enim deos asse-
rebat plus magnis quàm paruis sacrificijs gaudere: alio-
quin sæpe magis essent eis grata quæ prauis homines offe-
rūt, quàm quæ boni sacrificāt. Nec hominib. uiuendū esse
dicebat, si magis malorū quàm bonorū hominū essent dijs
grate oblationes. Opinabaturq; deos quāmaximè gaude-
re à bonis hominib. eis oblatis honorib. Quapropter illud

quoq; carmen commendabat: Secundum quod potes, immortali-
bus dijs sacrificia offeras. Erga etiam amicos aut
hospites, cæteramq; uitam, optimam hanc admonitionē
esse aiebat: Secundum quod potes, agas. Si quando autem
quicquā à dijs sibi ostendi putabat, minus persuasus fuisset
præter ostensa facere, quàm si quis persuaderet ei, ducem
in uia cæcum pro uidente recipere, & uie ignarum
pro cognoscente. Illos autem qui cauendo hominū opinio-
nes, præter illa quæ dij consulere, facerēt, stoliditate ac-
cusabat. Ipse uerò consultationem diuinam omnibus an-
te ferebat humanis. Tali autem modo uiuendi, corpus ac
animam castigabat, quo quispiam usus, nisi quid diuinū
impediat, facillimè atque securè degat, tantoq; sumptu nō
careat. Tam enim paucis utebatur, ut nescio quis tam
modicum laboraret, qui non posset lucrari quæ Socrati sa-
tis essent. Cibo nanque tam parcè utebatur, ut iucundè
comederet: atque ad illum ita ibat paratus, ut pro epulis
esset sibi cupiditas comedendi. Potus uerò omnis erat ei
gratus, propterea quòd nunquam bibebat nisi sitiret. Si
quando uerò in conuiuium cōuocatus uoluisset ire, à quo
difficillimum plurimis cauere est, præterquam deceat sa-
turari, facillimè ipse ab illo cauebat. Qui uerò hoc facere
non poterant, his consulebat abstinere ab illis quæ persua-
dent non famescendo comedere, neq; sitiendo bibere: hæc
enim esse aiebat quæ uentribus, capitibus, atque animis
noceant. Arbitrari autem, iocando dicebat, idcirco sues
homines effici à Circe, quoniam multis talibus illos nutrie-
bat: Vlysses autem partim Mercurij consilio, partim ab-
stinentia sua, suum factum non fuisse. huiusmodi de his
seriò simul ac ioco dicebat. De rebus uerò ueneris supe-
randis,

*Diæta So-
cratis.*

*Sociorū Vlyssis in sues con-
uersio quid si-
gnificet.*

randis, admonēbat à pulchris abstinere uehemēter. Non enim esse facile aiebat, cū tales homo tangat, modestum esse. Quinimò cū aliquando Critobulum (qui erat Critonis filius) Alcibiadis filio insigni pulchritudine suauitū dare deprehendisset, Xenophontem ipso etiam præsente Critobulo interrogat: Dic mihi, inquit, ô Xenophon, nōne censebas Critobulum hominem esse frugi, nō amatorem? prouidum, non amentem uel temerarium? Prorsus, ait Xenophon. Nunc igitur tibi persuadeas uelim, hunc longè confidētissimum, nec non et audacissimum esse hominem, atq; adeò ut etiam capite in enses se precipitem dare, aut in ignes insilire non dubitaret. Ecquid, inquit Xenophon, eum uidisti facere, ut talem aduersus ipsum ferres sententiam? Nōne, inquit, formosissimum etiam et pulcherrimum Alcibiadis filium ausus est osculari? Verum, inquit Xenophon, si tam periculosa hæc res est, & ego mihi hoc periculum subire uideor. Ad hæc Socrates: O miserum hominem: et quid effecturum te arbitraris, si formosum osculatus fueris? An non ut statim repulsa libertate in seruitutis iugum te tradas, non exiguos uerò sumptus in noxias uoluptates facias, à ueri, boni, honestiq; indagatione uaces: in ijs autē rebus quas nemo sanæ mentis, sed furiosus curauerit, omne studiū tuum colloques? Mehercule, inquit Xenophon, magnam osculo uim inesse dicis. Tum Socrates, hoc tibi mirum, inquit, uidetur? An uerò tu solus ignoras, quòd phalanges (quæ si magnitudinem respicias, ne dimidio quidem obolo conferrì possunt) ubi ore tantum homines apprehenderint, doloribus eos conficiunt, et à sensu mentis abstrahunt? Per Iouem, inquit Xenophon, insigunt enim

aliquid phalanga morſu. O ſtulte, ait Socrates, cenſes ne etiam oſculantes pulchros non immittere quippiam, quod non uideas? An neſcis id animal, quod pulchrũ & formoſum uocant, eò horribilius eſſe phalangijs, quòd hæc tactu ſolum lædunt, illud uerò etſi non tangat, ſed e minus tantum uideatur, inferit aliquid quod inſanire faciãt? Et hinc eſt fortãſis quod Cupido dicitur pharetra tus: quoniã formoſi etiam alongè uulnera inſigunt. Quapropter tibi ò Xenophon conſilium do, ut quamprimũ aliquem formoſum conſpexeris, ita fugias, ut ne retrò quidem reſpicias. Tibi uerò, ò Critobule, conſulo, ut integrum annum peregrineris: uix enim intra id ſpaciũ ab hoc morſu conualueris. Quapropter illos qui non moderati ad res uenereas eſſent, arbitrabatur talibus uti debere, quibus ſi non nimium corpus indigeret, non reciperet animus: ſi uerò corpus indigeret, non faceſſerent negotium animo. Ipſe autem ita contra hæc armatus erat, ut facilius à pulcherrimis abſtineret, quàm à turpiſſimis alij. Circãque cibum ac potum & uenereas res abſtinentiſſimus erat, ac arbitrabatur non minorem abſtinendo uoluptatem habere, quàm ſi quis magna cura uoluptates acquirat, dolorem uerò multò minorem. Si uerò quidam Socratem opinantur, ut ex coniectura nonnulli de eo ſcripſerunt, hortari quidem homines ad uirtutem optimum, introducere uerò in eam minimè ſufficientem fuiſſe: conſiderent non modò quibus cauſa tentamenti interrogationibus uſus, illos qui omnia ſcire opinabantur, redargebat, ſed ea etiam quæ cum ſuis auditoribus colloquebatur indies: ac iſto modo iudicent, utrum poterat illos reddere meliores qui cum eo conuerſabantur.

fabantur. Dicam uerò primùm, quæ quondam cum de deo cum Aristodemo, qui Paruus cognominabatur, audieram disputantem. Cùm enim eum consideraret nec dijs sacrificantem, nec diuinatione usum, quin in contemptu habentem, ac deridentem illos qui ea faciebant: Dic mihi Aristodeme, inquit, sunt ulli hominum, quos ut sapientes admiraris? Ita esse respondit. At ille: Expone nobis nomina, inquit. In uersuum, ait, compositione Homerum ego permaximè sum admiratus: in dithyrambo, Menalippidem: in tragœdia, Sophoclem: in arte statuarum, Polycleturn: in pictura, Zeuxim. Vtrum autem, Socrates ait, illi tibi uidentur magis admirandi esse, qui insipientia et immobilia simulacra operantur, an illi qui animalia scientia & mobilia? Multò per Iouem, inquit, qui animalia faciant, præsertim si non sorte, sed cogitatione hæc fiant. Illorum uerò quæ incerta sunt ad quem finè tendant, quæq; manifestè in utilitatè cedunt hominibus, utra fortunæ, ac utra iudicis rationis et cogitationis opera esse? Quæ in utilitatè sunt, inquit, rationis opera esse decet. Quid uerò, nõ tibi uidetur qui principio homines fecit, utiliter eis addidisse sensus, per quos unūquodq; sentirent? oculos ut uisibilia uideant, aures ut audibilia audiant: sic etiam de ijs quæ odore sentiuntur, quorū nulla esset utilitas, si non additæ nobis nares fuissent. Dulciū etiam et acutorū quis nobis esset sensus, si non fuisset nobis lingua data iudex illorū? Et ad hæc, non uidetur tibi hoc etiam providentiæ opus fuisse, quòd cum uisus imbecillis esset, palpebris eum circūuallare, quæ cùm opus fuerit uti uisu, aperiuntur, in somno uerò clauduntur? Vt uerò ne uenti nocere possint, pilos palpebrarum quasi decola-

torium, ac supercilia eminentia super oculos imposuit, ne qui descendit à capite sudor noceat. Quòd autem aures suscipiunt quidem omnes uoces, nunquam uerò implentur. Dentiumq; anteriores quidem omnibus animalibus tales constructi sunt ut secare possint, genuini autem ut ab illis cibum incisum susceptum molere ualeant. Ac os, per quod animalia ea quæ capiunt immittunt in uentrem, prope oculos naresq; situm est. Turpium uerò ac foetidarum rerum quæ proijcienda sunt, illorum inquam conductus retro construxit, ac regionem eis tribuit quàm longinquam à sensibus. Hæc omnia cum tanta providentia facta, dubitas an fortunæ, an rationis sint? Non per Iouem inquit: quin ita consideranti mihi, uidentur hæc omnia sapientissimi creatoris, animantibusq; affecti, opus quoddam fuisse. Quòd autem cupiditatem procreandæ prolis innatam nobis immisit, matribus uerò cupiditatem nutriendi, procreatis autem atq; nutritis magnum uiuendi desiderium, maximumq; moriendi timorem, et hæc omnia nempe uidentur illius esse, qui consilio & cogitatione esse animantia uoluit. Tu uerò te ipsum non putas aliquid habere prudentiæ? aut cùm habeas, nonne alibi etiã arbitraris prudentiam esse? præsertim cùm scias paruã te partem à tota terra, quæ magna est, in corpore habere: à totaq; quãtitate humiditatis, paruam partem: aliorum quoq; quolibet magno existente, à parua parte corpus tibi compositum esse: intellectum autem putas, si nusquam esset, te potuisse feliciter accipere? Aut hæc omnia tam multa & infinita multitudine, tamq; magna per ignorantiam bene ordinata esse putas? Ita puto me hercle. Non enim uideo qui ea ordinent, sicuti uideo qui ista fabrican-

bricantur, quæ in hoc mundo fiunt. At nec tuum animū tu uides qui in corpore dominatur, ita ut secundum hoc liceat tibi dicere, nō ratione, sed casu omnia te facere. Tū Aristodemus: Non negligo ego deum, ô Socrates, inquit, sed arbitror eum maiorē esse, quā ut indigeat meo cultu. Imò, Socrates ait, quantò tibi maior esse uidetur, tantò magis colendus ac adorandus est. Scias, ô Socrates, inquit, quòd si arbitrarer deos hominū habere curam, non negligerem eos. Et cur, ait, non opinaris eos de nobis curare, cū uideas eos primū quidem solum hominē animalium rectum creasse: quod multa prouidere posse facit, magisq; respicere quæ supra se sunt, ac minus laborare: uisumq; & aures, ac os dedisse? Deinde alijs quidem gradientibus pedes solum præstasse, qui ad ambulandum conferunt: solum homini uerò manus quoq; addidisse, quibus plura operatur, propter quæ feliciores cæteris animalibus sumus? At linguam cū omnia animalia habeāt, solam humanam talem fecisse, ut modò hanc, modò illam partem oris tangat, ac uocem articulet, alterq; alteri quæcunq; uelit significet? Voluptates quoq; ueneras cū cæteris animalibus determinasset in aliqua parte anni, nobis continuè ad senectutem usque præstitisse? Non uerò satis habuerūt de corpore nostro curasse, sed, quod maius est, animum quoque quam optimum homini immiserūt. Cuius nanq; alterius animalis animus, primū quidem cognouit maximarum optimarumq; rerum creatores deos esse? Quod uerò aliud genus, præter homines, deos colit? aut quæ anima accommodatior humana est, uel ad famem præcauendam, uel sitim, uel frigora, uel æstus, aut morbis obuiandum, aut robur exercitatione consequen-

dum, aut ad doctrinam percipiendam laborandum, aut quæcunq; audiuerit uel uiderit, perdoctusq; fuerit, memoria retinendum? An non planè tibi perspicuū est, quasi deos inter cætera animalia homines uiuere, ipsa natura omnibus alijs corporeq; animaq; præstantes? Nec enim si bouis corpus haberet, mentem autem hominis, quæcunq; uolisset agere potuisset. Nec illa, quæ cum manus habeant, amentia sint, aliquid plus habēt. Tu uerò cum utrumque optimum à dijs habeas, non arbitraris eos tui curam habere? Quando ergo, aut cum quid faciant, putabis eos pro te curare? an cum consiliarios tibi mittant, quemadmodū tu dicis eos mittere debere, ac instruant quid agendum, quid ue non agendum sit? Cum uerò, ait, Atheniensibus per diuinationem interrogantibus quippiam respondeant, aut cæteris Græcis, aut omnibus hominibus aliqua quibusdam prodigijs futura significant, nōne tibi quoque putas eos respondere? sed te solum parui facere atq; contemnere arbitraris? An tu putas opinionem hominib. à dijs innatā fuisse, sufficientes eos ad bene uel malè agendum esse, si non essent sufficientes? ac arbitraris homines perpetuò deceptos, nunquam sensisse? Nōne consideras quòd illæ ciuitates ac gentes maximè deos colunt, quæ uetustissime sapientissimeq; sunt? Aetatū quoq; illa pijsissima, quæ prudentissima etiā est? Disce, ô optime, ait, quòd tua etiā tibi insita mens, quemadmodū uelit, tuum corpus gubernat. Itaq; opinandum est illam etiā, quæ totū continet, sapientiam, quemadmodum sibi placitum est, sic omnia gubernare. Num putas, tuum quidem oculum posse ad multa usq; passuum millia peruenire, diuinū autem oculum impossibile esse simul totum conspicerè? Aut
tuam

tuam quidem animam de his quæ apud diuersas regiones geruntur, aut Athenis, aut in Sicilia, siue apud Aegyptios, posse cogitare, prudentiã uerò diuinã omnia simul non posse curare? Nempe si quemadmodũ cum gratũ hominibus facias, facile eos qui gratũ tibi faciunt cognoscere potes: cumq; consiliũ petas, quinam prudentes sint haud ignoras: sic etiam dijs grata faciens, experientiam capere uelis, si qui eorum consulerent quæ incerta hominibus sunt, scies eos profectò tales esse, ut simul omnia uiderent ac audirent, et ubiq; adessent, simulq; omnium curam haberent. Itaq; mihi uidetur cum hæc diceret, suis auditoribus persuadere, non modò cum ab hominibus uideantur, ab iniustis & turpibus & impijs rebus abstinere, sed non minus cum in solitudine essent: cum certò tenerent nihil eorum quæ agerent, deos latere. At si bonum ac honestũ hominibus continentia est, consideremus utrum introduxerit ad eam, huiuscemodi dicens: O uiri, aiebat, si bello nobis indicto eligere hominẽ uelimus, per quem nostram salutem, ac aduersariorum conflictum consequuturi sumus, num illum eligemus qui gula, qui ueneri, qui uino, qui somno seruit, qui laborem perferre nõ possit? At quo pacto cum talis ille sit, aut nos saluos facere, aut hostes nostros conuincere possit? Si autem ab hac uita migraturi, uelimus testamento cuiquã aut filios educandos, aut filias uirgines conseruandas, aut custodiendam pecuniam relinquere, num hominem incõtinentem arbitramur aptum ad hæc esse? Seruo uerò non continenti, commendabimus aut pecudes, aut penum, aut cuiusquam operis curam? ministrũ autem talem aut ememus? gratis etiam nobis datum acceptabimus? Quòd si nec seruum incõtinentẽ ha-

bere expediat, multò magis de nobis ipsis, ne tales efficiamur, contendendum est. Non enim quemadmodum iniusti cum aliorum pecuniam arripiunt, sibi ipsis diuitias accumulunt, sic etiam incontinens cæteris quidem nocet, sibi ipsi prodest: uerùm cæteris etiã, sibi ipsi multò plus nocet. Siquidem perniciosissimum est non modò suam domum destruere, sed non minus corpus, ac etiam animam propriam. In conuersatione uerò quis eo delectetur, qui cibo & potu, ac meretricibus potius, quàm amicis affectus sit? Nonne omnem hominem oportet, cum continentiam sciat uirtutis fundamentum esse, hanc primam in animam deponere? Quis nanq; sine ista aut quicquam disceret bonum, aut exercitatione perciperet? Aut quis uoluptatibus seruiens, non omni turpitudine corpusq; animamq; suam polluet? Mihi enim mehercle uidetur optabile esse libero uiro, nec seruum talem habere. Quòd si ipsemet huiuscemodi seruiat uoluptatib. deprecari deos oportet, ut bonos dominos consequi possit: hoc enim modo dütaxat talis homo saluus effici possit. Cum uerò hæc diceret Socrates, multò continentiore se operibus quàm uerbis monstrabat. Non enim solùm has uoluptates, quæ per corpus acquiruntur, superabat, sed illas etiam quæ per pecuniam: non immeritò putans eum, qui à quocunque pecuniam recipit, sui ipsius dominum illum cõstitueret, ac seruitutem subire, nulla quauis alia minus turpem. Dignum autem duco quæ cum Antiphone sophista disputauit, non præterire. Quondam enim uolens Antiphonæ auditores Socratis ab illo abducere, adiens eum præsentibus illis, sermonem in hunc modum habuit: Ego quidem, Socrates, arbitrabar eos qui philosophiæ operam dant, feliciores

feliciores effici oportere. Tu uerò mihi uideris ista tua
 philosophia in contrariū frui. Talem enim uitam ducis,
 qualē nullus seruus domino subiectus sustineat: cibumq;
 sumis, atque potum uilissimum bibis: uesteq; non modo
 trita, sed etiam eadem, tam in æstate, quàm in hyeme uesti
 tus es. Insuper nudis pedibus, & absq; tunica incedis. Et
 ad hæc pecuniam, quæ & cùm congregatur letificat, &
 accumulata quàm uoluptuose uiuere facit, accipere re-
 nuis. Si ergo quemadmodū cæterarū artium magistri, di-
 scipulos suos imitatores sui efficiunt, sic etiam tu tuos au-
 ditores similes tibi reddas, infelicitatis nempe te esse ma-
 gistrum non dubites. Tum ad hæc Socrates: Mihi uide-
 ris, ô Antipho, inquit, tam miseram me ducere uitam ar-
 bitrari, ut citius eligeres mori, quàm quo ego uiuere mo-
 do. Agè ergo consideremus. Quid uitij in mea uita com-
 prehendisti? Vtrum quoniam accipientibus quidem pecu-
 niam, necesse est illud facere, super quo mercedem acce-
 perunt: mihi uerò cùm non recipiam, nec necessitas sit de-
 sputandi cum quib. nolim? An modum uiuendi mei parū
 existimas, atque opinaris quòd minus ego quàm tu, salu-
 bria ederem, aut minus nutritiua? An putas forsassis com-
 paratu ea difficiliora esse, quibus ego utor, quàm quibus
 tu ipse, eò quòd sumptuosiora, ac maioris precij sint? Ve-
 rum forsitan delectabiliora tibi, quæ pro te apparantur
 ducis, quàm mihi quæ ego sumo. Atqui ignoras, eum qui
 cum auiditate comedit, minimè epulis indigere: qui que
 cum auiditate bibat, minimè potum exquisitum absentem
 desiderare? At uestibus quicunque diuersis utuntur, fri-
 goris & æstus causa mutant, calceisq; pedes induunt, ne
 propter ea quæ pedes offendunt, ambulare impediātur.

Dic igitur, quæso, si quando me comprehendisti aut frigus causa plus cæteris domi manentem, aut æstus gratia pro umbra cum aliquo contendentem, aut propter pedum dolorem non prodire quocumq; uellem? Nonne certò tennes, eos ipsos qui natura ipsa corporis imbecilles sunt, per exercitationem tamen multò fortiores ad ea quæ meditantur effici, ac facilius ea sustinere, quàm illos qui corpore fortissimi, inexercitati tamen sunt? Cur igitur me quoq; non opinaris per exercitationē omnia posse sufferre facilius te nō exercitato? Enim uero quā tu putas causam esse, ne gula, ne somno, ne deniq; luxuriæ seruiam, quàm quòd cætera multò dulciora his habeā, quæ nō modò cum habeātur delectant, sed etiam quoniā spem faciūt, fore ut semper profint? Insuper hoc quoq; fugere te non oportet, quòd quicumq; se arbitrantur in his, in quib. agunt, nō proficere, delectari non possunt: quicumq; uerò siue in agris colendis, siue in nauibus gubernandis, siue in quacumq; alia arte peragenda se proficere uideant, tanq̄ feliciter degentes oblectantur. Cumq; à nullo istorum omnium talis nobis letitia nascitur, qualē habere quis possit cum se putet effici meliorem, ac meliores amicos acquirere, quod equidem in dies de me arbitrari nō desino: propterea si quid aut amicis, aut ciuitati prodesse oporteat, utri plus ocij ad hæc procuranda erit? an illi qui quemadmodum ego affectus sum, an illi qui ut tibi beatum uideatur, sic uiuat? Ad rem autem militarem, utrū qui sine sumptuoso uictu uiuere nō possit, an ille cui satis omne quod contingit, est, aptior iudicabitur? Aut utrum ille citius expugnabitur qui inusitatis & sumptuosius indigeat, an ille qui mediocriter utatur illis etiā quæ in cōmuni usu sunt?

Videris

Videris ô Antipho, felicitatem delicijs & diuitijs metiri. Ego autem nullis quidem indigere rebus, diuinum: minimis uerò, illorũ esse duco, qui quamproximi superis sint: & diuina quidem optima omnibus: qui uerò dijs appropinquant, proximos optimo existere. Rursus cum quondam idem Antipho cum Socrate disputaret: O Socrates, ait, ego te iustum quidem esse arbitror, sapientem autem minimè: quod etiam tibi constat, ut puto. A nullo nanque, propter quod tecum conuersantur, pecuniam exigis. Atqui si uestem, aut domum, aut quippiam illorum quæ possides, precio dignum existimares, non modò gratis non dares, sed nec pro minori pecunia quàm ualeat. Itaq; perspicuum est, mercedem tuæ cõuersionis te petiturum esse profectò non minorem quàm oporteret, si quam utilitatem posse eam cõferre hominibus scires. Iustus igitur non iniuria es, cum non decipias homines exigendo pecunias: sapiens autem minimè, cum nil laude dignum cognoscas. Ad hæc autem Socrates: Apud nos, ô Antipho, inquit, existimatur eodem modo sapientia, quo pulchritudine posse aliquem uel honestè uti uel turpiter. Pulchritudinè nanq; si quisquã pecunia prostituat omni uolenti, fornicatorè cum appellant. Si quis autem quemcunq; senserit bonum et honestum sui amatorem esse, cum illo in amicitiam coniungatur, illum modestum putamus. Sapientiamq; similiter, si quis ut sophistæ solent facere, omni uolenti pecunia uendat, sophistam quasi fornicatorè nominant. Quicumq; autem ingenio præditũ hominem docendo quodcunq; boni ipse sciat, amicũ sibi efficiat, hunc illa arbitramur agere, quæ bono honestoq; ciui faciũda sunt. Itaq; ô Antipho, sicut alius quidam aut equo bono, aut ca

ne, aut a uibus delectatur, sic & multò magis etiam ego bonis amicis delector, ac eos si quid ego boni sciam, doceo: cæteris quoq; eos commendo, quos putem profuturos eis ad uirtutem percipiendam: thesaurosq; sapientium priscorum, quos illi literis mandantes nobis reliquerunt, unà cum necessarijs meis reuoluens, si quid reperiamus boni, elicimus, magnumq; lucrum arbitramur si amicitia coniungamur. Cum ergo ipse hoc audirem, & ille mihi uidebatur esse beatus, suosq; auditores ad uirtutem conducere. Cum autem iterum Antipho interrogaret Socratem, cur cum alios putet reipub. gubernatores efficere, ipse non uacet in ipsa ciuitate gubernanda, si quidem hoc facere sciat? Vtrum ô Antipho, inquit, solus rempub. melius gubernarem, an si quamplurimos ad hoc opus sufficientes efficiam? Vtrum autem suos auditores ab arrogantiâ dehortabatur, uirtutiq; operã dare hortabatur, hinc consideremus. Semper nanq; dicebat, non esse meliorem uiam ad honores acquirendos, nisi per quam bonus quisque effici, et non uideri uelit. Quòd autem hoc uerum esset, sic demonstrabat. Consideremus nanque, aiebat, si quispiam non bonus tibicen, apparere bonus uelit, quid sibi faciendum esset: nõne in illis bonos tibicines imitari debet, quæ extra artem propositã sunt? Primò nanq; quoniã illi supellectilem ornatã possidēt, ac multos pedisequos circumducunt, et huic similiter agendum est. Deinde, cum illi à multis laudentur, & huic multi laudatores preparandi sunt. Verum opus nullum est faciendũ: quod si tentaret, confestim ridiculus apparebit, & non modò malus tibicen, sed homo etiam arrogãs. Atqui si cum pecuniam grandem consumeret, nihil utilitatis acquireret,

Ad honores
acquirendos uia
optima.

quin

quin malam de se hominibus existimationem relinqueret, quo pacto non ridiculose et inutiliter uiueret, cumq; dolore atq; mœrore? Similiter si quis cum non bonus sit, aut imperator, aut gubernator, apparere uelit, quid accideret ei perspicimus. Nempe, si cum desideret apparere sufficiens esse ad hæc peragēda, persuadere non possit, tristissimū est: quòd si persuadeat, multò miserabilius. Constat enim, quòd si aut gubernare constituatur, aut exercitum ducere, qui nescius harum artium est, perdet eos profectò quos minimè uelit, ipse quoque turpiter ab incepto cessabit. Eadem etiam ratione inutile monstrabat esse, diuitem, aut fortem, aut robustum quempiam, cum non sit, apparere uelle. Iuberi enim eis aiebat, maiora quàm possint: quæ cum agere non queant, appareant tamen sufficientes ad hæc peragenda, ueniã minimè consequuntur. Deceptorem autem non illum appellabat, qui cum parum quippiam aut argentum, aut uasculum quodam persuaso accipiens, eo illum priuaret: illum uerò multò maiorem, qui cum nullius precij sit, seductionibus persuadeat, sufficientem se esse ciuitati præesse. Mihi itaq; uidebatur cum hæc Socrates assereret, ab arrogantiã etiam suos auditores abducere.

XENOPHONTIS DE FACTIS ET
 DICTIS SOCRATIS MEMORATV
 dignis liber secundus, Bessarione Car-
 dinale Niceno interprete.



V M uerò huiuscemodi diceret, uidebatur mihi ad continentiam cibi, potus, libidinis, somni, frigoris, æstus atq; laboris, suos auditores impellere. Sentiens enim quendam eorū qui secum conuersabantur, in his incōtinentiorem: Dic mihi ô Aristippe, ait, si oportuerit duos adolescentulos tibi traditos, alterum ut dominari possit, alterū uerò ut nunquam desideraret dominium, educare, quo utrunque erudias modo? An approbas ut à nutrimento ipso, tanquā ab elemento incipientes, consideremus? Approbo, Aristippus ait: nutrimentum nanq; principium omnium est, nec ullus uiuere possit nisi nutriatur. Velle igitur cūm tempus adesset cibum sumere, utrisque uerisimiliter conuenit. Concessit Aristippus. Eligere uerò potius illa agere, quæ cogunt, quàm uentri seruire, utrū istorum assuescere debemus? illum, inquit, mehercle qui dominandi artem discit, ne res ciuitatis propter ociū illius languescant. Et cūm bibere uelit, posse sitim sufferre, eidem addatur necesse est, ait. Ita prorsus, Aristippus inquit. Continentem uerò in somno capiendo esse, ut possit et tardè dormitum ire, et ante diluculū surgere, ac uigilare si opus fuerit, utri addendū est? Hoc etiam, inquit, eidem. Venere autem, inquit, abstinere, ne propterea impediatur agere quæcunq; oporteat? Et hoc, respondit Aristippus, eidem addere oportere. Non abhorreere uerò à laborib; sed ultrò eos subire? Et hoc, inquit, eidem conuenit. Discere au-
 tem

tem si qua doctrina ad aduersarios superandos conferat, cui magis cōuenit? Illi per Iouem, inquit, qui ad dominandum intendit. Nil enim cætera proderunt, ni istis doctrinis sit eruditus. Qui ergo huiuscemodi reb. sit præditus, nōne tibi quoque uidetur minus quàm cætera animalia ab aduersarijs mancipari? Istorū enim quædā à uentre seducta, quamuis nōnulla suspicentur futura pericula, cupiditate tamen edendi ad laqueum usq; ducta capiuntur: quædam autē potu falluntur. Ita est, inquit. Cætera uerò propter libidinem, ut puta casitæ & perdices, ad uocem fœminæ, cupiditate et spe ducta, ita ut nō possint pericula præuidere, incidunt in laqueos. Concessit Aristippus. Num igitur tibi uidetur, Socrates ait, turpe homini esse eadem pati quæ etiam feræ insipientes? sicuti adulteri carceribus mancipantur, cum tamen sciant periculum esse adultero, quæcunq; leges minantur, pati, ac insidiari & capi, & contumelijs affici? Cum igitur talia imminet, et mala turpissimaq; pericula, multaq; sint quæ à cupiditate uenera illum liberarent, nōne infelicissimi & insani-entis hominis est ad hæc pericula impelli? Ita, inquit, mihi quoq; uidetur. Cum aut plurimi atq; necessarij actus hominū palam omnibus & in campis agendi sint, utpote bella, agriculturæ, cæteriq; quamplures: nonnullos hominum exercitatos non esse ad frigus & æstus sufferendos, nōne magna desidia est? Magna, inquit, per Iouem. Concedis igitur, ait, in illis quoq; facillè ferendis, cum qui princeps futurus est, oportere exercitatum esse? Prorsus, inquit, oportet. Si itaq; in his omnibus continentes cum illis connumerandi sunt, qui dominandi arte erudiantur: qui non possunt hoc agere, nempe cum illis aggregandi sunt,

qui longè absint à spe dominandi. Concessit etiam hoc. Cùm igitur utriusq; horum, inquit, haud ignoras gradû, considerasti aliquando quo cum teipsum aggregare debes? Ita, inquit Aristippus: nulloq; pacto cum illis esse connumerandum existimo, qui dominari uelint. Valde nanque insipientis hominis mihi esse uidetur, non satis habere, si sibi ipsi quæ oporteat compararit, cùm hoc etiam solum maximum sit, sed obligare se uelit ad ea præstanda cæteris etiam ciuibus quibus indigeant: ac sibi quidē ipsi non posse satis in omnibus facere, gubernando autem ciuitatem, si non opera sua quæcunq; uelint ciues adipiscantur, supplicijs affici. Hæc quis non dicat magnam insipientiã esse? Quemadmodum enim ego meis ministris, sic etiam ciuitates uti debere existimant magistratibus suis. Ego nanque dignum duco famulos meos mihi quidem copiose præparare quibus indigeam, illos uerò nihil illorum tangere. Ciuitates quoque oportere arbitrantur sibi quidem ipsis opera magistratuû quamplurima bona præberi, illos autem ab omnibus illis abstinere. Ego itaq; illos quidem qui uelint multis negocijs obrui, ac alijs occupationes præstare, eo quo dictū est modo erudiens, cum his aggregabo qui dominandi cupidi sunt. Me autem ipsum cum ipsis connumerabo, qui magnifaciant quamfacilimè & suauiter uiuere. Tum Socrates: Placet inquam etiam hoc considerare, utrum principes an subditi iucundius uiuant? Vehementer placet, ait. Gentium itaq; inquit, quæ ad nostram usque peruenerunt notitiam, in Asia quidem Persæ dominantur: seruiunt autem Syri, Phryges, & Lydi. In Europa uerò Scythæ dominantur, iussa autem capiunt Mæotæ. In Libya autem Carthaginenses dominantur,

obtem-

obtemperāt uerò Libyes. Vtros igitur horū suauius uiuere arbitraris? Aut Græcorum cum quibus tu quoq; habitas, utrum illi qui ciuitatibus præsunt, an qui subditi sunt, iucundius tibi uiuere uidentur? Sed ego tamen, inquit Aristippus, neq; in seruitutem me aggregandum esse duco, sed in media horum uia, quæ neque in principatu, neque in seruitute consistit, sed in libertate, quæ quidem maxime ad felicitatē conducit. Attamen, Socrates ait, si quemmodum neque in principatum, neque in seruitutem hæc uia ducat, sic etiam nec inter homines te duceret, fortassis rectè diceres. Quòd si cum hominib. conuersatus, nec dominari, nec seruire uelis, nec illis ultrò obedias qui ciuitatibus præsunt: scias uelim, non ignorare superiores quibus modis inferiores priuatim et publicè seruos etiam nolentes efficiant, ac ut seruis utantur. Non enim te fugit, quòd segetes et arbores nonnulli metūt ac incidunt, quas alij seminarunt atq; plantarunt. Omnibusq; modis constringunt obsidionib. quos nouerunt inferiores esse, quoad persuaferint eis, seruitutem potius quàm bellum cum fortioribus eligere. Priuatim etiam qui fortes & potentes sunt, imbecilles ac impotentes seruituti mancipant, atque potiri eis conantur. Sed idcirco, Aristippus ait, ne huiuscemodi patiar, in nullam rempublicam me concludo, sed ubique sum hospes. Hic Socrates: Istud uerò periculosum certamen est, inquit. Nam posteaquam Sinnes, & Sciron, atque Procrustes obierunt, nemo quidem hostibus iniuriam facit: ueruntamen omnes quibus quamoptime suas inhabitare ciuitates curæ est, leges ut à nullo patiantur iniuriam, ponunt: amicos unà cum necessarijs alios etiam cōparare conātur adiutorij causa, ac ciuitates

muniunt mœnibus: et armis, quibus se tutari possint, utun-
 tur: & ad hæc alios etiam aliunde socios præparant, &
 tamen cum his omnibus iniurias nonnunquã patiuntur.
 Tu uerò nihil illorũ habens, in uijs autem (ubi plurimis
 iniuriæ inferuntur) multo tempore uersatus, quancunq;
 uerò ciuitatem adibis, ciuibus omnibus inferior, ac talis
 existens, quales ut plurimũ spernunt quicunq; iniuriam
 inferre uelint, propterea tamen quòd hospes es, putas te
 non passurũ iniurias? An propterea quòd ciuitates secu-
 ritatem tibi et eunti et abeunti pollicentur, confidis? an
 fortassis quoniã seruus etiam talis opinaris esse futurus,
 qualis nulli proderit domino? Quis nanq; habere in do-
 mo hominẽ uelit, qui laborare quidẽ renuat omnino, sum-
 ptuoso aut̃ apparatu delectetur? Consideremus ergo quo
 pacto talib. seruis domini utantur. Nõne libidinem qui-
 dem illorũ fame castigãt? Furari uerò prohibent, cum ab
 eis auferũt omnem furandi facultatem? Compedibus aut̃
 fugiendi amputant libertatem? Ociositatem uerò uerberi-
 bus excitãt? Aut quomodo tu facis, cum talem quenquam
 tuorum ministrorũ esse deprehendis? Supplicijs uerò om-
 nibus afficio, ait, quo ad usq; seruire coguntur. Sed tamen,
 ô Socrates, inter illos qui ad dominandi artem erudian-
 tur, quam tu felicitatem esse ducas, et illos qui coacti ex ne-
 cessitate multis laborant incommodis, nihil interesse mi-
 hi uidetur. Siquidem famescunt, sitient, & uigilabunt, ac
 frigoribus alijsq; afficientur laboribus ultrò. Ego nanq;
 nescirem quid differt, eandem pellem aut spontè, aut in-
 uitè cædi: aut idem corpus his omnib. siue spontè, siue in-
 uitè subijci. Nil enim aliud nisi insanire mihi uidetur, qui
 hæc ultrò sustinere uelit. Ad hæc uerò Socrates: Nõne

Aristippe, inquit, ista ratione tibi uoluntaria à contrarijs differre uidentur? qua qui ultrò famescat, edet cum uoluerit: quiq; sponte sitit, bibet: et in alijs similiter. Qui uerò ex necessitate patitur, nō licebit ei cum uoluerit ab his liberari. Præterea qui s̄p̄ òtè hæc patitur, bona spe ductus letatur: quemadmodū illi qui feras uenantur, spe capiēdi libenter laborant. Atq; talia præmia laborū paruifacientia sunt. Qui uerò conantur ut quāoptimos amicos habeant, siue ut inimicos expugnēt, siue ut fortes corpore animoq; effecti, et suam domū bene habitent, suisq; profint amicis ac patriæ, quis dubitet istos laborare suauiter in huiusmodi rebus, ac cum lætitia uiuere? cum et seipfos apprimè mirentur, et ab alijs laudentur. Ad hæc aut, molities quidē et uoluptates in promptu positæ, nec corpori sanitatem (ut hi asserunt qui gymnasijs præsumt) nec animo ullam sententiam cuiusquam existimationis, præstare possunt. Studiū uerò et patientia bonarū atq; honestarū artium causa sunt, ut optimis uiris uideatur. Dicit aut̄ Hesiodus: Prauitatem quidem simul totam licet eligere facile: plana enim ad hanc ducit uia, cum ualdè prope habet. Virtuti uerò sudorem præposuerūt dij immortales. Virtus laboris Longum enim et arduū iter ad eam: quod cum asperū primo sit, amœnum postea fit, cum ad ultimū quis peruenerit. Epicarmus quoq; his uerbis hoc idem testatur: Laborib. omnia nobis dij uendunt. Necnō in alio loco idem ait: O improbè, nōne planè malus es, qui non habeas res aduersas? Necnon sapiens Prodicus in illo quod de Hercule ædedit opere, similiter disputat de uirtute, in hūc modum, quantum ego memini, dicens. Ait nanq; Herculem, cum à puerili ætate ad adolescentiā perueniret, cum ado

lescentes iam sui arbitrij effecti, ostendunt siue per uiam uirtutis, siue uitiorū uitam suam ducent, egressum in solitudinem, confedissee cogitationibus agitatum, utram uiam supradictarum præponeret: ubi duas ad eum apparuisse accedere mulieres magnas, alterā honestam et liberalem uisu, ex ipsa natura corpus quidē munditia ornatam, oculos uerò uerecundia, effigiem autem totam castitate, alba ueste uestitam: alteram uerò ad carnositatem atq; mollitiem esse nutritā, ornatam uerò colorem quidem ut albior atq; rubicundior: effigiem uerò, ut rector quam à natura esset, appareret: oculos aut uagantes atq; apertos habentem: tali ueste uestitam, ex qua pulchritudo quammaxima coruscet, sepeq; seipsam respicere & attendere, si quis etiā alius eam uideret: nonnunquā autem et ad propriam umbram aspiciere. Cū autem propius Herculem accesserunt, primam quidem eodem modo ire, alterā uerò præuenire uolentem, cucurrisse ad Herculem, atq; dixisse: Considero te, ô Hercules, dubitantem quam uiam eligas. Si itaq; me diligas, ad uoluptuosissimā facilimamq; te ducam uiam, & illa quidem quæ delectant omnia gustabis, laboris expers uiuens. Primum nanq; neque bellorum, neque negotiorū curam habebis, sed potius considerabis quem tibi gratum aut cibum, aut potum inuenias, quidue uisu, aut odoratu, aut tactu uoluptuosum percipias, quibusq; cupiditatibus usus, quammaximè delectatione affectus fueris, quoq; pacto mollissimè dormias, et absque laboribus omnia ista obtineas. Quòd si quando deficere illa quibus hæc acquiruntur suspicio sit, non erit metuendū, ne te ducam ad ista corporis animiq; labore et ærumnis paranda: sed illis tu uti poteris, quæ ceteri operantur

Voluptatis oratio.

rantur, à nulloq; abſtinebis unde lucrū aliquod ſubſten-
 datur: undiq; nanq; utilitatē ſuam acquirere meis neceſ-
 ſarijs licet. Hæc cum audiſſet Hercules: O mulier, inquit,
 quod nomen eſt tibi? At illa: Mei quidem amici, ait, Felici-
 tatem me appellant: qui uerò oderunt, Prauitatē me no-
 minant. Cumq; hæc dicerentur, altera mulier acceſſit, &
 dixit: Ego quoque ad te uenio Hercules, cum ſciam tuos Virtutis
 parentes, naturamq; tuam, & ingeniū in ſtudijs conſide- oratio.
 raſſem, è quibus non modicum ſpero, dummodo meam e-
 ligas uiam atq; doctrinam, & te uirtutis cupidum, bono
 rumq; ac honeſtorū operum effici cultorem, meq; multò
 honorabiliorem & in bonis præclariorem fore. Non de-
 cipiā autem te, à uoluptate exordiēdo, ſed qualem re-
 bus dij contulerunt naturam, tibi cum ueritate narrabo.
 Nil enim eorum quæ bona atq; honeſta ſunt, dij homini-
 bus ſine labore & ſtudio præſtant. Sed ſiue deos eſſe tibi
 propitios uis, colendi ſunt ipſi dij: ſiue ab amicis diligi,
 amicis benefaciendum: ſiue à quapiam ciuitate honorari
 deſideras, ciuitati aliqua utilitas adferenda: ſiue à tota
 Græcia ob uirtutem admiratione dignus exiſtimari, con-
 nandum eſt toti Græciæ benefacere: ſiue tibi terram fru-
 ctus producere, terra colenda: ſiue à iumentis diuitias
 acquirere, iumentorum tibi cura habenda eſt: ſiue per-
 bellum deſideras augeri, ac uis amicos quidem à ſeruitu-
 te liberare, inimicos uerò in ſeruitutem redigere, belli-
 æ artes & diſcendæ ſunt ab illis qui ſciunt, & exercendum
 in eis, quomodo eis debeas uti. Si uerò uelis corpore etiā
 fortis eſſe, ſubijciendum eſt animo corpus, ac exercendū
 in laboribus atq; ſudoribus. Prauitas uerò interpellans, Voluptatis o-
 ut Prodicus narrat: Intelligis ô Hercules, inquit, quā ratio.

asperam ac longā uiam ad delectationes hæc mulier nar-
 rat? Ego uerò perfacili ac breuissima uia ad felicitatem te
 ducam. Ad hæc uirtus respondens: O misera, inquit, quid
 boni tu habes, aut quid tibi suaue uideri potest, cum nihil
 horum gratia agas, nec suauium desiderium expectes, sed
 antequam cupias, omnium istorum implearis? Nam ante-
 quam famescas, comedis: & antequam sitias, bibis: & ut
 cum uoluptate comedas, exquisitorum ciborum uteris co-
 quis. Ut uerò uoluptuose bibas, uina uaria preciosaque,
 ac in æstate circumiens hinc & illinc quæritas niuem. Ut
 autem quam suauiter dormias, non solum stratum molle
 supponis, sed lectos & lectis subsellia paras. Non enim
 propter laborem, sed quoniam nil habes quod agas, som-
 num desideras. Res uerò uenereas omnibus machinatio-
 nibus & antequam corpus indigeat, exerces. Ipsi etiam
 uiris, ut mulieribus uteris. Sic enim tuos amicos instruis,
 nocte quidem in turpitudinibus uacans, quod autem uti-
 lissimum dici est, in somno consumens. Cum uerò immor-
 talis sis, à dijs quidem proiecta es, à bonis uerò homini-
 bus ignominia affecta. Nunquam, quod auditu dulcissi-
 mum est, tuam audisti laudem: nec quod suauissimum ui-
 su, bonum ullum tuum opus uidisti. Quis igitur cum ali-
 quid dicas crederet tibi? aut cum indigeas, quicquam ti-
 bi præstaret? Aut quis sue compos mentis, uoluerit inter
 tuos connumerari, qui in iuuentute quidem corporib. de-
 biles, in senio uerò amentes efficiuntur? cum adolescen-
 tiam cum pigritia in delicijs peragant, in senio aut mul-
 tis laboribus & infirmitatibus confringantur: quiq; ue-
 recundati super his quæ egerunt, non tamen minus super
 his quæ agunt, grauantur, tanquam qui in iuuentute om-
 nibus

nibus uoluptatibus affecti, in senectutem sibi omnia molesta seruauerunt. Ego uerò sum quidem cum dijs, adsum uerò bonis hominibus: nihilq; operis boni, neq; diuini, neque humani, sine me fieri potest: magisq; alijs omnibus, et apud deos, et apud homines optimos, honoribus fruor: etenim desiderata cooperatrix artificibus sum, fida domorum dominis custos, beneuola famulis patrona, operum quæ pacis sunt, bona coadiutrix, bellicorū uerò firmissima socia, amicitia optima consors. Ad hæc autem, meis necessarijs suauis atq; prompta cibi potusq; fruitio est: expectant enim quousq; alia desiderent. Somnus autem uoluptuosior illis, quàm ociosis euenit: & neque excitati moleste ferunt, neque ab illo detenti, quæ agenda sunt, negligunt. Iuniores autem gaudent seniorum laudibus: seniores uerò letantur iuniorum honoribus. Res quoq; gestas à priscis iucundissimè memoria repetendo, non minori cum iucunditate res eis præsentis peragunt: quas ob res dijs amati, desiderati amicis, honorabiles patrijs efficiuntur. Cum uerò fati datus finis peruenerit, nõ obliuioni traditi sine honorib. iacent, sed memoria hominum commendati, in æternum florent. Hæc ô Hercules, inquit, bonorum parentum fili, sudoribus licet exercendo beatissimam felicitatem habere. In hunc itaque modum Prodicus admonitionem Virtutis ad Herculem exposuit, has tamen sententias multò pulchrioribus uerbis quàm ego nunc, ornauit. Quapropter ô Aristippe, tibi quoq; dignum esse existimo, futuri etiam temporis nonnullam curam habere. Sentiens autem aliquando suum filiū Lamprocleū, qui maior natu erat, matri suæ iratū: Dic mihi De pietate in ô fili, ait, cognouisti ne unquã homines quosdam qui ap- parentes.

pellantur ingrati? Ita prorsus, inquit. Considerasti igitur quos homines, & cum quid agant, hoc nomine appellantur? Consideraui, ait: illos nanque qui beneficijs acceptis

Ingrati. non reddunt gratias, cum possint, ingratos appellat. Hos uerò ingratos cum iniuriosis connumerandos esse putas? Ita, inquit. Quid uerò, considerasti ne unquam, quemadmodum mancipare amicos quidem iniustum esse, ita inimicos iustum? Sic etiam ingratum esse erga quidem amicos, iniustum esse, erga uerò inimicos, iustum? Vehementer, ait, consideraui: ac mihi apparet, à quocunq; quispiam beneficijs affectus, siue amico, siue inimico, non conatur gratias reddere, iniustus esse. Si igitur hæc tibi uera uidentur, manifesta iniuria ingratitude esset profectò. Concessit. Quantò ergo maioribus quisq; beneficijs acceptis non reddit gratias, tantò iniustior esset. Et hoc etiam concessit. Quos igitur, aut à quibus putas maioribus beneficijs affici, quàm liberos à parentibus? quibus primò ut sint, & uiuant, deinde ut tot bona uideant, illorumq; participes fiant, quæcunq; dii hominib. præbent, parentes causa fuerunt: quæ tam magna existimatione digna omnes arbitramur, ut priuationem illorum magis quàm alia fugiamus. Ciuitates quoque pro maxima pœna, delictis in maximis mortem sanxerunt, tanquam maioris mali timore non possint iniurias coercere. Nam non putes uelim propter uenereas res homines filios procreare, cùm ad hunc feruorè libidinis soluendum non parua sine labore munereq; uxorio facultas in uijs passim domibusq; existat. Quapropter non modicum cogitamus, à quibus mulieribus quamoptimi filij nobis propagari possint: quibus cum tales inueniantur cõuenientes, prolem procreamus

mus: & uir quidem ipsam uxorem, ex qua suscepturus est liberos, alit: futuris quoque liberis omnia pręparat, quęcunque conductura eis ad uitam putet, et hęc quamplurima possit. Mulier uerò concipiens, tolerat hoc onus cum grauamine & periculis uitę, alimento suo nutriens puerum, magno multoq; cum labore usq; ad partũ perueniens. Postea etiam nutrit, atq; pro eo procurat, a quo tamen nunquã antea beneficij quippiam acceperat, quęque non modò ignorat quę ei benefacit, sed neq; declarare potest quibus indigeat. Mater uerò per coniecturam quę conducant, quęq; grata sint eis, conatur adimplere, multoq; tempore nutrit die noctuq; laborib. affecta, ignorans quam istorum omnium mercedem habebit. Et non sufficit solũ nutrire, sed cũ uidentur filij posse discere quicquam, quęcunq; ipsimet parentes ad uitam utilia habent, docent. Quę uerò putant alium magis posse docere, ad illum liberos ut doceantur mittunt cum sumptibus suis, omnibusq; modis procurant, ut quamoptimi liberi eis efficiantur. Ad hęc adolescentulus ait: Etsi hęc omnia, cęteraq; his multò fecerit plura, nullus tamẽ posset profectò duritiem matris meę sufferre. Tum Socrates: Vtrum, ait, ferę immanitatẽ putas difficilius ferendam esse, an matris? Ego quidẽ, inquit, matris puto, quę talis sit. Num igitur unquam aut momordit, aut recalci-trauit tibi, quemadmodum multi a feris affecti sunt? Non ista: sed ea dicit, inquit, mehercle, quę nullus unquam audire uelit. Tu autem quot, Socrates ait, ei molestias tum dicto, tum factò, a prima etate, die noctuq; pręstitisti? aut quantum doloris attulisti egrotationib. uexatus? Nil tamen, ait, unquam aut feci, aut dixi, cuius illam puderet.

Quid uerò, inquit, grauius tibi putas esse, quæcunq; illa dicit, audire ijs quæ histriones in tragœdijs alter alteri contumeliosissimè dicunt? Sed tamen, ut arbitror, quoniã non putant nec illum qui redarguit, propterea redargue re, ut damnum inferat: nec illum qui minatur, propterea minari, ut mali quicquã faciat, æquo animo ferunt. Tu autem cum haud ignores, quòd quicquid mater dicit, nõ modò non ut maleuola tibi dicit, sed uolēs tot tibi bona fore, quot nulli alij, ægrè ferēs? An opinaris maleuolã tibi matrem esse? Minimè, inquit, hoc opinor. Nõne, ait Socrates, istam cum beneuola tibi sit, & quãmaximè potest pro te procuret ut sanus sis, nulloq; priueris necessario, et ad hæc tibi multa bona fieri deos oret & uota reddat, difficilem esse ais? Ego quidem arbitror si talem non possis sufferre matrem, nec bona te posse sufferre. Dic autè mihi, inquit: Vtrum alium quenquam putas oportere colere, an arbitraris te nulli hominũ unquam oportere placere, neq; sequi, neque parère, neq; Duci, neq; alicui principi? Imò quidem, inquit, mehercle. Ergo uicino quoq;, Socrates ait, tu uelis placere, ut & ignem tibi accendat, cum opus fuerit, in aliquoq; bono te iuuet? & si fortuito in aliquam incideris aduersitatem, tanquam beneuolus et propinquus tibi possit prodesse? Ita equidem, ait. Quid uerò comitem siue in terra, siue in mari, aut alium quenquam, non arbitraris interessse, amicum aut inimicũ habere? An opportunum esse iudicabis amicitiam potius illorum consequi? Ita, inquit. Si itaq;, Socrates ait, istorum omnium amicitiam magni existimandã esse putas, nõne matrè etiam quæ plus te omnib. istis amat, putas oportere colere? An ignoras quòd ciuitas quoq; aliam quidem minimè curat ingrati-

ingratitude, nec in iudicium compellit, sed despicit, si quis beneficijs acceptis nō reddat gratias: si quis uerò parentes non obseruet, hunc in iudicium compellat, ac reprobet, magistratibusq; omnib. indignum existimet, tanquam ab illo non possint neque sacrificia piè sacrificari, nec aliud quicquā bene aut iustè agi? Nec solū hoc, sed etiam si quis parentum defunctorum sepulchra non ornent, hoc etiam ciuitas inuestigat in electionibus magistratum. Tu itaque fili, si compos es mentis, & deos ut tibi ignoscant exorabis, si quid matrem neglexisti, ne ingratum te esse existiment, nec benefacere uelint. Ab hominibus quoque cauebis, ne sentientes quòd contemnas parentes, pro nihilo te habeant, & priuatus amicis omnibus effectus fueris. Si enim te arbitrabuntur erga parentes ingratum esse, nullus putabit te pro susceptis beneficijs fore in referenda gratia memorem. Cū quondam uerò Chærephontem atque Chærecratem inter se germanos, sibi autem familiares, sentiret altercari, cū uidisset Chærecratem, Dic mihi ô Chærecrates, inquit, num etiam tu ex illis hominibus es, qui chariorem pecuniam quàm fratres esse arbitrantur? præsertim cū illa quidem insipiens sit, is uerò sapiens: & illa quidem indigeat adiutorio, is uerò iuuare possit: & ad hoc, illa quidem ad multitudinem augeatur, is uerò unus sit? Mirum autem hoc quoq; profectò, si quis germanos quidem propterea damno sibi esse putabit, quoniam partem illorum non possidet: ciues uerò damno sibi esse non putabit, eò quòd bonis eorū priuetur. Sed hic quidē potest iudicare, quòd melius sit cum multis secure habitare, necessariaq; possidere, quàm bona omnia ciuiū habere solum cum pe-

viculo uiuentem, in fratribus uerò hoc idem ignorat. At
 seruos qui possunt, emunt ut cooperantes habeant, et ami-
 cos acquirunt tanquam opus eis adiutorio sit: fratres ue-
 rò despiciunt, quasi à ciuibus quidem possint effici amici,
 à fratribus uerò minimè. Atqui nimis ad amicitiam con-
 ducit, ex eisdem parentibus natos esse: nimis etiam, simul
 nutrir. Quapropter & seræ suos socios cupiunt, & ad
 hæc alij quoque homines magis illos honorât qui germa-
 nos habent, minusq; eis molesti efficiuntur. Tum Chære-
 crates: Si non esset ô Socrates, inquit, magna differentia,
 fortassis opportunū fuisset sustinere fratris molestias, &
 non abhorrere ab illo parua de re. Est enim res expeten-
 da, quemadmodum ipse asseris, frater, qui sit qualem esse
 deceat. Cùm uerò multum ab hoc absit, & totum contra-
 rium sit, cur impossibilia homo tentaret? Tum Socrates:
 Virum ô Chæreocrates, ait, nulli omnino Chærephon pla-
 cere potest, sicut nec tibi, an nonnullis alijs placet? Imò,
 respondit: & ideo magis, ô Socrates, dignū arbitror eum
 odio haberi, quòd alijs quidem placere potest, mihi uerò
 quandocunq; adsit damno potius quàm lucro fit, & uer-
 bo & factò. Num igitur, Socrates dixit, quemadmodum
 equus damno fit ei, qui nesciens tentaret uti eo, sic etiam
 frater damno fit, cùm quisq; uti eo tentet nesciens? Quo
 pacto, Chæreocrates ait, nesciam ego fratre uti, cùm sciam
 & benedicere benedicenti, & benefacere benefacienti:
 illi autem qui uelit uerbo & opere mihi nocere, neq; pos-
 sim, neque tentarem aut benedicere aut benefacere? Ad
 hæc Socrates: Miranda dicis ô Chæreocrates, ait: si canis
 nanque tibi esset ad ouium custodiam aptus, qui pastori-
 bus quidem afficeretur, tibi uerò adeunti exasperaretur,
 certum

certum est quòd ira atq; indignatione dimissa, omni conatu aliquib. beneficijs eum mitigares. Fratrem uerò con- fiteris magno tibi bono fore, si qualis oporteat tibi efficiatur, non conaris quam optimum tibi eum efficere, præsertim cum putes te scire benedicere, beneq; agere? Sed dubito ò Socrates, inquit Chæreocrates, ne non tanta in me uehementia sit, qua possim erga me Chærephontem, qualem oporteat, efficere. Atqui, Socrates ait, mea sententia, nulla tibi astutia opus est ad hanc rem perficiendam: sed eum faciliè puto illis artibus allectũ fore, quibus tu plurimum uales, ut magni te faciat. Nõne me præuertes dicendo, si quid deprehendiſti me rationis alliciendi amoris scientem, quod sciens præterierim? Dic igitur mihi, inquit, si cuiquã amicorum uelis persuadere ut te cum sacrificet, ad conuiuũ uocet, quid facies? Patet, respondit, quòd ego incipiam hoc idem, cum sacrificẽ, illum uocare. Quòd si uelis quenquam necessariorũ adhortari, curam habere tuorum, cum absens sis, quid facies? Patet, inquit, quòd primus ego incipiã curam habere rerum illius cum sit absens. Quòd si uelis hospitem tibi quenquam efficere, ut cum adeas patriam illius, te suscipiat, quid tibi faciundum esset? Patet, inquit, quòd hunc etiam ego primus suscipiã cum Athenas aduenerit: & ad hæc, si uelim eum in meis negocijs illic me iuuare, me primũ hinc oporteat eum in suis iuuare. Omnes itaque, ut uidetur, modos, per quos amor in hominibus acquiritur, tu bene sciens celabas. An times, inquit, incipere, ne turpe appareat si primus fratri tuo bene agas? Atqui plurimi faciundus uideatur homo, quicumq; præueniat hostib. nocere, amicis benefacere. Si ad hanc igitur rem incipiendam Chærephon-

tem putassem aptiorem te, illi persuasissimè primum incipere, te in amicitiam reducere. Nunc uerò tu mihi uideris incipiens magis hoc efficere posse. Chærecrates uerò ad hæc: Absurda dicis ô Socrates, ait, & minimè tibi conuenientia: quippe qui me incipere præcipis qui iunior sum, cum apud omnes homines contraria sit opinio, hoc est, seniore[m] oportere incipere in omni uerbo & opere. Quomodo, Socrates, inquit: nonne etiam ubicunq; in uia iunior seniori obuiaret, cedere ei constitutum est? & sedentè uenienti assurgere, et meliori lecto honorare, et oratione cedere? Sed ô optime, non sis piger, sed tenta hominem mitigare, et facillè tibi obediet. Nonne uides cupidum honoris, et liberalè eum esse? Prauos nanq; homunculos nullo modo, nisi eis aliquid præstando, allicies. Bonos uerò homines & doctos non nisi amicitia molles. Tum Chærecrates ait: Quid si ubi ego hæc faciam, ille non efficiatur melior? Quid aliud, Socrates ait, nisi ostèdes te quidem bonum et amatorem fratris esse, illum uerò prauum et indignum beneficijs? Sed nihil horum fore puto. Arbitror nanq; quòd cum sentiat te ad hanc eum luctationem prouocantè, ualde contenderet te bene faciendo uerbo et opere superare. Nunc uerò sic uos habetis, ac si manus quas deus ut una alteram iuuet, creauit, dimisso hoc, conarentur impedimento inuicem fore. Aut si pedes, diuina prouidentia ad coadiuandam inuicem facti, relicto hoc, unus alterum impediatur: nonne hoc magna ruditas esset, & infelicitas eorum quæ sibi inuicem usui sunt, siue hoc de manibus pedibusue, aut oculis, aut alijs rebus quæ hominibus gemina sunt, intelligas? Nam manus, si quidem oportuerit eas, quæ plus ulna distant coniungere, non possent.

sent. Pedes uerò ne spaciū quidē unius passus simul irēt. Oculi uerò quorū uisua potētia maximē apparet in longum extendi, nunquā uidere possent eorū qui propinqui sunt, anteriora simul et posteriora. Fratres uerò dū amici sint, quamuis multū unus ab altero distet, agūt tamen ea quæ profutura inuicē sunt. Quondā uerò audiui eum De amicitia. & de amicis ea disputantē, è quibus mihi uidebatur quāmaximā quisq; utilitatē ad amicorū usum ac comparationē habere. A multis enim aiebat audire, omniū possessionum præstantissimā esse uerū ac bonum amicū. Videre uerò se quā plurimos quiduis potius sectari, quā studiū comparandorū amicorū. Etenim domos, agros, et seruos, et uasa quædā diligētē eos procurare ut habeāt, uidere dicebat, et adhuc cōseruare conari quæ habent: amicū uerò, quod maximū bonum esse dicunt, nec ut acquirāt, nec ut sibi cōseruent, curare. Porro egritudine laborantib. amicis & seruis, deprehēdere quosdā aiebat, pro seruis quidem & medicis pecuniā soluere, alia quoq; pro sanitate illorū diligenter parare, amicos uerò negligere. Mortuis autē utrisq; propter seruos quidē dolere et damnū putare, propter amicos uerò minimē. Et aliarū quidem possessionū nihil sine cura dimittere, amicos uerò indigētes despicere. Et ad hæc, inquit, nō nullos uidisse aliarū possessionū suarum, quantūuis multæ sint, totā multitudinē scire: amicorum uerò numerū, etiā si pauci sint, interrogantib. quot nam, qualēsue habeant, se ignorare respōdent: tantā habent amicorū curā. Atqui qua re bonus amicus cōparatus nō multò melior apparet? Quis nanq; equus, quòdue par iumentorū tam utile est, quā bonus amicus? Aut quis seruis ita affectus & constans, aut quæ possessio alia tam uti

lis erit? Verus nanque amicus seipsum paratum exhibet ad omnem amicorū inopiam subleuandam, siue in rebus priuatis, siue in publicis: ac si quenquam oportuerit afficere beneficijs, suam operam accommodat: si quis metus conturbat, simul adiuuat, illic quidem non parcendo sumptibus, hīc uerò opere properans partim persuadendo, partim cogendo. Idem sequunda fortuna utentibus, multam lætitiā confert: calamitatibus uerò grauatōs subleuat. Quæcunq; uerò aut manus cui libet suppeditant, aut oculi præuident, aut aures præaudiunt, aut pedes perficiunt, horum omnium nullo beneficis amicus posterior est. Nonnunquam enim quæcunq; quisq; pro seipso non faceret, aut non uideret, aut non auscultaret, hæc utique amicus pro amico perfecit. Sed tamen nonnulli arborū quidem curam habent, fructuum causa: fertilissimā uerò possessionem, qui amicus appellatur, socorditer ac remisse colunt. Aliās uerò alium eius audiui sermonem, qui hortabatur audientes examinare seipsos, quanti existimandus esset amicis. Cū enim quendam uidisset nullam curam habere amici paupertate oppressi, interrogauit Antisthenem coram illo negligente, & alijs multis: Num ō Antisthenes, ait, sunt quædam amicorum existimationes, sicuti et seruorum sunt? Seruorum enim alius duab. minis existimatur dignus, alius uerò nec media mina, alius uerò etiam quinq;, & alius decem. Nicias uerò filius Nicerati dicitur uno talento emisse, qui argentarijs suis præesset. Consideremus itaq;, inquit, utrum sicut istorum, sic etiam amicorum existimationes sint. Ita mehercle sunt, Antisthenes ait: ego nanq; uelim profectō hunc mihi amicū esse potius, quā duas minas: hunc uerò nec mediæ

mediæ minæ anteponerem, & alium quidem citius quàm
 decem minas eligerem, alium uerò præ omnibus pecu-
 nijs atque laborib. anteponerem esse mihi amicum. Si igitur
 hæc ita se habent, Socrates ait, oportet ut quilibet se
 examinet quanti sui amicis existimandus sit, atque conetur
 quammaximi esse, ut quamminimè eum amici sui pro-
 dere uelint. Nonnunquã enim, inquit, audio hunc qui-
 dem dicentem, quòd prodiderit eum uir amicus: hunc ue-
 rò, quòd unam minam potius pro eo elegerit uir, quem
 sibi putabat amicum esse. Cogito itaq;, ne sicut cum quis-
 quam prauum habeat seruum, uendit eum cuiunque
 obuiò, sic etiam in hoc contingat, prauum amicum, cum
 liceat plus quàm ualeat capere, faciliè uendi. Bonos nan-
 que & utiles nec seruos uendi uideo, nec amicos prodi-
 tos. At uerò amicos examinare quibus uti debemus, do-
 cebat, huiuscemodi dicens: Dic mihi ò Critobule, inquit, *Amicus quomo-
do examinan-*
 si bono nobis amico opus fuerit, quo eum examinabimus
 pacto? nonne primùm quidem inuestigabimus, quò uen-
 tri, potui, luxuriæ, somno, atq; inertiae dominatur? qui
 enim ab istis detinetur, nec sibi ipsi, nec amico possit pro-
 desse. Nullo pacto, inquit, per Iouem. Qui itaq; huiuscemodi
 seruiat, contemnendus tibi uidetur? Imò, Crito-
 bulus ait. Qui uerò sumptuosus existens, non habet suffi-
 cientiam, copias, sed semper indiget ab amicis capere, &
 aut capiens non potest soluere, aut non capiens odio ha-
 bet eos qui non præstant, nonne etiam ille difficilis ami-
 cus est? Vehementer, inquit. Contemnendus ergo & iste
 est? Contemnendus, ait. Quid uerò, qui cupiditate pe-
 cuniæ potest quidem illam omnibus modis congregare,
 semper autè plura cupiens, ideo non facilis est, et capien-

do gaudet, soluere uerò non uult? Mihi apparet, ait, multò iste peior illo esse. Qui uerò propter cupiditatem accumulandæ pecuniæ ad nihil aliud uacat, nisi ad ea unde lucrabitur? Contemnendus etiam iste est, ut mihi uidetur: inutilis enim, etiam eis profectò qui eo uti uelint. Quid uerò, quicumq; seditiosus est, et uelit multos inimicos amicis efficere? Et hunc, ait, mehercle fugere debemus. Quòd si quis nullo tali uitio detineatur, acceptis aut beneficijs acquiescit, nec conatur etiam ille benefacere amico? Inutilis utique etiã iste esset, respondit. Sed dic tamen, ô Socrates, qualem quispiam sibij ipsi adipiscatur amicum. Illum arbitror, ait, qui contraria his omnibus: abstinet quidem à corporis uoluptatibus, seruat autem iusiurandũ, et facilis in conuersando est, quiq; conatur suis benefactoribus non minus ipse benefacere, ita ut utilis eis sit qui eo utantur. Quo autem pacto, ô Socrates, ista examinabimus, ante quã eis utamur? Ut statuarios, inquit, examinemus, non uerbis eorum suasi, sed quoscunque uideamus primas statuas bene fecisse, eum credimus cæteras quoq; bene facere posse. Hominem etiam ergo putas, inquit, qui primis amicis benefecerit, posteris quoq; fore benefactorem? Etenim equis, inquit, quicumq; potuit primis bene uti, hunc cæteris etiam arbitror bene uti posse. Sint hæc, ait. Quicumque uerò dignus amicitia nobis esse uideatur, quibus artibus amicus est faciendus? Primũ interrogandi, inquit, sunt dij, atq; considerandum est, an consulant eum amicum efficere. Quicumq; uerò et nobis faciendus esse appareat, et dij non contradicant, habes dicere quomodo iste uenandus sit? Mehercle, inquit, non est pedibus ut lepus, neq; fallacia ut auis, neq; ui ut hostes. Nolentem e-

nina

nim amicū efficere difficilè est: difficilius autem ligatū retinere ut seruū. Hostes enim potius quàm amici huiusmodi artibus efficiuntur. Quo igitur modo amici efficiuntur? Esse quasdam aiunt incantationes, quas quicumque sciant, incantando quoscunq; uoluerint, amicos sibiipsis efficiunt. Esse autem etiam quædam ad amorem ueneficia, quibus cū periti utantur aduersus quoscunq; uoluerint, amantur ab eis. A quo igitur, ait, hæc perdiscamus? Illa quidem, inquit, quibus Sirenes incantabāt Vlysem, Homerum audisti referentem, quorum huiusmodi principiū est: Agè ueni Vlyses, magnis laudibus digne, magnum decus Græcorū. Hac igitur, inquit, ô Socrates, incantatione cæteros quoque homines Sirenes incantando detinebant eos, ne discederent ab eis? Minimè: sed illos solummodo huiusmodi incantabant, qui uirtutibus gloriabantur. Illis igitur, ut apparet, quemlibet incantandū esse dicis, quæ cum audiat, non putet se à laudante irrideri. Sic enim inimicior potius efficietur, ac repellet à se homines, si, cū ille se sciat pusillum, turpem, et debilem esse, laudent, dicentes magnum, pulchrum, atque robustum esse. Alias uerò quasdam scis incantationes? Non ego, sed audiui Periclem multas sciuisse, quas incantando ciuitatem in amorem sui pellexit. Themistocles autē quibus artibus effecit, ut eum diligeret ciuitas? Non incantando mehercle, sed nonnulla bona ei præstando. Id mihi uideris dicere, ô Socrates, si quis bonum amicū cōparaturus est, ipsum oportere bonum euadere, ac dicendi et agendi peritum. Tu autem putabas, Socrates ait, possibile esse cū quisquam sit prauus, bonos amicos posse habere? Etenim, Critobulus inquit, uidebam et oratores uiles bo-

nis concionatoribus amicos esse, & optimis exercituum ducibus non sufficientes duces in amicitiam coniunctos. Nunc, inquit, & de quid disputamus: habes ne aliquos dicere, qui cum inutiles sint, utiles amicos acquirere possint? Minimè, inquit, mehercle. Et si hoc impossibile est, cum quisquam prauus sit, bonos amicos posse habere: illud iam mihi responde, an possibile sit, bonum quenquam & honestum effectum, repente bonis & honestis amicis fieri? An te, ô Critobule, perturbat, quod nonnunquam inter homines honestos, & ab inhonestis abstinentes, uides seditiones pro amicitia iungentes, & peius eos, quam illi qui nullius existimationis sunt, inter se affectos? Et non modò priuati, Critobulus inquit, ista committunt, sed etiã ciuitates quibus potissimũ bona curæ sint, & turpia minimè accepta, sæpenumero hostiliter altera ad alteram affectæ sunt. Quæ cum cogitem, quasi despero quenquam amicos posse habere: nec enim prauos amicos esse posse, quippe qui cum inertes & ingrati, iniusti, perfidi, non abstinentes homines sint, amici esse non possunt, sed potius, mea sententia, hostes et inimici inuicem efficiantur. Nec, ut tu quoq; dicis, prauis bonis in amicitiam accepti sunt. Nam impossibile esset, malorum factores amicos effici his, qui mala odio habent. Quod si etiam illi qui uirtutibus insudant, per ambitionem in ciuitatibus, seditionibus ac inuidijs imbuti, alter alterum odio habet, quã amplius amici erunt? aut in quibus hominibus erit amor & fides? Ad hæc Socrates: O Critobule, inquit, uariè ista inter se habent. Nam homines partim quidem ad amicitiam naturaliter propensi sunt: etenim alter altero eget, ac inuicem miserentur, et utilitatibus inuicem affecti, gratias mutuò

tuò agūt. Partim uerò ad inimiciã: cū enim eadem bona atq; iucunda putant, de his contendunt, et dissentientes contrariantur. Hostile nanq; contentio & ira est. Inimicitia, atq; cupiditas plus habendi, atque inuidia, odium parit. Non minus tamen inter hæc omnia subingressa amicitia coniungit bonos atque honestos homines. Nam propter uirtutē eligūt potius mediocria possidere, quàm bello omnibus dominari: ac possunt & in fame & in siti indolenter potu et cibo frui, à uenereisq; abstinere, quamuis uoluptate ducantur, ne displiceant quibus minimè oportet. Possunt autem etiam de pecunijs, non modò abstinendo ab iniuria, participare in illis quæ licita sunt, sed inuicem etiam largiri. Ad hæc possunt contentionē non modò indolenter, sed etiam utiliter inuicem moderari: et iram, ne ad pœnitentiam usq; procedat, prohibere. Inuidiam uerò omnino euellere, cū quisque propria bona amicis communia, amicorum uerò sua putet. Cur igitur non esset sperandum, honestos & bonos uiros non modò indemnes, sed etiam utiles inuicem participes honorū ciuiliū fore? Qui nanque cupiunt in repub. honoribus affici atq; dominari, causa intercipiendæ pecuniæ, et uim hominib. inferendi, uoluptatibusq; fruendi, iniuriosi atque prauī essent profectò, nulloq; pacto ad amicitiam apti. Quòd si quis ideo honorari uelit, ut non patiatur ipse iniurias, ac necessarios possit iuuare, ubi iustum sit, beneficijsq; dominando patriã suam afficere conatur, cur talis homo non possit in amicitia simili coniungi? Vtrum quoniã minus proderit necessarijs, si cum bonis & honestis habeat amicitiam? an quoniã minus poterit patriã afficere beneficijs, si bonos & honestos cooperatores ha-

beat? Atqui patet quòd in certaminibus si liceret omnibus unà melioribus coniunctis peiores aggredi, in omnibus illis uincerent, et omnia præmia illi acciperent. Cum uerò illic hoc fieri non permittitur, in ciuilibus uerò in quibus boni & præclari præferuntur, nullus prohibet cum quo quisque uoluerit adunatus benefacere ciuitati: cur non expediat melioribus in amicitia susceptis, rempub. regere, ac coadiutoribus eis potius quàm aduersarijs uti? Porro hoc etiam constat, quòd si quis aduersus quempiam bellum gerat, socijs indigebit, & tantò pluribus quantò melioribus aduersetur. Socij uerò beneficijs afficiendi sunt, ut prompti & beneuoli sint. Multò autem melius est bonis, cum pauciores sint, se beneficium reddere, quàm prauis, quorum et magna multitudo existit, & quibus multò pluribus beneficijs opus est, quàm sit uiris bonis. Sed agè fidenter conare ò Critobule, bonusq; effici: & talis effectus, bonos ac honestos amicos adipisci. Fortassis uerò ad hanc rem ego quoque nonnihil tibi conferã, propterea quòd amator hominũ existens, quoscunq; amem totis uiribus diligo & afficio, & conuersatione eorum cupio, ac ab eis simili modo meam conuersationem cupientibus diligor, et affectos mihi maxime habeo. Quibus artibus tibi quoq; opus fore considero, cum cupias amicitia cum quibusdam contrahere. Noli itaque illos mihi celare, quibus cum in amicitiam coniungi desideres. Nam quoniam conor placere illis qui mihi placent, non sum ignarus, ut arbitror, quo pacto oporteat homines uenari. Et Critobulus: Atqui ò Socrates, ait, antiquum mihi huius artis desiderium inest, præsertim si eadẽ mihi scientia et ad eos qui animi dotib. præstant, et ad eos

Amicos conciliandi ratio.

qui

qui corporis pulchritudine excellunt, suffecerit. Ad quæ Socrates ô Critobule, hoc non inest meæ scientiæ, ut manus inferens manere faciã formosos. Scillã enim mihi per suasißimũ est eã solũ ob causam ab hominib. uitari, quòd manus iniecerit: Sirenas aut, quòd nemini se exhibuerint, sed procul incantauerint, omnes quotquot præteruehũtur remorari aiũt, et cantus dulcedine delinire. Nulli manus admoturus sum, Critobulus ait: uerũm si quid habes boni quod ad amicorũ gratiam emerendã conferre putaueris, in mediũ profer. Ad hæc Socrates: Neq; os tuũ alterius ori admouebis. Bono animo esto, respõdit Critobulus, neq; os etiam alicui, nisi insigni sit pulchritudine, apponã. Cõfestim ait, ô Critobule, inutilia dixisti. Pulchri enim huiusmodi nõ sufferunt: deformes uerò, existimãtes se propter animũ pulchros uocari, haud grauatẽ admittũt. Ad hæc Critobulus ait: Tanquam igitur si pulchros sim amaturus, bonos uero etiã exosculaturus, doceas uelim si quid habes quod cõducatur ad amicos conciliandos. Cũ ergo uolueris ô Critobule, Socrates ait, amicus cuiquã effici, permittẽs ne mihi deferre te apud illũ, ac dicere, quòd admiratus eum, cupis amicus ei effici? Defer, Critobulus inquit. Nullũ enim reperio qui laudãtes eũ odio habeat. Quòd si ad hæc etiã, ait, accusem te, dicendo quòd propter admirationẽ qua admiraris eum, nimĩũ affectus es illi, utrũ putabis iniuria à me affici? Minimẽ, inquit: siquidẽ ego quoq; afficior illis quos mihi affectos esse credam. Hæc itaq; Socrates ait, licebit mihi de te dicere ad illos, quos nõ lueris tibi amicos efficere. Sed tu si mihi cõcedas adhuc de te dicere, quòd tibi curæ essent amici, quodq; nulla tã gaudes re, quã bonis amicis, ac super bonis eorũ operib. nõ mi

nus quàm super tuis letaris: neque defatigaris conando ut omnia eis bona adsint: quodq; illam præcipuâ hominis uirtutē esse iudicas, beneficijs amicos, inimicos uerò maleficijs uincere: uehementer puto, aptum me tibi conuenatorē bonorum amicorū fore. Cur igitur hæc me interrogas, Critobulus ait, ac si non liceret tibi quæcunq; uolueris de me dicere? Non, inquit, mehercle, quemadmodum ego quondam Aspasiam audiui. Dicebat enim, bonas pronubas cum ueritate cuiusquam laudes narrantes, aptas esse ad nuptias cōciliandas, fictè uerò narrando nihil proficere. Qui nanq; decepti ab eis fuerunt, odio habent et ipsas pronubas, & alter alterū. Quæ cum mihi persuadeam rectè dici, nil arbitror mihi dicere licere in laudem tuam, nisi quodcunq; cum ueritate dicam. Tu igitur mihi uideris ô Socrates, Critobulus ait, promptus adiutor ad amicos acquirendos fore, dummodo ego quicquam ad hoc aptum habeā: sin minus, nihil tu quidem uolueris fingendo de me dicere pro mea utilitate? Vtrum autem, ô Critobule, arbitraris magis me tibi prodesse, si mentiendo te laudem, an si persuadeā tibi bonum hominem fieri? Quod si dubitas, ex his quæ dicturus sum considera. Si nanq; uolueris amicum te cuiquam domino nauis efficere, ac te laudando bonum esse gubernatorem dicam cum non sis, ille uerò à me persuasus nauim tibi gubernandam ignorantī cōmendat, est ne tibi aliqua spes non perimendi tui & nauis? Aut si persuadeam ciuitati, rempub. totam tibi regendam tanquā sufficienti concedere, quid putas à te ciuitatē passuram? Aut si quos priuatim cohortarer, ut in iudicando, cōcionando, ac ducendo exercitum, tanquam œconomico tibi & diligenti res suas crederent,

nōne

nōne periculo habito, damnosus potius mentiēdo ac ridi-
culosus apparebis? Velim ô Critobule, scias hanc esse bre-
uissimam, securissimam, optimamq; ad hæc omnia uiam,
in quocunq; uolueris bonus apparere, in eodem effici quo
que bonus conari. Considerando autem reperiēs, omnes
quæcunq; apud homines uirtutes dicuntur, studio ac di-
sciplina augeri posse. Ego itaq; sic esse faciundum, ô Cri-
tobule, arbitror: quod si tibi aliud uidetur, doceas uelim.
Tum Critobulus: Pudet me ô Socrates, ait, his contradi-
cere. Nec enim honesta nec uera dicam. Porrò Socrates
indigentias quoque necessariorum, si quæ per ignorantia
aliquos opprimebāt, conabatur consilijs propellere: quæ
uerò è paupertate proueniebāt, hortando alterum alte-
ri pro uirili subuenire. Cùm itaq; quondam Aristarchū
tristem uidisset: Videris ô Aristarche, inquit, non æquo
animo esse. Oportet autem huius molestiæ nos quoq; ami-
cos participes facere, fortassis enim leuare te poterimus.
At ille: Certè ô Socrates, inquit, in magna indigētia sum.
Cùm enim seditiones in hac ciuitate ortæ sint, multiq; in
Pyræum confugerint, congregatæ sunt apud me sorores,
neptes, ac tot consobrinæ, ut iam in domo quatuordecim
liberi homines sint: capimus autem nec ab agris nostris
quicquā, aduersarij nanq; eis fruuntur: nec ex domibus,
cùm in urbe hominum magna sit penuria. Aula nullus
emit, mutuari pecuniā minimè possumus, sed citius meo
iudicio in uia quisquam quærendo inueniat, quàm mutuo
sit accepturus. Difficile itaque, ô Socrates, mihi uidetur
domesticos dimittere perimī: impossibile autem tot homi-
nes in tanta rerum angustia alere. Cùm itaq; Socrates ista
audisset: Quid est, inquit, car Ceramon quidem multos

nutriens, non modò sibi ipsi satis ac illis facere potest, sed tantùm etiam superlucatur ut diues sit: tu uerò cum alias multos, timeas ne propter indigentiam omnes pereatis? Quoniam, inquit, ille seruos, ego liberos alo. At Socrates: Vtrum istos liberos, ait, qui apud te sunt, meliores esse putas, an Ceramonis seruos? Ego quidem, ait, qui apud me sunt, liberos. Turpe igitur est, Socrates inquit, illum quidem à prauis hominibus diuitias acquirere, te uerò cum multò meliores habeas, penuria laborare. Ille nanq;, inquit, mehercle artifices nutrit, ego uerò liberallyter eruditos. Num itaq;, ait, artifices sunt, qui ea quibus utimur, operantur? Ita est, inquit. Quid uerò, nonne utimur farina? Concessit. Panibus uerò? Nil minus. Vestibus autem tam uirorum quàm mulierum, & tunicis, & chlamydibus, & superhumeralibus? Imò, inquit, & istis omnibus utimur. Deinde, inquit, qui apud te sunt, nil horum agere sciunt? Mehercle, inquit, omnia ut arbitror. Ignoras igitur, inquit, quòd ab uno istorum facienda farina Nausicydes non modò seipsum et famulos nutrit, sed multas etiam sues & boues, totq; superlucatur, ut sepius etiam ciuitati suppeditet? Ciuibus autem panem faciundo, totã suam domũ alit, et abundanter uiuit. Demeas uerò Colytæus uestes. Menon aut tunicas. Megareorum aut plurimi superhumeralia facientes, se suosq; omnes alunt. Non ignoro, inquit, mehercle. Sed hi barbaros homines emptos habent, quos cogunt operari quæcunq; oporteat, ego aut ingenuos & cognatos. Et quoniam, ait, liberi et cognati sunt, ideo putas nil aliud eos oportere agere, nisi comedere atq; dormire? Vtrum alijs quoq; liberis hominib. illos arbitraris melius uiuere? beatioresq; ducis

ducis esse qui languescant in ocio, an illos qui peragunt sollicitè quæcunq; ad uitam hominum conducentia peragere sciant? An putas ocium & pigritiam conferre hominibus, & ad capeffendam disciplinam eorum quæ scire oportet, & ad memoria tenendum quæcunq; didicerint, et ut sani atq; robusti corporibus sint, et ad possidendum atq; seruandum quæcunq; ad uitam utilia sint: negocium uerò & diligentiam ad nil utilia? Didicerunt autem quæcunq; dicis illas scire, utrum ut nec ad uitã utilia, nec ut quicquã eorum faciant: an totum contrariũ, ut et factis re illa, et ab eis utilitatem accepturæ? Quo nanq; modo moderatius homines uiuerent, utrum ocio dediti, an curam eorum habentes quæ utilia sunt? Quo autem pacto iustiores essent, utrũ si operètur, an si in ocio cogitent unde uiuãt? Ad hæc quoq; nunc, ut arbitror, nec tu illas diligis, nec illæ te: cum tu quidem eas tibi esse molestiæ putes, illæ uerò uideant te ægrè ferentem præsentiam earum: è quibus timendum est ne maius odium inter uos oriatur, & prior gratia minuatur. Quòd si persuadeas eis ut operentur, et tu illas ut utiles tibi diliges, illæ quoque te amabunt, cum sentiant te illis delectari. Suauius autem beneficiorum iam habitorum recordati, gratiam ab eis partã augebitis, & nimirum magis familiariter ac amicè inter uos habebitis. Si turpe igitur quicquã essent operaturæ, mors præ illo potius esset eligenda. Nunc uerò cum illæ quidem quæcunque oportuerit mulieres, sciant, ut apparet: omnes autem quæ sciant, facillè, optimè, suauissimè, citoq; operentur: non pigeat te adhortari & admonere eas illa facere, quæ tibi profectò & illis proderunt: nam uerisimile est illas facillè tibi parère. Tum Aristarchus:

Per deos, inquit, ô Socrates, tam bene dicere mihi uideris, ut cum antea noluissem mutuari pecuniã, ne illa consumpta non haberem unde soluerem, nunc uidear mihi ad materiam operũ hoc esse factururus. Mox deinde reperta pecunia est, lana empta. Ille inter opera prandebant, post prandium laborando ad cœnam accedebant. Hilares pro tristibus erant, ubi prius suspecti et odiosi inuicem erant, suauiter inter se uiuebant, ac Aristarchum illæ ut protectorem, illas Aristarchus ut utiles amabat. Demum adies Socratem, & hæc omnia gauisus narrabat, atque his addebat, accusari se ab eis quòd solus ociosus unã comederet. Ac Socrates: Cur, ait, non dicis eis canis responsionẽ? Dicitur nanque, cum animantia essent uocalia, ouem domino suo dixisse: Mirum facis, inquit, profecto, qui cum nobis, à quibus lanam, agnos, caseumq; habes, nil des nisi quicquid à terra capiamus: canem, qui nil tibi tale præbet, de quo tu comedis pane participem facis. Canem uerò cum hæc audisset: Non immeritò per Iouem, dixit: ego nanque sum ille qui & uos ipsas saluas facio, atq; custodio, ut nec homines uos furentur, nec lupi rapiant. Quòd si ego uos non custodiam, nec ad pascua uobis proficisci licebit, timentibus ne pereatis. His ab eo dictis, oues quoque fertur cani concessisse. Et tu itaque dic illis, Socrates ait, quòd tu custos earum ut canis, atq; procurator es, per quem à nullo iniuriatæ securè atq; suauiter operando uiuunt. Quondam uerò cum alium amicum antiquũ post multũ temporis uidisset, Vnde uenis, ô Euthere? ait. Cum bellũ cessasset ô Socrates, ait, de peregrinatione qua aberam ueni, nunc uerò de ipsamet ciuitate. Ablatis nanque à me possessionibus in alienis finibus posuis, Athenis uerò

Apologus elegans de ouibus & cane.

uerò nil à patre mihi relicto, cogor nunc hîc præsens manibus laborando, necessaria ad uictum acquirere. Videor uerò uidere melius hoc esse mihi, quàm ab alijs petere, præsertim cum non habeam super quo mutuarer. Quanto uerò tempore, Socrates ait, sufficientem te fore putas, mercede laborando uiuere? Non multo, inquit, mehercle. Attamen cum senueris, ait, sumptib. quidem patet quòd indigebis: mercedem uerò nullus tibi pro laboribus tuis præbebit. Verum dicis, ait. Melius igitur esse uidetur, iam nunc illis operib. insudare, quæ tibi cum senueris etiam satisfaciant: & ad quenquã diuitum qui coadiutore indiget accedendo, præfici suis possessionib. et operibus: ac fructuũ & bonorum illius curam habendo, utilitatem partim illi asferre, partim ab illo habere. Aegrè nimirum ô Socrates, ait, ego seruitutem sufferam. Atqui, Socrates inquit, illi qui reipub. præsumt, & eam procurât, non ideo seruiliores, sed magis liberi putantur. Quoquo modo ô Socrates, ait, à quoquam accusari posse nullatenus uelim. Sed uides ô Euthere, inquit, nullũ esse opus in quo non accusentur homines. Difficile nanq; est ita quicquam peragere, ut nihil erres. quòd si etiam sine errore quisquam aliquid peragat, difficile est non iniquum iudicem reperire. Nam & in illis quæ nunc operari dicis, mirarer profectò si sine accusatione degas. Oportet itaq; conari contentiosos fugere, mites uerò persequi. Res item subire quas possis efficere: quas non possis, ab illis abstinere. Quicquid autem agas, promptissimè, atq; optimè, et diligenter agere. Hoc enim modo minimè accusaberis, indigentia præsentis optimè consules, poteris etiam cum senueris faciliè ac sine periculo sufficientissimè uiuere.

Cum autem quondam Crito dixisset, quod difficile esset Athenis uiuere hominem qui rem suam agere uelit. Quidam nanque nunc, inquit, mihi diem dixerunt, non quod à me ulla sint affecti iniuria, sed quod me putant in persoluendo ære futurum promptiorem, quàm cum eis contendere. Socrates his auditis: Dic mihi, ô Crito, nutris ne canes, ut lupos ab ouibus propellant? Ita, inquit: utilius est alere illos, quàm non. Nonne igitur nutries etiam hominem, qui et uoluerit & potuerit quicumq; tibi iniuriam inferre uelint, propellere? Lubens nutriã, ait, dummodo non timeam eum aduersariũ mihi effici. Quid uerò, inquit, non uides multò suauius esse à tali uiro, qualis tu es, cum amicitia potius quàm cum inimicitia utilitatem habere? Velim itaque scias, multos hic tales homines esse, qui honori sibi putarent, te pro amico habere. Post hæc inuenerunt Archedemũ, tam ad agendum quàm ad dicendum nimium quidem sufficientem, pauperem uerò. Non enim quoquo modo poterat, uolebat lucrari: sed bonis hominibus affectus, iustius esse ducebat à calumniatoribus potius accipere. Huic itaq; Crito, cum à suis agris frumentũ, uinum, oleum, lanas, aut quicquã ad uitam utile colligeret, partẽ mittebat: et cum sacrificaret, in conuiuium uocabat, ac in huiusmodi omnib; curam eius habebat. Archedemus igitur reputans domũ Critonis sibi nutrimento fore, uehementer eum tuebatur. Moxq; unius calumniatorũ Critonis multa per iniuriã facta, multosq; reperit inimicos, atq; in iudicium accersit, ubi iudicari oportebat, quid pati aut soluere oporteret. Ille uerò cum conscius sibi esset multorũ atq; malorum, conabatur ab Archedemo euadere: qui nullo modo eum dimisit, quousque

que & ipsi pecuniam dederit, & Critonem amplius non molestauerit. Cùm uerò multa huiuscemodi Archedemus peregisset, tunc quemadmodũ cùm quisquam pastor bonum canem habet, alij quoq; prope eum suos greges adducunt, ut cane fruantur: sic etiam multi amicorũ Critonem rogabant, ut eis quoq; Archedemum custodem præstaret. Archedemus lubens Critoni parebat, & per eum non modò Crito, sed amici etiã fruebantur quiete. Quòd si quis illorum quibus infestus erat, per cõiucium appelleret illum adulatorem Critonis, pro utilitate ab eo suscepta: Vtrum, dicebat Archedemus, turpius est à bonis hominibus beneficijs acceptis, eos è conuerso beneficijs afficiendo, amicitiam eorum acquirere, prauis autem inimicum effici: an bonis & optimis iniuriam inferendo, inimicos, prauos uerò iuuando conari amicos efficere, & pro bonis, huiuscemodi hominibus uti? His de causis itaque unus amicorum Critonis Archedemus erat, & à ceteris necessarijs eius honorabatur. Audiui uerò Socratem cùm Diodoro quoque suo amico in hunc modum disputasse: Dic mihi ò Diodore, inquit, si quis tuorum seruorum abs te aufugiat, conaris ne ut eum recipias? Et alios etiam me hercle cohortor, mercedem inuentionis Softrati præconio denunciatis. Si uerò quisquam seruorũ ægrotet, nõne medicis cõuocatis procuras ne moriatur? Admodũ, inquit. Quòd si quis amicorum tuorũ multò tibi utilior seruis, in uite periculũ ob indigentiam inciderit, nõne putas dignũ esse, curam eius suscipere ne pereat? Atqui Hermodenem non esse ingratum hominem non ignoras: puderet itaq; cum profectò utilitate à te suscepta, nõ utilem eum etiam tibi esse. Habere autem quenquam & sponta-

neum et constantē ministrū, sufficientemq; facere quodcunq; imperatum fuerit, & non modò illud, sed ex se etiā potentem multa & cogitare & reperire consilia, plus, ut arbitror, quàm multi serui ualeret. Boni uerò œconomi, cū liceat magni precij rem paruo emergere, tunc dicunt esse emendum. Nunc autem propter tempora licet paruo bonos amicos comparare. Ad hæc Diodorus: Bene dicis ô Socrates, ait: iube itaque Hermogenem ad me accedere. Non ego, inquit, per Iouem: puto nanque nec tibi melius fore illum te, quàm te illum adire: nec maius bonum illi, quàm tibi esse, si ista ad hunc modum gerantur. His dictis, Diodorus ad Hermogenem accessit, et nō magna pecunia præstita, cum sibi amicitia coniunxit, qui daret operam ut dispiceret quid dicere aut facere posset, quod Diodoro & utile & gratum esset.

XENOPHONTIS DE FACTIS
ET DICTIS SOCRATIS MEMORATU
DIGNIS LIBER TERTIUS, Bessarione
Card. Niceno interprete.



QVOD autem honestarum cupidis rerum, hortando eos ad studia earū quæ cupiebant, perutilis erat, nunc narabo. Cū enim quondam audisset Dionsodorū aduenisse in urbem, qui profitebatur exercitus duclitandi artem se tradere posse, ad quendam è suis auditoribus quem sentiebat huius muneris cupidum esse, sic est locutus: Turpe est ô adolescens, inquit, profectò, si quis uolens in ciuitate dux effici, negligat

gat doceri, cum discere liceat. At ciuitas multo cum maiori iustitia illum condemnareet, quam si quis ignarus fingere statuas conaretur. Cum tota namq; ciuitas a duce in re militari pendeat, magnam & utilitatem cum illi res prosperè successerint, & è conuerso perniciem cum aduersis inciderint, uerisimile fieri est. Qui itaque ista discere negligit, eligi uerò in duce conetur, cur non iure cõdemnetur? His igitur uerbis persuasit ei ire ad discendũ. Cui cum edoctus redijt, allusit dicens: Nõnne uidetur uobis, inquit, quemadmodũ Homerus Agamemnonẽ uenerabilem appellauit, sic etiam iste cum imperare didicerit, uenerabilior apparere? Sicut enim qui pulsare citharã scit, etsi non pulsat, non minus tamen citharista est: quiq; mederi scit, etsi non medetur, medicus tamen est: sic etiam iste iam nunc est imperator, etsi nunquã electus fuerit. Qui uerò nescit, nec imperator, nec medicus est, etsi ab omnibus hominibus eligatur. At uerò, inquit, ut si quis etiam nostrũ aut manipuli aut cohortis p̄fectus unquã futurus sit, magis in rebus bellicis periti simus, dic nobis, a quo te incœpit imperandi artem docere? At ille: Indidem, ait, ubi etiam finiuit. Aciem namq; instruendi artem, & nil aliud me docuit. Atqui, Socrates ait, una de multis hæc imperandi pars est. Imperatorem nanque & p̄parandi ea quæ ad bellum conferant, expertũ esse oportet, & ad uictum militibus necessaria reperendi, machinandi, & operandi. Et ad hæc diligentẽ eum esse necesse est, corpore patientẽ, prudentem, mitem, durum, simplicem, insidiatorem, cautum, furem, liberalem, rapacem, & donandi et habendi amatorẽ, tutum, & alios aggredi aptum. Cæteraq; multa sunt, quæ tum natura, tum

Imperatoris
munus.

doctrina illum habere oportet, qui bene imperaturus sit. Bonum uerò est, inquit, aciem etiam ordinare scire: multum namq; differt ordinatus ab inordinato exercitu. Què admodum enim lapides, lateres, ligna, & tegulae inordinate quidem proiecta, ad nihil utilia sunt: cum uerò ordinentur deorsum & sursum quæ neq; putrefiunt neque fluunt lapides ac testæ, in medio autem lateres & ligna, quemadmodum in ædificijs componuntur, tunc domus res magni æstimanda efficitur. Tum adolescens: Vehementer ô Socrates, inquit, simile quiddam dixisti. Nam & in bello illos primos & ultimos ordinare oportet, qui fortitudine excellent: in medio uerò peiores, ut à primis ducantur, ab ultimis uerò impellantur. Si igitur, Socrates ait, & discernere tibi fortes à timidis tradidit artem, bene est: sin minus, quæ utilitas erit huius tuæ disciplinæ? Nec enim si argentum quoq; te docuisset in primo et ultimo loco optimè ordinare, peius uerò in medio, nec docuisset discernere bonum ab adulterato, ulla tibi esset utilitas. Sed me hercle, inquit, non docuit: itaque nos oportet qui fortes, qui uel timidi sunt, iudicare. Quin igitur cõsideremus, ait, quo pacto nos non lateant? Ego profectò uelim, adolescens inquit. Si igitur argentum, inquit, rapere oportet, auaros et amatores argenti primos ponendo bene ordinabimus? Ita mihi uidetur. In periculis uerò subeundis, num illos proponamus necesse est, qui amatores honoris sunt? Hi tamen, ait, non sunt obscuri: sed cum ubiq; præclari sint, facile inueniri ac eligi possunt. Sed sint hæc: Vtrum autem ordinare solum te docuit, an etiam ubi, et quomodo utendum est quolibet illorum qui ordinandi sunt? Minimè, inquit. At tamen multa sunt, ait, in quibus nec ordinare, nec ducere

eodem modo oportet: nōne hęc tibi declarauit? Minimē
 inquit, mehercle. Rursus igitur, inquit, adiens eum inter-
 roga si sciat. Nanq; si non impudens sit, pudebit eum cū
 pecuniam acceperit, ignarū te linquere. Quondam uerō
 cū casu quendam imperatorem electū conuenisset: Qua
 de causa, inquit, arbitraris Homerum nuncupasse Aga-
 memnonem populorū pastorem? Nōne quoniam quem-
 admodum pastorem oportet curare ut saluę sint oues, ac
 habeant unde uiuant, sic etiam imperatorem curare ne-
 cesse est ut exercitus saluusq; sit, illudq; perficiat cuius rei
 gratia militat? Militant uerō ut hostibus superatis felicio-
 res ipsi sint. Cur nanq; ita laudasset Agamemnonem, at-
 que utrunq; eum appellasset, regemq; bonum, militemq;
 robustum, nisi quōd probet illum esse militem fortem, qui
 nō solum aduersus hostes fortiter luctetur, sed omni etiam
 exercitui huius causa sit? Regemq; bonum, qui non se so-
 lum bene reget, sed etiam illis quos regat, felicitatis cau-
 sa sit? Rex nanq; eligitur non ut sui ipsius curam habeat,
 sed ut per ipsum qui eum elegerunt, in felicitate degant.
 Similiter militant omnes homines ut quamoptima uita
 fruantur: imperatoresq; præficiunt, ut ad hoc eos condu-
 cant. Oportet igitur imperatorem prospicere, ut hoc i-
 dem eligentib; conferat. Nec etiam aliud melius isto, fa-
 cilē est reperire, nec cōtrario turpius. Et ad hunc modum
 cōsiderans quę sit boni præfecti uirtus, cætera quidē au-
 ferebat. Illud autē solum relinquebat, uidelicet ut felices
 efficiat illos, quorū quisq; dux effectus est. Cum quodam
 uerō equitum præfecto in hunc modum eum meminī dis-
 sputasse: Habes o adolescentens nobis, inquit, exponere, qua
 de causa equitib; præesse desiderasti? Non enim ut cæteris

equitibus præcurras, cum hoc etiam illis qui ab equo sagittant, liceat: quippe quod etiam illi equitum præfectis præcurrere solent. Verè dicis, ait. Nec ut cognitus omnibus: nam furiosi etiam ab omnibus agnoscuntur. Et hoc, inquit, uerum dixisti. Num ergo, quoniã putas opera tua equites meliores effectos, tradere ciuitati? ac dum illis præsis, si ita postulet necessitas, unã cum eis aliquo commodo ciuitatẽ afficere? Vehementer, ait. Perquã optimum esset per Iouem, Socrates inquit, si hæc facere poteris. Principatus uerò hic in quem electus es, equorum & equitum est? Ita est, inquit. Agè itaque hoc primum dic nobis: Quibus artibus cogitas equos meliores efficere? At ille: Non meum hoc opus est, sed quilibet officij sui curam habebit. At si tibi, Socrates ait, equos ducent quosdam, tam uitiatos pedibus, ac tibis, quosdam uerò ita debiles ac strigosos ut sequi non possint, & quosdam ita male educatos ut non maneant quocunq; tu loco ordinaueris, quosdam uerò tam calcitrosos, ut nõ sit possibile de uno in alium aciei locum eos trãsferre, quæ tibi utilitas erit equitatus? aut quo tandem bono, cum talibus præsis, ciuitatem afficies? At ille: Optimè dicis, inquit: & ideo prout possum, conabor equorum curam habere. Quid uerò, equites ipsos non conaberis meliores efficere? Vehementer, inquit. Primò itaque, ait, aptiores ad ascendendum equos efficies? Opportunũ est, inquit: etenim si quando quisquam eorum ab equo caderet, citius hoc modo saluus erit. Quòd si pericula, inquit, oportuerit subire, utrũ ad arenã iubebis hostes attrahere, ubi equitare soletis, an in talibus locis exerceri conaberis, quibus bella fieri solent? Hoc esset melius, ait. Acuere uerò animos equitũ, et aduersus

uersus hostes irritare, ac fortiores efficere unquã considerasti? Si non antea, nunc, ait, conabor. Vt uerò tibi obediunt equites cogitasti? etenim absq; hoc, nec equorũ, nec equitum bonorũ ac fortiũ ulla erit utilitas. Verum dicis, ait. Sed quonam modo quisquã ò Socrates, eos ad hoc impellat? Non ignoras illud, ait, quòd in quaq; re illis obedire potissimũ homines uolunt, quos putant optimos esse: nam & in morbo illi potissimum obediunt, quem putant medicina excellere: & in naui qui nauigant, gubernatori: & in agricultura, agricolæ. Ita profectò, inquit. Et in equitandi itaque arte, ait, quicumq; sciat quæ oporteat agere, illi uerisimiliter cæteri obediunt. Si ergo ego, ò Socrates, melior illis in hac re sim, sufficiet mihi ad hoc ut illi mihi obediant? Si ad hæc, inquit, doceas illos, melius & magis expediens eis fore tibi obedire. Quo autem modo istud docebo? Multò facilius, ait, per Iouem, quàm si oportuerit docere, mala meliora esse bonis atque utiliora. Vt apparet igitur, inquit, tu dicis equitum præsidem oportere etiam artem perorandi habere. Tu autem putabas, ait, tacendo posse equitibus præesse? An non recordaris, quòd quæcunque optima lege didicimus, per quæ uiuere possumus, omnia ista per uerba didicimus? Et si quam aliam bonam quisq; disciplinam discat, per uerba discit: quiq; optime docent, sermone utuntur: quiq; honestissima sciant, optima disputant. Vnde fit, quòd cùm ex hac urbe unus coetus efficiatur, ut ille chorus qui in Delum mittitur, nullus alius usquam æqualis isti fieri possit: nec tanta fortitudo hominum in aliqua urbe, ut in ista nostra, congregatur. Ita est, inquit. Atqui, Socrates ait, nec uocis sonoritate tantum Athenienses alijs antecellunt, nec

nec corporum magnitudine & robore, quantum honoris studio, quod potissimū homines ad bene agendū hortatur. Et hoc, inquit, uerum dixisti. Nōne igitur putas, inquit, si quis haberet curam equitū nostrorū, ut quammaximè & in hoc alijs excellerent, armorum & equorū præparatione ac ordinatione, promptitudineq; ad exponendum se periculis hostium, dummodo putent si hæc faciunt, laude & honore dignos fore? Verisimile est, inquit. Noli igitur negligere, ait, sed conare eos ad ea hortari, à quib; & tibi & cæteris per te ciuibus utilitas erit. Sed me hercle conabor, inquit. Cū uerò quondam uidisset Nicomachidem è comitijs domū repetentem, interrogauit: Quinam ô Nicomachides, imperatores sunt electi? At ille: Nōne uides ô Socrates, inquit, quales Athenienses sunt, quòd me quidem non elegerunt, qui modò ut miles, modò manipuli, modò legionis præfectus, militans me contriui, tot ab hostibus susceptis uulneribus? Et simul cū hæc diceret, cicatrices uulnerum nudato corpore ostendebat. Antisthenem autem elegerunt, qui nec in pedibus, nec in equitibus unquam laude dignum quicq; militando fecerat: quiq; nil aliud nouit, nisi pecuniā conquirere. Hoc igitur, inquit Socrates, bonum erit: si quidem militibus sufficiens erit necessaria præbere. Nam & negociatores, ait Nicomachides, sufficientes sunt ad pecuniam congregandam, non tamen ideo imperare quoque possunt. At Socrates ait: Imò etiam uictoriæ studiosus Antisthenes est, quod oportet imperatori adesse. Nōne uides, quoties contendit in ludicris certaminibus, illum omnibus choris uicisse? Minimè tamen me hercle, Nicomachides ait, simile est spectaculis & exercitui præesse

esse. Atqui, Socrates ait, cum nec cantus, nec ludicrorum peritus Antisthenes esset, tamen potuit reperire qui optimi in huiusmodi essent. Et cum imperet ergo, inquit Nicomachides, alios qui pro eo aciem ordinent, reperiet, alios uero qui ui oppugnabunt. Si ita in re quoque militari, Socrates ait, qui optimi sunt, sicut in spectaculis fecit, reperiet, & illos alijs praeponet, merito & in hac re uictor euadet. Nam & pecuniam cum impendere magis uerisimile est in hanc uictoriam rei militaris, quae communis toti ciuitati erit, quam in illam quae in ludicris spectaculis solet tribui, nec communis esse. Putas o Socrates igitur eiusdem hominis esse, in ludicra pecuniam conferre, ac imperare? Puto ego, inquit, in quacunque re quisquam praesit, si sciat quibus opus erit, & possit illa conquirere, optimus ille praeses est, siue spectaculo, siue domui, siue ciuitati, siue exercitui praesit. At mehercle, ait Nicomachides, nunquam putassem me hoc abs te auditurum, bonos etiam imperatores fore, qui boni patres familias sunt. Age ergo, Socrates inquit, utriusque eorum officia inuestigemus, ut sciamus utrum eadem sint, an in aliquo differant. Inuestigemus, ait. Utrisque enim hoc unum commune est officium, inquit, subditos sibi obedientes efficere. Vehementer, ait. Illa uero praecipere cuiuslibet quae facere sciat, non comparatio. ne commune utrisque est? Bonos uero praemijs afficere, malos autem poenis, nonne utrisque conuenit? Utrisque, inquit. Subditos uero beneuolos sibi facere, non est utrique expediens? Expediens, inquit. Socios autem atque auxiliares acquirere, uidetur ne tibi utrisque conducere? Videtur, ait. Custodes uero rerum suarum esse, est opportunum utrisque? Est, inquit, Diligentes ergo & industrios

utrosq; esse oportet in suis officijs? Hæc omnia, inquit, similia utrisq; sunt: bellum uerò gerere minimè utrisq; cōmune est. Quid uerò, num inimici utrisque esse possunt? Possunt, ait. Superare itaq; eos utrisq; expedit? Expedit, ait. Sed prætermittis dicere, quid utilitatis afferre œconomica possit, si ad bellum uenire oportuerit. Multum, Socrates ait: bonus enim paterfamiliàs cùm sciat nil ita lucratiuum & profuturum esse ut pugnando hostes uincere, nec tam obfuturum & damnosum ut uinci, diligenter ea quidem quæ ad uictoriam obtinendam cōducant, perquiret & præparabit: quæ uerò uinci faciunt, considerabit, & ab eis cauebit: & cùm bene se sciat paratum, uiriliter pugnabit. Cùm autem nō sit paratus, abstinebit maximè à prælio cōmittendo. Noli, ô Nicomachides, parui pendere homines œconomicos, inquit. Cura nanq; rerum priuatarū, multitudine solū à reipub. gubernatione differt, in cæteris uerò similes sunt. Quod uerò maximū est, neq; absq; hominibus ulla istarū regitur, nec per alios quidem priuatæ, per alios uerò homines publicæ res gubernantur. Fidis nanq; hominibus utuntur, qui reipub. curā habent, quibus etiam illi qui proprias & priuatas gubernant. Qui enim uti hominibus non ignorent, & priuatas & publicas optimè regunt: qui uerò nesciant, in utrisque errant. Cùm disputaret autem quondam cum Pericle, Periclis illius celebratissimi filio: Spero ô Pericles, inquit, te imperatore electo, meliorem honorabilioremq; ciuitatē ad res meliores fore, hostesq; superaturā. At Pericles: Velim ô Socrates, ait, ita ut tu dicis fore. Sed quibusnam artibus ista efficiantur, nempe intelligere nō queo. Vis itaq;, Socrates inquit, de eis consideremus, quonam modo effici possint

Oeconomica uicina politica.

possint? Vehementer, ait. Cōsiderasti igitur, ait, Athenien-
 ses multitudine non esse pauciores quàm Bœoti sint? Con-
 sideraui, inquit. Corpora uerò bona ac pulchra, utrum à
 Bœotia, an ab Athenis putas plura eligi posse? Nec in hoc
 mihi uidentur Athenienses inferiores esse. Magis uerò be-
 neuolos inuicem quos? Equidem Athenienses, ait. Bœoto-
 rum nanq; multi cùm à Thebanis molestentur, maleuoli
 inuicem sunt: Athenis uerò nihil esse uideo. Quòd si hono-
 ris cupidi magis omnibus, ac amicitiae cultores Thebani
 uideantur, quæ multum homines ad pericula subeunda
 pro patria & honore hortantur, nec in his Athenienses
 minus illis habent. Atqui nulli sunt quibus præclariora
 pluræue maiorum suorum facinora suppetant, quàm A-
 thenienses: quibus multi confisi, nituntur uirtute præ-
 stantes ac fortes effici. Hæc omnia quidem uera, ô Socra-
 tes, sunt. Sed uides, ex quo illa mille militum strages cum
 Tolmide apud Lebadiam facta est, & apud Delum cum
 Hippocrate, prostrata quidem Atheniensium fama est ap-
 pud Bœotos: Thebanorum autem aucta est apud Athe-
 nienses, ita ut cùm antea Bœoti nec in sua patria aude-
 rent sine Lacedæmonijs alijsq; Peloponesiacis, Athenien-
 sibus resistere, nunc minentur ipsi per se Atticam aggre-
 di: Athenienses autem qui antea cùm soli Bœoti essent,
 Bœotiam uastabant, pertimescunt ne Bœoti Atticam de-
 populentur. Tum Socrates: Sentio, inquit, equidem sic
 se ista habere: uidetur autem mihi nunc magis esse ciuita-
 tem dispositam, ad bono uiro principi q; parendum. *Fiducia.*
 Fiducia nanq; negligentiam, inertiam, & inobedientiam pa-
 rit: timor autem circumspectos, obedientes, ac ordinatos *Timor.*
 homines reddit. Magnum argumentum huius nauas ha-

bes, qui quandiu nihil timeant, nullo ordine cuncta peragunt. Cum uerò aut tempestatem, aut bella suspicantur, non modò facillimè quæcunq; eis dicantur perficiunt, sed etiam magno cum silentio attendūt quid eis præcipiatur, sicuti illi qui tripudijs uacant. Si igitur, ait Pericles, nunc potius obediant, dicere te ô Socrates oportet, quo eos modo hortemur iterum ad pristinam attendere uirtutem, suam atq; felicitatem. Quemadmodum, Socrates inquit, si pecuniam quæ apud alios est, ut ipsi capiant eos hortari uoluissimus, id potissimū fieret si eis ostenderemus, illam eis fuisse paternam, ac ideo pertinere ad eos: sic etiã nūc, cum ut primas in uirtutibus exercendis habeāt uelimus, ostendendum est eis iamolim ad eos pertinere, quodq; si in his studeant, omnibus erūt facillimè potentiores. Quo autem pacto, ait Pericles, hoc eis persuadebimus? Si, ut puto, inquit, in memoriam eis reduxerimus quæcunq; de antiquioribus maiorum suorum audiuerunt, quantumq; illi optimi fuerunt. Num dicis, ait, de iudicio, quo deos Cecrops propter suam uirtutē dijudicauit? Ita, inquit. Nec non ortum Erechthei, ac educationē, bellumq; quod sub illo aduersus omnes Epirotas, quodq; sub Herculis prole aduersus Peloponnenses, omniaq; alia quæ sub Theseo facta sunt: in quibus omnibus patefactum est, magnopere illos omnibus illius ætatis hominibus præualuisse. Quòd si uis, quæ postea illorū quidem nepotes, qui nō ita multum ante nos uixere, perēgerūt, partim per se contra illos pugnantes qui toti Asiæ ac Europæ ad Macedoniã usq; dominabantur, amplioremq; potentiã q̄ sui maiores habentes, ac magnas res gestas edentes, partim autē & cum Peloponnensibus tum mari, tum terra uincentes, qui quidem dicuntur

dicuntur multò omnibus illius ætatis hominibus præstantiores fuisse. Dicuntur nãq; ait. Quapropter, inquit, cum in tota Græcia multi amissa patria aliubi habitassent, ipsi semper suã coluerunt: cumq; multi inter se discordias habuerunt, illorũ arbitrio cõtenti erant, ad illosq; nonnulli alij à potentioribus laceßiti refugiebãt. At Pericles: Ideo miror, ô Socrates, cur ciuitas ad peiorem statũ prolapsa sit. Puto, Socrates inquit, quòd quemadmodum alij quoq; nonnulli quoniam multũ præualuerunt, negligentie dediti, minus postea q̄ aduersarij ualuerunt: sic etiam Athenienses, cum multò superiores essent, neglexisse seipfos, & idcirco peiores effectos fuisse. Nunc autẽ, inquit, quid facientes pristinã uirtutem recuperent? At Socrates: Nil occultũ, ut puto: nam si cognitis maiorũ suorũ operibus, nõ peius quàm illi operentur, nõ peiores illis efficiuntur. Sin minus, illos saltem imitando qui nunc primas tenent, & in eisdem quibus etiam illi studendo, si similiter atq; illi eis utantur, nihilo erunt illis deteriores. Quòd si accuratius, etiã meliores eos euasuros esse credo. Vt ex dictis tuis sentio, inquit, longè uirtutem à ciuitate nostra abesse dicis. Quando enim Athenienses, aut seniores, ut Lacedæmonij, uenerabuntur? siquidem ab ipsis patribus incipiunt seniores despiciere. Aut gymnasijs utentur? siquidem non modò ipsi parui bonam ualetudinem ducunt, sed si quis est qui curet, derident eum. Aut quando magistratibus obedient? siquidem gloriuntur etiam despiciere magistratus. Aut quando ita consentient? quippe qui pro eo quod debebant alter alterum iuuare, conturbant, & sibipsis magis quàm cæteris hominibus inuident: ac plus omnibus tum in priuatis, tum in publicis congrega-

tionibus dissentiunt, pluresq; lites mouent: & malunt isto modo alter ab altero lucrari, quàm inuicē utiles esse. Publicis uerò rebus ut alienis affecti, nihilominus de istis rursus inuicem pugnant, & huiuscemodi potestatibus maxime gaudent. E quibus magna ignauia atq; prauitas in ciuitate oritur, hostilitas & odiū ciuibus innascitur. Quas ob res ego pertimesco ne quod intolerabile malū ciuitati cōtingat. Noli ō Pericles putare, Socrates ait, tam insanaibili prauitate Athenienses laborare. Nōne uides tam in naualibus certaminibus, q̄ in gymnasijs ordinem seruare, ac obedire magistratibus, & in tripudijs magistris eorum obtemperare? Hoc nanq; ipsum mirandum est, inquit, ipsos huiuscemodi quidē obedire superioribus: milites uerò ac equites effecti, qui uirtute uidentur præstare cæteris ciuibus, inobedientissimi sunt. At Socrates ait: Cōsiliū uerò quod in Ariopago est, nōne à probis consistit? Vehementer, inquit. Scis igitur, ait, alios quosdā qui melius, iustius, aut honestius lites iudicent, aliaq; omnia peragant? Non possum, inquit, reprehendere istos. Non oportet igitur, inquit, dolere, tanquā non essent ordinati Athenienses. Atqui, Pericles ait, in militaribus certaminibus ubi maxime sobrios, ordinatos, ac obedientes esse oportet, nulli horum attendunt. Fortassis ideo, Socrates inquit, quoniā in his illi cis præsentunt qui minimè sciāt. Citharistarum enim & tripudiantium ac salientium nullus conatur ignarus præfectus effici, neq; luctatorū, neq; pancratiistarū: sed omnes quicumq; his præsentunt, possunt probare à quibus illa didicerūt, in quibus præsentunt. Duces uerò plurimi ilicò efficiuntur: te tamen minimè talem esse arbitror: sed non minus opinor dicere posse, quando discere

scere incoepisti imperandi artem, quàm colluctandi: multasq; res gestas paternas memoria tenere, multaq; undiq; cōgregare exempla, è quib. discere poteris aliquid profuturū ad rem militarem. Puto autem te magnam curam habere, ne quicq; ignores eorum quæ militiæ profunt: quodq; si quid tale te ipsum sentias ignorantem, quæritare illos qui hæc sciant, nec donis, nec gratijs parcendo, ut ab eis quæcunque ignoras discas, ac bonos cooperatores habeas. At Pericles: Nō fugit me ò Socrates, ait, te talia dicere, nō ignarum quòd nullam eorū habeo curam, sed me cōmonendi gratia, si quis uelit exercitū ducere, horū omnium habendam ei esse curam. Ac tibi ego quoq; in his cōsentio. Hoc uerò considerasti ò Pericles, Socrates ait, ante nostrū agrum magnos montes præpositos esse, Bæotiam usq; descendentes, per quos ad territorium nostrum introitus arcti, arduiq; sunt, & quòd media regio mōtib. asperis munita sit? Maximè, inquit. Quid uerò? Illud ne unq; audiuisti, cū Mysi atq; Pisidæ in medio magni regis Persarum imperio munita detineant loca, leuiter etiā armati, multa quidem discurrendo damna regijs hominib. inferunt, ipsi autem in libertate uiuunt? Et hoc, ait, audiui. Athenienses itaq; nō putas, inquit, leuiorib. armis armatos, dum in ætate teneriori sunt, ac mōtes antepositos habentes, damnosos hostibus, ciuibus uerò et patriæ, magnæ custodiæ fore? Omnia mihi uideris, ait Pericles, utilia dicere. At Socrates: Cū ergo hæc tibi placeāt, inquit, aggredere ea uir optime. Quicquid enim istorū perficias, et tibi honorem, et ciuitati utilitatem afferet. Quòd si quid tuas uires superabit, nec tibi uerecūdiæ, nec ciuitati nocumento erit. Glauconem uerò Aristonis filium cū conaretur

racionari, cuperetq; rempub. gubernare, nondum uiginti annos natus: cumq; nullus nec amicorū, nec propinquorum, qui multi tamen ei erant, uidebantq; sæpe à pulchro tractum atq; detrusum, et multis ridiculum factum, dissuadere potuisset, solus Socrates ei beneuolēs propter Charmidem atq; Platonē, dissuasit. Cū enim ad eum accessisset, primò quidem ut uellet eum audire, huiuscemodi uerbis illū detinuit: O Glauco, inquit, rempub. nostrā regere cogitas? Ita, ait, ô Socrates. Si quid in humanis me hercle, inquit, hoc mihi honestum esse uidetur. Planū enim, si hoc obtinebis, quòd poteris ipsemet quæcunq; cōcupiueris obtinere, amicos iuuare, domū paternā erigere, patriā augere, atq; præclarus fama efficieris, primò quidē in ciuitate, deinde apud Græciā totam, postea uerò fortassis etiā apud barbaros, sicuti Themistocles. Vbicunq; autem fueris, ubiq; celebrer eris. Hæc audiens Glauco superbiebat, ac libenter manebat. Post hæc autem Socrates: Patet autem hoc Glauco, inquit, si honorari uelis, utilitatem aliquam ciuitati reperire debes. Maxime, ait. Per deos igitur immortales, inquit, noli me celare, sed dic nobis, à quo incipies ciuitati benefacere? Cū autem Glauco tacuisset, quasi tūc cogitaret unde inciperet: Num, Socrates inquit, quemadmodum si amici domū augere uelis, ditiorē eam conaberis efficere, ita etiā ciuitatem tentabis ditiorē efficere? Ita, inquit. Ditior autē, Socrates ait, effecta fuerit, si ei multiplicētur prouētus. Verisimile est, ait. Dic igitur nobis, Socrates inquit, in quibus nūc diuitiæ ciuitatis cōsistunt, et quot sunt: patet enim te super his superputasse, supplendi causa, si quid deficiat. Mehercle, Glauco inquit, super his nō consideravi, sed si hæc, Socrates inquit,

inquit, præteristi, sumptus quos ciuitas subiit, enumera nobis: palam nanq; est te cogitasse, auferre illos, qui superflui sunt. Mehercle nondum nec ad ista uacauit. Quo igitur pacto ditior ciuitas efficiatur, super sedebimus, Socrates ait: nec enim est possibile ignorantibus sumptus ac redditus, horū curam habere. Sed ô Socrates, Glauco inquit, possibile est ab hostibus etiam ciuitatem ditari? Vehementer, ait, mehercle, dummodo quis hostes superaret: quòd si uinceretur, etiā sua amittet. Verum dicis, inquit. Illum igitur, ait, cuius cōsilio bellum aliquibus inferatur, & ciuitatis potentiam & hostium scire oportet, ut si maior est potentia ciuitatis, suadeat bellum: si minor, abstinere consulat. Rectè ais, inquit, profectò. Primo itq; ait, nobis expone tam terrestrem, q̄ naualem ciuitatis potentiam, deinde hostiū. Mehercle, ait, non possem ita ex tempore tibi exponere. Sed profer, inquit, in medium si quid tibi de ista re conscriptum existit: ualde nanq; libenter audiam. Mehercle, ait, nec quicq; mihi conscriptum extat. De bello igitur, inquit, non est nobis à principio consulendum: fortassis enim propter eorum magnitudinem, præsertim cū nuper incœpisti præsidere, nondum inuestigasti. De custodia uerò ciuitatis scio te curam habuisse, ac scire quot opportuna, quòtue superflue custodie sunt, & quot custodes sufficiunt, quisq; numerus eorum non sufficiens sit, ac opportunas quidem custodias consulere augere, superfluas uerò auferre. Mehercle, Glauco ait, omnes ego dicerem esse tollendas, cū ita custodiant ut agro noceāt nostro. At Socrates: Nōne putas, inquit, si quis custodias auferret, potestatem arripiendi omnibus fore uolentibus? Vtrum autem tuipe abiens examinasti

hoc, an quomodo scis quòd male custodiantur? Conijcio, inquit. Num igitur, ait, cùm non conijciemus, sed certò sciemus, tum de his etiam consulemus? Fortassis, Glauco inquit, hoc melius sit. Ad argentarios uerò, inquit, certò teneo te non abiisse, ut habeas dicere cur pauciora nunc illinc quàm antea adueniāt. Minimè, inquit. Etenim mehercle, Socrates ait, locus ille dicitur esse morbosus: quapropter cùm hac de re consulere oporteat, hæc excusatio tibi sufficiet. Rides me, Glauco inquit. Hoc tamè, ait, certè non neglexisti, sed considerasti, quanto tempore ad alendam ciuitatem, quod in agro nostro nascitur, triticū sufficiat, quantoq; alieno in annū indigeat, ne te aliquando lateat ciuitas indigentia patiens, sed cognoscens possis consulendo ciuitati quæ ei necessaria sunt prospicere, saluamq; eam facere. Grauisimā rem ais, Glauco inquit, si quidem horū quoq; curam habere oportet. Atqui, Socrates ait, nec suam priuatam quisq; bene domū habitet, nisi omnia sciat quibus opus ei fuerit, omniaq; diligenter acquirat. Sed cùm ciuitas, inquit, ex pluribus quàm decē milibus domibus constituta sit, difficile uerò sit tot domorū simul curā habere, cur nō tentasti unā primò auūculi tui domū augere? etenim indiget. Nam si hanc potueris maior rem efficere, conaberis postea etiam ciuitatem augere. Quòd si uni prodesse nō poteris, multò minus plurib. Sicut si quis unū talentū ferre nō possit, quomodo nō planū plura ferre non esse ei conandum? Ad hæc Glauco: Possim ego, inquit, domui auūculi prodesse, dummodo mihi suadenti pareat. Cùm igitur, Socrates ait, uni tuo auūculo persuadere nō possis, cunctos Athenienses unā cū auūculo tuo putas posse inducere ad tibi parendum? Caue ô Glau

co, inquit, ne cupiditate honoris assequaris contrarium. An non uides quàm periculosum sit ea dicere aut agere, quæ quisquam ignorat? Cōsidera autē quales apparent, quoscunq; cognoscis dicētes aut agentes quæ minimè sciunt: utrū uidentur tibi in huiuscemodi laudari, an potius uituperari? Et utrum honorari ab hominibus an negligi? Considera uerò etiam illos, qui sciunt quæcunq; dicant, quæcūquē agant. Ut ego nanq; puto, in omnibus inuenias illos quidē honoribus et admiratiōe dignos, qui maxime sciant: qui uerò ignorant, illos ignominij ac cōtemptu affectos. Si itaq; cupis honoribus ac admiratione in ciuitate affici, conare quāmaximè potes, ut scias quæcunq; agere uelis. Si enim in his præstantior alijs effectus incipias rempub. regere, non mirarer, si ualde facile quæcūq; cupis obtineas. Charmidem autē Glauconis cum uideret magnæ autoritatis hominē esse, ac multò potentiorē illis qui rempub. gubernabāt, formidantē autem ad rempub. gubernandā accedere: Dic mihi ô Charmides, ait, si quis cum sufficiens in certaminibus uincere sit, ac ideo ipse honorari, et patriā apud totam Græciā honorabiliorem efficere possit, nolit certare, qualem hunc uirū putas esse? Profectò, inquit, mollem ac formidolosum. Quid si quis, ait, cum possit rempub. gubernādo ciuitatem augere, ac ipse honorari, non faciat, nōne meritò pro formidoloso habeatur? Fortassis, inquit. Sed ad quid me hæc interrogas? Quoniam, ait, puto te, cum possis, nolle curā habere præsertim illorū, quorū participare te necesse est ciuem existentē. Quo uerò argumēto, inquit Charmides, meam uirtutem cōprehendens, de his me accusas? In disputationibus, ait, quas cum rempub. gubernantib. aliquando ha-

bes. Etenim quando quicquam tecum cōmunicant, uideo te rectè consulentem: & cū peccant, rectè increpantē. Non est simile ô Socrates, inquit, priuatim disputare, & in uulgo certare. Atqui, ait, qui numerare possit, non minus apud uulgum quàm solus numerat. Quiq; per se optime cithara canere sciant, ijdem etiã apud uulgū primas obtinent. Verecundiam autem & timorem non uides, inquit, insita esse hominibus, & multò magis apud uulgus quàm cum soli simus, nobis molesta? Scio, ait: teq; admonere uolo, cū neq; prudentiores reueraris, neq; potentiores timeas, coram insipientioribus ac debilioribus ne ratiocinari desistas. Vtrum enim coriarios, aut cerdones, aut edificatores, aut fabros, aut agricolas, aut negociatores, aut illos qui in foro uersantur, ac cogitāt quid paruo emptum magno uendant, reuereberis? Ex huiusmodi nanq; omnibus concio consistit. Quod uerò tu nunc facis, quid putas differre ab illis, qui cū sint meliores exercitatis, ignauos homines timeant? Cū itaq; disputādo tum illos qui primas in ciuitate tenent, qui facile te disputantē despiciunt, tum illos qui conantur apud uulgus concionari, multò superas: coram illis qui nec unquam te despexerunt, nec de repub. curarūt, te dicere pigebit, timentē ne derisui eis fias? Quid uerò, Charmides ait, nōne tibi uidetur concio nonnunquã eos deridere qui rectè dicunt? Nam et cæteri, inquit. Quapropter admiror te, si illos cū hoc faciant, facile arguēs, cū istis nullo modo putas posse conuersari. Noli te ô optime ignorare, nec illa peccare quæ plurimi. Multi etenim res alienas curiosius inuestigantes, seipsos examinare negligūt. Noli itaq; cōtemnere istud, sed conare ad teipsum attendere: neque rempublicā

negligere, si quid utilitatis per te adipisci possit. His enim bene habentibus, nō solūm ceteri ciues, sed tui etiam amici, & tu ipse nō parū utilitatis acquiras. Aristippo autem uolenti Socratem redarguere, quemadmodū ille prius ab ipso redarguebatur, uolens ijs qui intererant Socrates aliquam utilitatem afferre, respondit non quemadmodum illi qui cauent ne sermo in aliquo mutetur, sed quemadmodum potuisset audientibus persuadere ut bene agant. Ille nanq; eum interrogauit, num quid bonum esse sciret: ut si quid tale dixisset, utpote cibum, aut potum, aut pecuniam, aut sanitatē, aut robur, aut audaciā, ostenderet hoc idem quandoq; malum esse. Socrates uerò sciens, quòd si quid nos grauet, optamus ut aliquis nos eo liberet, respondit quemadmodum oportebat: Vtrum, inquit, interrogas me, num quid febrim bonū sciam? Minimè, ait. Sed oculorum doloris? Nec istud. Sed famis? Nec famis, ait. Atqui, inquit, si me interrogas si quid bonum esse cognoscam, quod nullius sit bonū, nec scio tale, nec opus est mihi. Rursum Aristippo interroganti eum, si quid honestum sciat: Et multa, inquit. Vtrum autem, ait, omnia similia inuicem? Nonnulla, inquit, quantū possibile sit, dissimilia inuicem. Quomodo igitur, ait, quod honesto dissimile est, honestū esset? Quoniam, inquit, honesto ad cursum homini alius dissimilis est, et alius ad palæstrā. Nec nō etiā scuto quod ad protegendū honestum decensq; sit, ualde dissimile est telum bonum, quod in hoc factum est, ut citò & uehementer feratur. Non aliter mihi respondes, ait, nisi quemadmodum cū te interrogauerā, si quid bonū scias. Tu uerò putas, inquit, aliud bonū, aliud honestū esse? Nōne cognoscis quòd ad eadem, omnia bona ac honesta sunt? Pri-

mo nanq; uirtus nō ad alia bonum, ad alia honestum est. Deinde homines secundum idem, & ad eadem boni atq; honesti dicuntur. Ad eadem etiam & corpora hominū bona atq; honesta apparent. Cæteraq; omnia quib. homines utuntur, ad eadem cōparata, bona & proba putantur, ad ea scilicet quorum gratia facta sunt. Num igitur is corbis quo stercore effertur, honestus est? Mehercle, inquit: ac scutum aureum inhonestum & turpe, dummodo hic quidem bene, istud uerò malè, ad suū opus factū sit. Dicitur igitur, ait, eadem esse honesta & turpia. Non solum mehercle, inquit, sed etiā bona & mala. Sæpe enim quod fami bonum, febribus malum est: & quod febribus bonum, fami malum est. Nō rarò etiam quod ad cursum honestum, ad palæstram turpe: quod uerò ad palæstram honestum, ad cursum turpe. Omnia nanq; ad illa comparata, ad quæ bene se habent, honesta ac bona sunt: ad illa autem quæ malè, mala ac inhonesta. Domos quoq; cū diceret easdem esse honestas atq; utiles, docere mihi uidebatur quales oportet ædificare. Vtrum enim, aiebat, illum qui habiturus est qualem deceat domum, hoc considerare oportet, ut quàm delectabilis & utilis habitantibus sit? Cū uerò hoc concederetur, delectabile itaq; dicebat est, in æstate frigidam illam habere, in hyeme autem calidā. Cū autem etiam in hoc cōsentiret, In domos igitur, aiebat, respicientes meridiem, in hyeme solares radij ingrediuntur: tempore uerò æstiuo cū sol supra nos & per

Aedificandi tecta cat, umbram reddit. Si itaq; bonum est sic ista fieri, ratio. oportet altiora quidem quæ meridiem respiciunt ædificare, ut sol hyemalis non excludatur: humiliora uerò, quæ aquilonem, ut frigidi non incidant uenti. Et, ut uno uerbo

uerbo dicam, ubi omnibus horis ipse libenter refugiat,
 suamq; supellectilem securè deponere possit, ista profectò
 maximè delectabilis, ac optima domus esset. Picturæ aut
 ac uarietates plures delectationes auferunt, quàm affe-
 runt. Templis uerò atq; aris locum esse aiebat cōuenien-
 tem, qui cum eminentissimus sit, nō facillimum aditum ha-
 beat: confert etenim hoc tum ut aspicientes orent, tum ut
 casti adeant. Rursus interrogatus, utrū fortitudinem na-
 tura, an doctrina assequamur: Puto equidē, inquit, quòd
 quemadmodū corpus alio corpore robustius ad labores
 subeundos nascitur, sic etiam animam alia anima fortio-
 rem ad pericula sustinenda fieri. Multos nanq; in eisdem
 moribus ac legibus nutritos, uideo multum alios alijs au-
 dacia excellere. Arbitror tamen omnem naturam doctri-
 na ac exercitatione ad fortitudinem crescere. Patet nanq;
 quòd Scythæ & Thracæ nō auderent scutis ac hastis ad-
 uersus Lacedæmonios pugnare. E cōuerso uerò Lacedæ-
 monij nec aduersus Thracas peltis ac telis, nec cōtra Scy-
 thas arcubus uelint certare. Præterea eodem modo in a-
 lijs quoq; omnibus uideo et natura homines inuicem dif-
 ferre, & studio multū augeri. E quibus patet, omnes ho-
 mines oportere, siue boni, siue mali ingenij sint, discere
 atq; studere in eis in quibus uelint excellere. Sapientiam
 uerò & moderationem nō distinguebat. Qui enim bona
 atq; honesta sciat, ut eis utatur: ac turpia cognoscat, ut ab
 eis abstineat, sapientē ac moderatū esse iudicabat. Inter-
 rogatus uerò, si illos qui sciant quæ agere oporteret, con-
 trā uerò faciant, sapientes & abstinentes esse arbitretur?
 Imò, inquit, insipientes potius atq; ignaros: omnes enim,
 ut opinor, eligendo quammaximè possunt quæcunq; eis

Virtus an stu-
 dio comparatur

conducere uideantur, illa agunt. Quicumq; ergo non rectè agant, neque sapientes nec moderatos eos esse. Aiebat autem, iustitiam etiam, omnemq; aliam uirtutem, sapientiam esse. Omnia enim siue iusta, siue quæcunq; cum uirtute aguntur, bona atq; honesta sunt: quæ si quis sciat, nec eligere, nec alia agere præter hæc potest: quod si conaretur, aberrat. E cõuerso uerò qui nesciat, nec agere illa potest, et si conaretur, aberrat. Cùm igitur tum iusta, tum etiam alia bona atque honesta, uirtute perficiantur, patet iustitiam ac omnem aliam uirtutem sapientiam esse. Insaniam autem contrarium esse sapientiæ ponebat, non tamen inscitiam insaniam appellabat: sed ignorare seipsum, ac illa quæ nesciret, opinari cognoscere, hoc prope insaniam esse aiebat. Quamuis uulgus non illos qui nesciant quæ plures ignorant, putent insanire: sed illos potius qui ignorant, quæ plures cognoscant. Nam siue tam longum quisquam se esse putet, ut cùm portas exeat urbis, sese demittat: siue tam robustum, ut conetur domos supra humeros tollere, aut aliquid aliud facere quod omnes impossibile esse sciant, illum insanire dicunt. Qui uerò in paruo quodam aberrat, ille non uidetur uulgò insanire: sed sicut uehemens desiderium cupidinem appellant, sic magnam inscitiam insaniam nominant. Cõsiderans autē

Inuidia quid. quid inuidia sit, dolorem quendam reperiēbat eam esse, non tamen nec in aduersa amicorū, nec in sequenda fortuna inimicorum: sed illos inuidere aiebat, qui in amicorum prosperitate doleant. Cùm uerò quidam mirarētur, si quis cū quendā amaret, doleret in eius prosperitate: ostendebat multos esse ita ad quosdam affectos, ut eos aduersitate laborantes non possint negligere, sed in quantū

possunt succurrant, in prosperitate uerò eorum doleant. Hoc autem prudenti uiro minimè, sed stolidis contingere asserbat. Cùm uerò de ocio quidnam sit consideraret, ut plurimū dicebat se deprehendere omnes aliquid facere: etenim qui taxillis, quiq; risui excitando uacant, aliquid faciunt, nihilominus huiuscemodi omnes ociosos dicebat. Liceret nanq; eis, istis dimissis meliora agere: à meliorib. uerò ad peiora cadere, nulli ociū esse: quod si quis faciat, hunc cùm sit ei negociū, dicebat malè id facere. Reges au-

Reges.

tem & principes nō illos esse qui scepra ferunt dicebat, nec illos qui aut à quocunq; cōtingit electi, aut sorte, aut uiolentia, aut deceptione assumpti fuerūt, sed qui regere sciant. Cùm enim quisq; fateatur, principis quidem propriū esse, iubere quid oporteat facere, subditi uerò parēre: ostendebat & in nauī illum principem esse, qui sciat: patronum uerò nauis & alios nautas omnes obedientes scienti. Ac in agricultura quicunq; habeant agros, & in agritudine egrotos, & in corporū exercitatione qui se exercent, ceterosq; omnes qui possideant aliquid, quod indigeat cura, si illi quidem scire putent, de eis curam habent: sin minus, scientib. nō modò si coràm adsint, parent, sed etiam absentes accersunt, ut illorū consilio, quæ oporteat, agant. In texendo uerò mulieres quoq; monstrabat maritis dominari, propterea quòd illæ quidem artem texendi sciant, illi autem ignorent. Quòd si quis ad hæc opponeret, tyranno licere nō parēre illis qui rectè dicāt: Et quomodo liceret non parēre, inquit, cùm damnum peccantibus impositum sit? Si quisquam enim non illi parēret qui rectè dicat, peccet necesse est: qui uerò peccat, necessariò damnatur. Quòd si quis diceret, tyranno licere

etiam interficere illum qui rectè sapit. Eum uerò, aiebat, qui sociorum optimos interimat, putás ne indemnem fore, aut in minimis damnari? Vtrum enim arbitraris saluum manere illum qui huiusmodi agat, an hoc modo citius perdi? Cùm quidam uerò eum interrogasset, quid ei uideatur optimū homini: Studium, respondit, bene agendi. Cùm autem rursus petijisset, si etiam secundam fortunam studiū putet esse: Totum, inquit, contrariū ego fortunam & actionem esse puto. Cùm enim non queritanti quicq̃ boni cuiquam occurrat, secundam fortunam hoc esse. Cùm uerò doctrina ac exercitatione bene quis agat, hanc bonam actionem esse arbitror: quicq̃ hoc meditantur, hi mihi bene agere uidentur. Optimos quoq; ac deo amabiles illos esse aiebat, qui in agricultura quidem, quæ agriculturæ sunt: in medicina, quæ medicinalia sunt: in repub. quæ ciuilia sunt, bene agant. Illum uerò qui nihil horum bene agat, nec deo amabilem, nec in aliquo utilem esse aiebat. At qui si quando etiam cum artificibus disputasset, & his perutilis erat. Cùm quondam enim ad Parrhasiū pictorem intrasset, atq; cum illo disputaret: Num ò Parrhasi, inquit, pictura est eorum quæ uidentur, imitatio? Nam cōcaua & eminentia, tenebrosa ac lucida, dura & mollia, aspera & leuia, ac noua & uetera corpora per colores imitamini. Verum dicis, inquit. Venustas itaq; species cū similes reddere uelitis, ait, cum q; nō sit facile ad unū hominem omnia irreprehensibilia habentē, respiciendo imitari, à multis colligentes quicquid optimū quilibet habeat, sic facitis corpora uenusta apparere? Sic facimus, inquit. Quid igitur animi effigiem illam suauissimam, amantissimā, atq; charissimā nō imitamini? An nō est

est imitabilis ista? Quo nãq; pacto, inquit, ô Socrates, imitabile hoc esset, quod neq; proportionem, neq; colorem, neq; quicq̃ illorum quæ tu paulò antea dixisti, habeat, nec omnino uisibile sit? Vtrum, ait, hoc fit in homine, ut modò amicè, modò inimicè quosdam intueatur? Ita, inquit. Atqui, ait, magnificum ac liberale, humile ac illiberale, moderatum ac prudens, contumeliosum ac honesti ignarum, tam per faciẽ, quàm etiã per gestus, tam stantium, quàm illorum qui mouentur hominũ, patescit. Ita, inquit, profectò. Quædã ego imitationes eæ etiam sunt? Et maximè, ait. Vtrum itaq;, inquit, illa libentius putas homines uidere, per quæ honesti, boni, amabilesq; mores apparent, an illa per quæ turpes, ac prauis, ac odiosi? Multum interest mehercle, inquit, ô Socrates. Quõdam uerò ad Clitonem statuarium ingressus, & cum eo collocutus, O Clito, ait, certè quidem teneo ac uideo, quòd dissimiles facis cursores, luctatores, pugiles, ac pancratiastas: illud uerò quod per uisum maximè delectat, uiuum scilicet apparere, quomodo statuis immittis? Cùm uerò hæsitans Clito respõdere differret, Vtrum, inquit, quàm maximè uiuentium formis assimilans opera tua, uiuaciores facis statuas apparere? Maximè, inquit. Affectiones uerò etiam corporum, quæ in quoquam laborant, imitari, nõnne quandam delectationem uidentibus affert? Cur non? inquit. Illorum itaq; oculi, ait, qui pugnant, cõminacè ne, uictorum autem frontes lætæ ostendendæ sunt? Maximè, inquit. Oportet igitur, ait, statuariũ animi affectus per corporis effigiem exprimere. Ad Pistiam autem armorum fabrum, cùm ille thoraces ostenderet Socrati bene elaboratos: Per Iunonem ô Pistia, inquit, bona hæc in-

uentio est, propterea quòd thorax illas quidem quæ indigent cooperiri hominis partes, operit, non autem prohibet manibus uti. Porrò dic mihi ô Pistia, cur quum nec fortiores, neq; sumptuosiores facias thoraces, pluris uendis? Quoniam, ait, ô Socrates, concinniores eos facio. Concinnum autem, inquit, utrum mensura, aut pondere ostendens, pluris æstimas? Non enim æquales omnes, nec similes puto te facere, si quidem decentes eos facis. Ita, inquit, mehercle. Nam absque hoc nulla esset thoracis utilitas. Sed tamen, Socrates ait, corpora quoque hominum alia quidem concinna, alia uerò inconcinna sunt. Vehemèter, inquit. Quo igitur, ait, modo corpori inconcinno decentem thoracem concinnum facis? Quemadmodum, inquit, decentem: quicumq; enim decens est, ille etiã concinnus est. Puto te, Socrates ait, non per se, sed ad illũ qui utitur, hoc incõcinnum statuere, ac si diceres, scutum cuiicumq; decens sit, illi concinnum esse: similiter uestem: & cætera eodẽ modo uidentur tua opinione habere. At tamen fortassis aliud quoq; non paruum bonum decenti adest. Doceas, inquit, ô Socrates, si quid habeas. Minus, ait, grauitate opprimunt qui decentes, quàm qui non decentes sunt, quanquã æquale pondus habeant. Qui nanque nõ sunt decentes, aut toti ab humeris pendentes, aut aliud membrum ualde opprimentes, graues & intolerabiles efficiuntur: qui uerò congrui sunt & decentes, partim nodis scapularũ, partim ab humeris, tum à pectore, tum à tergo et uentre subleuati leuissimè feruntur. Bene, inquit, dixisti: ob has enim causas mea opera ego magni esse existimo: nonnulli autem signis uarios & deauratos thoraces potius emunt. At Socrates: Si propterea incon-

gruos emunt, ait, malum mihi uidetur uarium & deauratum emere. Cùm uerò, ait, corpus non maneat in eodem, sed modò curuetur, modò erigatur, quomodo exquisiti cõueniant eis thoraces? Nullo modo, inquit. Hoc dicis, ait, nõ illos decentes ac concinnos esse qui exquisiti sunt, sed qui non molestant, dum quis eis utatur? Tu ipse, ô Socrates, id dicis, & modò rectè iudicas. Cùm autem mulieris cuiusdam formosæ nomine Theodote, quæ posset uel cum lugente cõgredi, quidam corũ qui tunc aderant Socrati, meminisset, dixissetq; omnem de illius laudibus differentium sermonem à pulchritudine mulieris superari, asseruissetq; pictores etiã eam adiuuisse imitandi causa, & illã ostendere quæcunq; honestè posset, Eamus & nos uisum eam, Socrates ait: nõ enim magis auditu quàm uisu de ea discemus. Itaq; illo ductore qui eam laudauit, Theodoten adeuntes, inuenerunt eam adstantem pictori. Cùm autem pictor cessasset: Vtrum nos, inquit, ô uiri optimi gratias agere Theodotæ oportet, quoniã nobis suam pulchritudinem ostendit, an potius eam nobis, quoniã uidimus? An si utilior huic est ostentatio ista, hanc nobis: si nobis spectatio, nos huic gratiã habere oportet? Et cùm quidã dixisset, iusta eum dicere: Hæc itaq; ait, iam nunc laudem à nobis lucrifacit, cùm uerò pluribus prædicauerimus, plus utilitatis habebit. Nos autẽ & ea quæ uidimus tangere cupimus, & abibimus amore dolentes, & absentes desiderabimus: è quibus omnib. fiet, ut nos quidẽ seruiamus, huic uerò seruiatur. At Theodota: Mehercle, inquit, si hæc sic se habent, me oportet uobis gratias agere. Post hæc cùm Socrates uideret ipsam magnificè uestitam, ac matrem presentem non uulgari ueste indutam, & famulatum curioso

adstantem, ancillasq; multas atq; formosas, et has quidem non neglectas, ceterisq; omnibus abundanter domū eius instructam: Dic mihi, ait, ô Theodota, est tibi ager? Minime, ait. Sed domus redditus habens? Nec domus, ait. Nunquid autem artifices quidem manib. tibi laborantes? Nec artifices, ait. Vnde igitur, inquit, necessaria habes? Si quis ait, amator mihi affectus benefacere uelit, hic mihi uita et redditus est. Valde bona ecastor, inquit, possessio est: multoq; melius est amicorum quam ouium, bouum, ac hœdorum gregem possidere. Sed utrū, inquit, fortunæ permittis, si quis ad te ut musca uolet, an tu etiam aliquid machinationis confers? Et quo, ait, pacto huius rei machinationem ego ullam inueniam? Multo magis, inquit, mehercle quam araneæ: scis enim quod ille cum uenentur illa quæ ad uictum eis necessaria sunt, telis subtilibus contextis, quodcuq; in his incidat, hoc uestuntur. Consulis ergo, ait, mihi etiam aliquem cōtexere laqueum? Non enim, inquit, tam facile esse existimandum, amicos, rem tanti precij, uenari. Nōne uides quod etiam lepores parui existimandam rem sectantes, multa machinantur? Dum enim noctu pascendo aberrant, sagacibus canibus eos captant: at alios interdum habent canes, quibus nocturna quæ liquerint cubilia comperiant. Tum & si quos offenderint lepores, eos habent alipedes canes, quibus aduolantes queant intercipere. Necnon & retia per insidias disposita sunt, quibus qui canum ora effugiunt, decipiuntur. At ipsa: Quonam horū, inquit, utar ad meos captandos amatores? Si per Iouem, inquit ille, pro cane quempiam apud te habebis inuestigatorem huiuscemodi amatorum, atq; fortunatorū hominū, qui quidem ut primū eos

eos compererit, doctus arte, efficiet ut tua in retia concidant. At illa: Et quænam sunt apud me retia? inquit. Tum ille: Sunt, & perquam optima, inquit. Forma enim istæc tua, atq; ingenium, quo calleas amicos uerbis gestuq; tibi affectuissimos reddere: eos item qui te ament, per humaniter suscipere, dissimulatores uerò amoris excludere: bene de te promerentibus bene gratias referre: eos item qui in aduersam aliquã sortē inciderint, tua ope leuare: qui uerò sequunda fortuna utatur, illi congratulari: denique qui te ardeant, eos omni gratia prosequi. Et nosti quidem nō molliter modò amoribus inseruire, uerum & ipso flagrare amore: & ut adsint tibi optimi aliqui amatores, re ipsa non uerbo efficis. Tum illa: Mehercle hæc ego non molior. At ille: Atqui permaximi interest, prout fert natura, cum homine uersari. Nanq; ui amicos neq; capies, neq; tenebis: beneficio enim & uoluptate fera hæc capitur. Verū tu inquis, ait. Oportet quidem, inquit, ab amicis ea petere, quæ faciliè atque non inuiti faciant: tum de te bene meritis, bene referre gratiam opus est. Nanq; sic maximè & amici parantur, & diutissimè amant, & maxima beneficia cōferunt: omniūq; erit in primis gratissimū, si tua tum dederis amanti dono, cum egeat. Vides ut cibus etiã dum nō appetentibus porrigas, iniucundus sit, quin & saturis fastidiū afferat: appetentib. uerò & fame scentibus etiã minus apparatiores cœnæ sunt iucundæ. Et quonam, illa inquit, pacto ipsam hanc famem in quoquã excitabo? Si mehercle, inquit, non ultrò saturis ipsam te offeras, usquedum rursus appetant: illis uerò qui te appetant, talem te exhibueris, ut nō per lasciuiam, sed per beneuolentiã deperent sibi à te quale poscant munus dari.

Etenim interest ita exposcentibus atque saturis ipsam te prestare. Tum illa: Et quid non fuisti ô Socrates amicorum conuenator mea causa? Id, inquit, mehercle si persuaseris. Tum illa: Et quomodo, inquit, tibi persuadebo? Ac ille: Tu istuc uideto, si quid tibi nostra futura est usui opera. Et illa: Modò ad me sepius redeas. Tum Socrates suum hac in re ocium carpens, inquit: Non id per res meas & publicas & priuatas possum. Sunt etiam & apud me nonnullæ amicæ, quæ quidem me die noctuq; asiduuum detentent, uenenaq; à me amatoria cantionesq; ediscant. Scin' tu, inquit illa, & huiusmodi hæc? Quidnam, inquit, putas rei esse, quòd Apollodorus & Antisthenes hic à me nusquam discedant? quid item & Cebes Simmiasq; è Thebis ad me proficiscantur? Velim hoc scias, non sine cantionibus atque ueneficijs hæc fieri. Et peto abs te, inquit, ut ea mutuò nobis des, quò ipsum te ad nos commodius traham. Non istuc, inquit, abs te uelim trahi ut ad te ueniam, sed ipsam te ad me trahere, ut ad me uenias. Veniam, inquit illa, modò suscipias. Suscipiam, ait, ni modò intus apud me te amantior fiet. Epiginem uerò quendam inter eos qui aderant familiarem uidentem, qui & iuuenis esset, et corpore malè affecto: Quàm priuati hominis more corpus affectum, inquit, habes Epigenes. Et ille: Nimirum priuatus sum, inquit, ô Socrates. Nihilò profectò magis, inquit, quàm quibus est in Olympia certandum. An tibi parum uidetur, aduersus hostes de uita certare, quod certamen Athenienses proponent, cum res feret. Atqui non pauci propter corporis malam cõstitutionem in bellorum periculis aut percunt, aut turpiter euadunt. Multi item capti, aut in seruitute
dura

dura uitam degūt, aut per peſſis maximis cruciatibus tandem ſeſe omnibus ſuis facultatib. expoſitis redimūt: quo fit ut reliquam omnē uitam per ſummā egeſtatē ducant, de ſeꝓ; apud multos opinionē ſubeant formidoſoſi, ob corporis imbecillitatē. Num tu idcirco hoc imbecillitatis precium minimi ducis, putās ue ferendum facilē? Multò quidem faciliora & ſuauiora ea deputo quæ ferenda ſint, ut corporis robore & uiribus probè ualeas. Putās ne malā habitudinem corporis magis ad firmitatem, & ad reliquas res agendas cōferre, quā bonam habitudinem? an ea negligis, quæ per bonam habitudinem corporis fiant? Contrā quidem euenit his qui bona habitudine corporis fruuntur, atq; his qui mala. Etenim hi rectius ualent, qui corpore ſunt uiribus ualido, quo in bellorū certamine ſe ſuosq; ſeruare, patriāq; tueri, periculaq; ſuperare poſſint: quo item gratiā gloriāq; nanciſci, & reliquā omnem uitā letam, & plenā autoritatis ducant, ſuisq; liberis optimos poſteritatis fructus relinquūt: neq; enim oportet, eſſi patria nullas publicas expeditiones exercean, eò etiā priuatā de his rebus curam nō habere. Velim ſcias, nullam ad rem exequendam tibi corpus futurum impedi- mento, ſi uiribus rectè ualeas. Ad quæ uis enim peragen- da, corpus huiusmodi perutile eſt: in omnibusq; corporis uſibus multò differt, roborē ne ualeas, an imbecillitate in- terpelleris. Quæ quidem ad ingeniū ſpectāt, eſſi minimè putas cōmerciū habere cum corpore, ſit tamen ut à corporis imbecillitate impediātur. Nam obliuio, mœror, fu- ror, duritiesq; animi & inſania, ſepe multis propter cor- poris aduerſam ualeitudinem in mentē incidunt, adeò ut etiā ſcientias amittāt. Quibus uerò corpora rectè ualeāt,

nullum inde ad mentē periculum redundat. Itaq; ualetu-
 dinem integrā ad omne, quod ab imbecillitate manat, tol-
 lendum incōmodum ualere constat. Pro his igitur tollen-
 dis, quæ, ut diximus, aduersa sunt, quis mentis cōpos nō
 etiam maximos labores sustineat? Turpe etiam est per so-
 cordiam senescere, anteq̃ cōpertum habeat quid uiribus
 ualeat. At cōperuisse hæc poterit nemo, nisi experiatur:
 non enim spontē sese ostentat. Cū autem quidam stoma-
 charetur quòd salutanti sibi quispiā non respondisset: Ri-
 diculum, inquit: si corpore aliquem deterius se habentem
 offendisses, nulla inde molestia suscepta abiuiesses: quòd
 autem hunc animo agresti, & minus bene morato offen-
 deris, doles. Cuidam uerò dicenti se insuauiter cibum su-
 mēre: Acumenus, inquit, huic rei bonam medicinam edo-
 cet. Et quænam, inquit, ea est? Cessare, inquit, iubet à ci-
 bo: nam & uoluptuosius, & uilius, & ualetudini conue-
 nientius comedes. Cuidam autem dicenti, calidam esse a-
 quam quam biberet: Calida, inquit, igitur tibi erit ubi la-
 uari uoles. At ille: Minimē, nam ut lauer frigida est. Nun-
 quid ne & pueris tuis eadem est sententia, ut neq; ad bi-
 bendum eam aptam putent? Non, inquit ille: uerum plu-
 ries admirari soleo, quàm uoluptuose ea ad horū utrun-
 que utantur. Vtrum, inquit, aqua istæc tua calidior est,
 an quæ in Aesculapij templo est? Illa, inquit, quæ apud
 Aesculapiū. Recordare igitur, ait, periculum esse ne ui-
 dearis & pueris tuis, & egrotantibus fastidiosior. Quen-
 dam autem qui acrius uerberasset seruum, rogauit quid
 ita in famulum excandesceret. Ille, inquit, cū obsonio-
 rum sit omnium uoracissimus, idem est mollissimus:
 cumq; sit auarissimus, idem & perquam segnis est.

Tum Socrates: Considerasti, inquit, pluribus ne tu uerbis, an seruius indigeat tuus? Quodam uero timente inire uiam quæ ad Olympiam ducit: Cur, inquit, itineris laborem extimescis? Nonne & domi integrum ferè diem ambulas? illic item æquè post ambulationem prande bis, cœnabis, atq; obdormies. Num perpendis, si in unum extends dierum quinque; aut sex domesticas ambulationes, facile ab Athenis usq; Olympiam attinges? gratiorq; tibi erit uia, si unum ante diem iter præripies, quàm si supersederis. Cogi enim maiora quàm par sit facere itinera, difficile. At confert quidè laborem diei unius in plures diminuerè, præstatq; in arripiendo itinere festinare, quàm in uia. Quendam autem, quod se longa uia fatigatum diceret, rogauit num et quippiam ferret oneris. Non me inquit hercle ille, sed solà uestè. Solus ne pergebas, an te puer quippiam sectabatur? Sequebatur, ait. Vtrum, inquit, ille uacuus, an aliquid ferens? Ferens, inquit, instrumenta uasaq; nonnulla. Et quonam, inquit, pacto ille se habuit, fessus ne? Mihi, inquit, uidetur indefessus magis quàm ipse. Et quid, inquit ille, quonam te pacto habuisses, si illius onera tulisses? Malè, inquit, mehercle: nequiuissimè ferre. Quod igitur tantum sis puero tuo ad laborem imbecillior, quid putas? exercitati ne uiri tibi hoc esse uidetur? Cùm autem ex familiaribus qui unam cœcenatum conuenissent, alij lautius, alij parcius obsonium contulissent, præcipiebat Socrates ut quæ minora adessent obsonia, in medium omnibus apponerentur, aut partirentur in singulos. Hinc illi qui maiora & lautiora sibi portassent, ducebant illiberale, et non ex cõmuni sumere, & sua quoq; non itidem obsonia esse cum cæteris communia: quo factum est, ut cùm nihil se

præcipui habere in cœna uiderent, tum ab intemperanti
 sumptu obsoniorum desisterent. Cum uerò intueretur quen-
 dam ex familiaribus uoracius non cum pane, sed merum
 obsonium assumere, & sermo haberetur de ui nominum im-
 positorum rebus: Habemus ne, inquit, dicere, quidnam no-
 bis opsophagus significet? comedunt enim omnes obsonia
 pro condimento panis, cum adsit. Sed non est ut putem
 eos opsophagos nuncupandos. Tum ex familiaribus qui-
 dam: Non, inquit. Quid, inquit ille, utrum qui non exer-
 citandi gratia merum obsonium assumat, sed uoluptatis,
 opsophagus ne, an non nuncupabitur? Vix alius magis, in-
 quit, erit opsophagus. Et cum alius rogasset qualis foret
 appellandus is qui modico pane, multo obsonio uteretur:
 Mihi quidem, ait Socrates, is merito opsophagus appella-
 tur. Et cum ceteri homines à dijs orent fructuum copiam,
 merito is obsonij orabit copiam. Cum hæc adolescens in
 se esse dicta intelligeret, obsonium comedere non desijt, sed
 panem addidit. Id intuens Socrates: Consideretis, inquit,
 uos qui propius estis, pane pro condimento obsonij, an ob-
 sonio pro panis condimento utatur. Alium uerò quendam
 ex familiaribus in cœna intuens, multa obsonia intincto
 pane degustantem: Vtrum ne fieri, inquit, pulpamentum
 sumptuosius potest, quodque minus ex arte factum sit, quàm
 quod is facit qui multa simul uaria desumit? Cum enim
 plura quàm pulmentores ipse misceat, sumptuosiora qui-
 dem facit: cum autem illa misceat quæ harum rerum arti-
 fices non immiscent, dum illi ex arte fecerint, is non rectè fa-
 cit. At qui quomodo non esset ridiculum comparare prædi-
 ctos obsoniorum artifices, ipsum autem artis non ignarum
 solum, sed nec opinantem quidem in ea re se quippiam
 nosse,

nosse, cōfundere quæ docti artis composuere? Et ad hæc, huic qui multa assuevit comedere, multa alia eueniunt, quæ non assueto. Nam cum nō adsint multa, minus se putat habere quàm par sit, ob cōsuetudinis uitium. Qui uerò panem unum consueuerit uno obsonio sumere, si non aderunt multa, faciliè sine molestia illo utetur. Dicebat etiam ipsum id quod apud Athenienses comedere nuncupatur, apud alios *ὀψῶν ἐίδας* dici. Quòd si eius uerbi uim consideras, dictum intelliges, quia bene: & ea comedantur quæ neq; difficilia comparatu sunt, neque animo corpori ue noceant. Itaque illos putandos Euochistas qui sobriè uiuerent.

XENOPHONTIS DE FACTIS
ET DICTIS SOCRATIS MEMORATV
dignis liber quartus, Bessarione Car-
dinale Niceno interprete.



AM uerò utilis Socrates cunctis erat in rebus, ut homini considerare uolenti, etiã minus sentienti, palàm pateat nil utilius fuisse, quàm cum Socrate quocunq; locorũ, de quacunq; re conuersari. Nam & absentis meminisse non parum utilitatis familiaribus eius, quiq; eum approbabant, afferre solebat. Nō enim minus ioco q̃ serio loquēs, suis necessarijs proderat. Pluries itaq; dixerat, quosdam amare: palàm uerò patebat non eos qui pulchritudine corporis præstabant, sed illos, quorum animus apius ad capessendam erat uirtutem, amare. Acuta uerò ingenia illorum esse putabat, qui celeriter ea discerent quibus studebant, & memoria retineret quæcũq; discerent, ac illas

doceri cuperent disciplinas quæ utiq; prodesſent, & ad
 domum ac urbem q̄optimè habitandam, & ſimpliciter
 hominibus rebusq; humanis bene utendum. Huiuscemo-
 di nanq; adoleſcentes opinabatur, ſi docerentur, nō ſolū
 ipſos domosq; eorum felices fore, uerumetiā cæteros ho-
 mines atq; ciuitates poſſe beatas efficere. Non autem e-
 dem modo omnes conueniebat, ſed qui ſe putarent natu-
 ra bonos eſſe, doctrinam uerò contemnerent, docebat illa
 ingenia indigere doctrina, quæ q̄optima ſint. Nam & e-
 De educatione. quorum quicunq; fortes, animoſi, ac dociles ſunt, ſi ab in-
 eunte ætate domentur, optimos ac utiles: ſi uerò indomi-
 ti maneāt, effrænatos ac peſſimos euadere. Canesq; quæ
 cunq; ingenioſæ, ſagaces, laborioſæ, feris importunæ, be-
 ne quidem eruditas, optimas ac perutiles uenationibus: è
 conuerſo uerò, uanas, furioſas, ac inobedientes effici. Si-
 militer etiam hominum generoſiſſimos quoſq; animis eſ-
 ſe ualentiffimos, & eorum quæ aggrediantur efficien-
 tiſſimos. Si uerò eruditi ſint, ac rerum illarum docti quæ
 agenda ſunt, optimi atq; utiles fiunt. Cū enim diſcerne-
 re non queant quæ agenda, quæ uè omittenda ſint, ſæpe
 prauis operibus uacant. Quòd ſi etiam elati animi uehe-
 mentesq; ſunt, effrænati propterea peruicacesq; reddun-
 tur: quocirca plurimorum magnorumq; malorum cauſa
 fiunt. Illos autem qui ob diuitias glorioſi nil indigere do-
 ctrina putabant, ſed pecuniarū copiam ſatis ſibi eſſe ar-
 bitrabantur ad honores acquirendos, omniaq; alia quæ-
 cunq; uelint peragenda, admonebat, dicēs: Stolidum eſſe
 eum, qui cū non didicerit quæ utilia quæ uè noxia ſunt,
 putat ea poſſe diſcernere: ſtolidumq; qui cū nō poteſt
 ea diſcernere, propter diuitias arbitretur poſſe, quæ ue-
 lit com-

lit cōparando, quæ sibi cōducant, peragere. Stultus item, qui cū nō potest quæ conducant agere, agenda non putet, sed se sufficienter ad bene uiuendum paratum. Stolidum quoq; illum esse aiebat, qui cū nil horum sciat, putet propter diuitias bonus posse apparere: aut cū non possit bonus apparere, nihilominus arbitretur posse honorem adipisci. Narrandum autem nunc est, quonam modo etiam illos emendabat, qui se putabant eruditos, doctos, atq; sapientissimos. Cū enim Euthydemum consideraret multa multorū poëtarum, rhetorū, ac philosophorum, quorū maior habebatur opinio, scripta cōgregasse, quam ob causam multū iam suos æquales sapientia præcellere putabat, atq; sperabat tam in agendo, quàm in dicendo omnibus fore præstantior: cumq; eum intueretur forū nōdum propter adolescentiam ingredi, sed si quid uellet agere, apud fabrum frænarium prope forū sedere: eōdem & Socrates cum suis nōnullis familiaribus accedit, ac primò quidam interrogante, Vtrū ne Themistocles natura & innato ingenio, an eruditione talis esset, ut omnium in se ciuium suorum oculos coniectos haberet, & in eo suas omnes esse fortunas sitas putarent, dum præsertim sibi esse frugi homine opus intelligerent? Socrates ut Euthydemum cōmoueret: Stultum, inquit, est putare artes eas quæ minores sint, nō posse absolutas reddi sine instructore: ciuitati uerò præesse cū sit id omnium maximum, posse quenquā ex se satis nosse. Rursus quondam Euthydemo præfente, uidens eum Socrates recedentem à familiarium consessu, & cauentem ne uideretur admirari Socratis sapientiam: O uiri, ait, quòd hic Euthydemus cū adoleuerit, si ciuitas aliqua de re cōsultationem

proposuerit, nō cōmittet ut nō consulat, patet ex ijs quibus studet. Videtur enim mihi q̄optimū sibi ad conciones exordiū parare, cūm caueat ne uideatur quicq̄ à quoquā discere. Sic enim ut uidere licet exordietur: A nullo quidem ô uiri Athenienses, unquam quippiam didici: & cūm audiui quosdam esse perq̄ aptos ad agendum atq; dicendum, nō ex studio eos conueni, neq; studui quenquā eorū qui docti essent, mihi magistrū habere, sed contrā toto studio fugiebam non discere solūm quicquā à quoquam, sed etiam uideri didicisse: Nihilominus tamen ea consulam, quæ mihi in mentem incident. Cōueniret id ipsum & his exordij captare, qui quidem publicè medendi potestatem poscerent. A nullo quidem ô uiri Athenienses, unquam medendi artem didici, neq; quæsiui quenquam doctorum artis huius mihi magistrum, omniq; studio cauebam non solūm quippiam à peritis discere, sed etiam uideri quicquam in ea re nosse: Nihilominus peto ut concedatis mihi medendi licentiā, conabor enim eam, in uobis periculū faciens, discere. Ad hoc quidem exordiū qui aderant arrisere. Cūm autē iam uideretur Euthydemus in Socratem dicentem esse intentior, sed caueret quicq̄ proloqui, putaretq; taciturnitate assequi ut maturior uideretur, hunc Socrates uolens prouocare, inquit: Mirū quòd qui citharizandi aut equitandi uelint artē discere, aut in aliquo similiū instructiores reddi, nō per se conantur id assequi, sed peritiores adēūt, eorumq; admonitionib. acquiescūt, ac nihil præter illorū sententiā exequūtur, illud putantes sese sine præceptorū opera nō satis posse perdiscere: illorū autē qui se uelint aptos ad dicendum atq; ad rem pub. regendam effici, nōnulli sunt qui sine ratione & studio

studio,repentino quodam casu se aptos fieri posse existimant. Atqui tantò ista sunt illis difficiliora, quantò circa hæc longè plures studeant, & pauciores proficiant. Itaq; hinc patet, q̄ maiori opus sit studio his qui ista desiderēt, q̄ qui illa. A principio igitur audiente Euthydemo sic alloquebatur eum Socrates. Cùm uerò sensit eum attentius promptiusq; suas disputationes audientē, solus ad fabri tabernam illam accessit, ac Euthydemo cōfidente: Dic, inquit, Euthydeme, uerè ne sicut audio, multa collegisti eorū scripta, quos fuisse uiros sapientes senseris? Ita mehercle, inquit, ô Socrates, & in dies colligo q̄ queo plurima. Per Iunonem, inquit Socrates, admiror te quòd nō in primis thesauros colligere, q̄ sapientiam elaborasti. Patet hinc, te nō putare auro argētoq; homines reddi meliores, sed uirtute fieri ditiores sapientū dictis. Cùm hinc Euthydemus se à Socrate putaret studiosum haberi sapientiæ, gaudebat. Socrates uerò ut sensit eum factū alacriorē hac laude: **Quanam in re,** inquit, ô Euthydeme uolens fieri sapientior, hæc colligis scripta? Cùmq; obticuisset Euthydemus, cōsiderans quid responsi daret, rursus Socrates: **Nunquid in medendi arte?** Multa etenim medicorū scripta extant. Tum Euthydemus: **Minimè istuc,** inquit. Sed nunquid architectus effici uis? nā & is sententijs esse refertus debet. Non ego, inquit. Sed geometra ne effici cupis uti Theodorus? Nec geometra, inquit. Sed num astrologus? Cùm id quoq; negaret: **Nunquid te uersificatorem cupis?** nam te omnia habere Homeri carmina dicūt. **Minimè,** inquit. Nanq; uersificatores quidem noui, in carminibus edendis diligētes, at ipsos ualde esse ineptos. At Socrates: **Nūquid igitur, ô Euthydeme,** inquit, uirtutem quæris, ob quā ho-

mines ciuiles, & patresfamiliâs, & principatu digni, uti les. sibiq; suisq; efficiantur? Tum Euthydemus: Vehementer quidem, ô Socrates, hanc perquam opto uirtutē. Per Iouem, inquit Socrates, artem per q̄ optimam, uirtutemq; maximā desideras. Est enim hæc regum uirtus, regalisq; nuncupatur. Verum, inquit, considerasti ne unq̄, an sine iustitia possis in huiusmodi bonus fieri? Vehementer, inquit. Neq; enim est possibile sine iustitia bonū fieri ciuem. Quid igitur, tū ne de te hoc perfecisti? Puto, inquit, ô Socrates, præ alijs me nihilo minus uideri iustum. Vtrum, inquit, sunt & iustorū, uti & fabrorum, quædam opera? Sunt, inquit. Num igitur, inquit, uti & fabri sua possunt monstrare opera, ita & iusti sua possunt exponere? Tunc Euthydemus: An nō facile possum iustitiæ opera exponere? Et ego per Iouem, inquit Socrates, iniustitiæ. Nō enim pauca istiusmodi indies uidere atq; audire licet. Si itaq; uelis, Socrates ait, scribamus hîc sub D, quæ esse nobis iustitiæ opera uidebuntur: istic uerò deinceps sub A, quæ iniustitiæ. Si tibi, inquit, uidetur his esse opus, facito. Tunc Socrates uti dixerat, adscripsit. Ac utrū ne, inquit, est in hominibus mentiri? Est, inquit. Vbi igitur hoc collocabimus? Patet, inquit, ad iniustitiam esse referendum. Quid & malignari? Et hoc itidem. Tum & furari? Et hoc. Sub iustitia uerò, ô Euthydeme, horum nihil nobis ponemus? Malū, inquit, esset istud. Quid uerò, si quis dux electus in iustam inimicamq; ciuitatem prædaretur, iniuste ne hūc diceremus facere? Minimè, inquit. Iuste ne igitur eum facere asseremus? Maximè. Quid si cum eis bellum gerens eos deceperit? Et id quoque iustum. At si furetur illorum ipsorum res atq; arripiat, iuste ne fecerit? Maximè. Sed

ego à principio putabam, quantũ ad amicos solũm te ista interrogare. Quæcũq; igitur, inquit, sub iustitia collocaui mus, omnia & sub iniustitia erunt æquè collocanda? Vt uidetur, ait. Vis ergo hæc ita cõponentes, definiamus iterum, hæc eadem aduersus hostes facta, iusta esse, aduersus amicos iniusta? Sed oportere aduersus amicos esse animo perquam simplici. Valde, inquit Euthydemus. Quid uerò, inquit Socrates, si quis dux uiderit exercitum perterritum, & mentitus dicat illicò socios affuturos istoq; mendacio animos cõmilitonum leuet, sub quonam id collocabimus? Sub iustitia, inquit, uti uidetur. At si quis filio pharmacũ quo maxime indigeat respuenti, in cibarij locum dederit, & hoc mendacio illum liberarit, deceptionem hanc ubi collocabimus? Et hanc, inquit, sub eodem, ut mihi uidetur. Quòd si quis timens ne se amicus uitæ desperatione interimat, furetur aut arripiat siue gladium, siue quicq; aliud simile, hunc actum rursus ubi collocabimus? Mehercle sub iustitia, inquit. Nec igitur aduersus amicos, ut tibi uidebatur, opus est cunctis in rebus animo esse simplici? Minimè, inquit, mediusfidius: sed si liceat, reuoco quæ antè concessi. Multò magis hoc licet, Socrates ait, quàm non rectè ponere. Sed ne hoc etiam inuestigabile omittamus: Vter illorũ, qui nocendi causa amicos seducũt, magis iniuriosus tibi uideatur, qui spontè, an qui inuitus decipit? Iam, ô Socrates, ait, nõ possum responsionibus credere meis: quæcũq; nanq; hucusq; asserabamus, aliter nũc quàm antea mihi uidentur: nihilominus magis illum esse dicam iniuriosum, qui spontè amicos decipiat. Videtur autem ne tibi doctrina atq; sciẽtia esse iustitiæ ut literarũ? Ita, inquit. Vtrũ autem illũ esse magis grammati

cum iudicas, qui spontè non rectè scribat ac legat, an illum qui inuitus? Qui spontè, inquit: cum enim uoluerit, possit rectè quoq; eadem facere. Quicumq; igitur spontè non rectè scribat, grammaticus esset profectò: qui uerò inuitus, literarū ignarus? Quid ni? Iusta uerò, utrum ille scit qui spontè mentiatur atq; decipiat, an qui inuitus? Ille qui spontè. Magis itaq; grammaticum qui literas sciat, quàm qui nesciat, esse putas? Ita. Magis uerò iustum qui nesciat quæ iusta sunt, quàm qui sciat? Ignoro quoniam pacto ista etiam sic se mihi apparent habere. Quid uerò, Socrates ait, quicumq; uera dicere uolens, nunquam eadem de eisdem dicat? Sed siue uiam quandam monstrare oporteat, modò ad orientem, modò ad occidentè eam esse dicat: siue rationem reddere de eadem re, modò maiorem modò minorem eam ostendat, quid tibi de illo homine uidetur? Patet, inquit, mehercle ignarus illorū esse, quæ scire putabat. Scis autem quosdā seruales homines appellatos? Ita, inquit. Vtrum propter sapientiam, an propter ignorantiam? Manifestum est quòd propter ignorantiam. Vtrum autè propter ignorantiam fabricandi, aut domos ædificandi, aut coria conficiendi, hoc nomine uocari merentur? Ob nullum, inquit, istorum, sed è cōuerso potius, illi ut plurimū seruales sunt, qui huiusmodi sciāt. An igitur illis hoc conuenit nomen, qui quæ bona & honesta, quæq; iusta sunt, ignorant? Ita mihi uidetur, inquit. Oportet itaq; omnibus modis, Socrates ait, conari ne simus seruales. Per deos immortales, inquit, ô Socrates, ualde putabam in philosophia esse progressus, per quam arbitrabar eruditus in illis effectus, quæ conueniant homini cupido uirtutis. Nunc uerò quantum me putas dolere, cum

uideam

uideam studia iam mihi habita, nec ad hoc utilia facta, ut possim de interrogatis, ut decet, respondere, nullamq; aliam doctrinæ uiam habeam, per quam melior efficiar? Tum Socrates: Dic mihi, ô Euthydeme, ait, fuisti ne unquam apud Delphos? Et bis, inquit, mehercle. Considerasti itaque, ait, in templo scriptam illam sententiam, C O G N O S C E T E I P S U M? Ita, inquit. Vtrum, ait, nihili illam fecisti, an conatus fuisti teipsum qualisnam sis, considerare? Non, inquit, mehercle. Putabam enim bene hoc scire. Nam si meipsum ignorarem, quid aliud scirem? Vtrum autem seipsum ille cognoscere tibi uideatur, qui nomen suum solum sciat, an ille qui seipsum cōsiderat, qualisnam sit, quantumq; in rebus humanis, ac usu earum ualeat? Quemadmodum illi qui equos emunt, non antea putant scire quem cognoscere uelint, quàm considerent, utrum bene domitus, an effrenatus, & fortis an debilis, et citus an tardus sit, ac in alijs quonam modo se habeat, in quibus equum ualere oporteat. Sic mihi uidetur, inquit: Si quis se, quantum ualeat, nesciat, seipsum ignorare. Hoc quoq; manifestum est, inquit, quòd propter sui scientiam homines multorū bonorū, sicut propter ignorantia multorum malorum causa fiunt. Qui nanq; se cognoscunt, quæ sibi conueniant sciunt, ac discernunt quæ possunt, quæq; nō possunt efficere: & cū agant quæ sciūt, perficiunt ea quibus indigent, & feliciter uiuunt: cumq; ab illis abstineant quæ ignorant, nec in aliquo peccant, nec malè agunt. Quapropter cæteris hominibus possunt bene consulere, bona quidem eis adferendo, mala uerò repellendo. Qui uerò se quantum ualeant ignorant, inepte se habent, & aduersus cæteros homines, & ad res hu

manas: nec quibus indigeant sciunt, neq; quid agant, neq; quibus utantur: sed his omnibus frustrati, bonis priuantur, atq; in mala incidunt: & illi quidem qui sciunt quid agant, cum res quas uelint, obtineant, honoribus afficiuntur. Itaq; tum illi, qui eis similes sunt, libenter eis utuntur, tum illi qui frustrantur à rebus propositis, cupiunt eos confulere, ac sibi eos præficiunt, spemq; totam suam in eis collocant, maximeq; eos propterea diligunt. Qui uerò ignorant quid agant, frustrati à re proposita nõ solũ damnantur, & pœnis afficiuntur, sed etiam in ignominia incidunt atq; derisum, neglectiq; uiuunt atq; contempti. Vides autem etiam ciuitates quæcunq; suæ cõditionis ignaræ, fortioribus inferant bellũ, alias depopulari, alias ubi liberæ erant, ad seruitutem redigi? Tunc Euthydemus: Velim, inquit, ô Socrates, scias, ualde mihi uideri magni faciundum esse, seipsum cognoscere. Sed unde nam incipere deceat hominem seipsum considerare, hoc mihi exponas. Illa qui dem, Socrates ait, quæ bona, quæ uic mala sunt, utiq; scis. Ita, inquit, mehercle. Si enim nec ista cognoscerem, mancipijs etiam profectò nequior essem. Agè igitur, ait, mihi quoq; ea exponas. Non difficilem rem quæris, inquit. Primum nanq; ipsum sanum esse, bonum: egrum autem, malum puto. Deinde causas utriusq; eorum, siue cibus, siue potus sit, omniaq; alia quæcunq; ad sanitatem conducant, bona: quæ uerò ad ægritudinem, mala. Ipsum quoq; igitur, ait, sanum & egrum esse, cum cuiusdam boni causa fiant, bona: cum uerò mali, mala sint necesse est. Et quando, Euthydemus inquit, aut sanum esse causa mali, aut egrotum boni effici potest? Cum, inquit, mehercle turpis exercitus, nauigationis noxiæ, cæterorumq; mul-
 torum

torum similiū, hi quidem participes facti ob bonam uale-
tudinē corporis, pereant: alij uerò abstinendo ab eis, pro-
pter infirmitatē salui mancāt. Ita ais, inquit, atq; est. Sed
uides quòd etiam utilium rerum hi quidem ob ualeitudi-
nem corporis participes sunt, hi uerò non, propter infir-
mitatem. Hæc itaq; ait, cū modò profint, modò obsint,
non magis bona quàm mala sunt. Non, inquit Euthyde-
mus, mehercle. Sed sapientia tamen, ô Socrates, absq; du-
bio bonū est. Quid nanq; non melius agat sapiens, quàm
indoctus? Quid uerò? ait, non audisti Dædalum à Minoë
propter sapientiam captum, coactū fuisse illi seruire, pa-
triāq; simul atq; libertate priuatūz conatūq; unā cum fi-
lio aufugere, illum quidem amisisse, se uerò ipsum non li-
berasse? nam ad quosdam barbaros aberrauit, ac eis ipsis
seruiebat. Dicuntur hæc, inquit, mehercle. Calamitates au-
tem Palamedis ignoras? hūc enim propter sapientiā præ-
dicant omnes inuidia Ulyssis interemptum fuisse. Et hoc,
inquit, dici audio. Quot uerò alios arbitraris propter sa-
pientiam ad regem Persarum ui ductos ibi seruire? Appa-
ret igitur, ô Socrates, ait, felicitatem bonum proculdubio
esse. Si quis, ait, ô Euthydcme, non illam ex dubijs bonis
componat. Et quid eorum, inquit, quæ ad felicitatem con-
ducūt, dubium esset? Nil, ait: dum nō addamus ei pulchri-
tudinem, potentiā, diuitias, honores, aut aliud quicq; simi-
le istis. Sed mehercle addemus, inquit. Quonā enim pacto
sine his felix quisquam esse possit? Illa addemus itaq;, So-
crates ait, è quibus multa hominibus atq; periculosa eue-
niēt? Multi nāq; propter pulchritudinē ab illis perimun-
tur, qui pulchris mouentur. Multi uerò confisi potentia,
maiora quàm possint facere conati, in multa incidunt pe-

vricula. Multi etiam propter diuitias molles effecti & pigri, insidijs pereunt. Nonnulli autē propter honores ac ciuilem potentiā multa passi sunt. Tunc Euthydemus: Si neq; cū felicitatē laudo, inquit, rectē existimo, fateor nec id scire quid à dijs petendum sit. At hæc nimirū, Socrates inquit, propterea quòd ualde putabas scire, non considerasti. Cū uerò ciuitati præesse, in qua populus dominatur, cupis, certò scis quidnam populi dominiū sit? Ita, inquit, profectò. Videtur autē tibi posse eum scire quidnam populi dominiū sit, qui populū ignoret? Minimè, inquit. Et quid arbitraris populū esse? Illos ciuiū, inquit, qui pauperes sunt. Scis ergo, ait, quinam pauperes sunt? Cur nō? inquit. Num etiā diuites, ait, cognoscis? Non minus quā pauperes, inquit. Et quos pauperes, ait, quosue diuites appellas? Illos qui nō habeant quæcunq; eis ad illa sufficiāt, in quibus cōtribuendū sit, pauperes: qui uerò plus quā sufficiat habeant, diuites. Cogitasti ne unquā, ait, ô Euthydemus, quosdam cū ualde pauca habeant, nō solūm satis habere, sed etiā acquirere ex ijs aliā quibusdā uerò nec ualde multa sufficere? Valde mehercle, inquit: rectē namque ad memoriam mihi reduxisti. Quosdam namq; tyrannos scio, qui propter indigentiam tanquā egeni, iniuriā inferre alijs coguntur. Si igitur hæc sic se habent, Socrates ait, tyrannos quidem cum populo, qui uerò pauca habēt, dummodo boni dispensatores sint, cum diuitibus collocabimus. Ac Euthydemus: Mea, ut uidetur, cogit me leuitas hæc etiam fateri, & considero ne melius mihi sit silere. Et sic ualde cōdolens, abiit, seq; ipsum contempsit, ac certē putabat hominem se esse mancipium, ac propè seruilem. Multi itaque eorum qui sic à Socrate redar-

guebantur, nō amplius eum adibant, quos ideo molli-
 res putabat. Euthydemus uerò non aliter arbitratus se
 posse laude dignū euadere, nisi quāsepe uersaretur cum
 Socrate, nunq̄ amplius aberat ab eo, nisi aliquid urgens
 cogeret: nōnulla etiā imitabatur illorū, in quibus Socra-
 tes studebat. Qui cū sic eum uideret affectum, minimè
 turbabat argutijs, clarissimè uerò ac simplicissimè omnia
 ei exponebat, quæcunq; opinabatur oportere hominem
 scire, ac in eis studere. Igitur subiles & industrios & in-
 geniosos efficere suos auditores nō festinabat, sed ante ista
 putabat oportere moderatos eos facere, cū eos qui abs-
 que moderatione in huiuscemodi ualeant, magis iniurio-
 sos arbitraretur, ac potentiores ad malè faciendum fore.
 Quas ob res primò quidem circa deos conabatur necessa-
 rios suos moderatos efficere. Alij itaq; cū alios de huiusce
 modi re alloqueretur, adfuerūt et narrarūt: ego autem de
 similib. cū Euthydemo disputāti adfui. Dic mihi, ò Euthy-
 deme, inquit, uenit ne tibi unq̄ in mentem, quomodo dili-
 gēter omnia dij immortales, quib. indigeāt homines, crea-
 runt? Ac ille: Non ædepol, ait. Non scis, inquit, quòd cū
 luce egeamus, hanc dij nobis præbuerunt? Ita, ait, meher-
 cle: quæ si nō esset, nihil inter nos et cæcos interesset, quòd
 ad oculos quidem attinet. Atqui, cū quiete etiā indigea-
 mus, noctem nobis quietis optimū tempus fecerūt. Valde
 etiam hoc, ait, dignū gratiarū actione est. At sol, inquit,
 cū lucidus sit, horas diei, cæteraq; omnia nobis patefa-
 cit. In nocte uerò cū ipsa tenebrosa sit, stellas in cælo fi-
 xerūt, per quas horis noctis nobis notificatis, multa quæ
 oportet, agimus. Ita est, ait. Ac luna, inquit, non modò no-
 ctis, sed etiam mensis partes nobis patefacit. Vehemēter,

ait. Quòd autem cùm nutrimento nobis opus esset, inquit, hoc è terra nobis dii produxere, ac tempora ad istud congrua præbuere, quæ nõ solum quibus indigemus multa atq; diuersa, sed etiam quibus delectaremur, afferrent, quid tibi uidetur? Magnæ, ait, esse clementiæ. Quòd autem aquam quoq; nobis rem preciosam præbuerūt, plantis ad augmentũ unà cum terra aptissimam, nobis cum alijs simul cibarijs nutrimentum: quæ cùm misceatur nutrientibus nos, parabilia, utiliora, ac delectabiliora ea facit: & quoniã plurimũ eius indigemus, eam suppeditat abundantissimã? Et hoc, ait, prouidentiæ est. Quòd autem ignem, inquit, nobis dederunt, frigus arcentem, tenebras dissoluentem, ad omnem artem, omniaq; utilitatis gratia hominũ facienda cooperantẽ? Nil enim illorũ, ut uno uerbo dicam, quæ ad uitã humanã utilia sunt, homines absq; igne faciunt. Excellentis bonitatis est, ait, atq; clementiæ. Quòd autem sol cùm hyemale solstitium attingat, ad nos rursus accedit, fructuũ hos quidem maturans, hos desiccans, quorũ uidelicet tempus præterijt: & cùm hæc agat nõ propius uenit, sed cauens ne si plus q̃ oporteat nos calesfaciat, nobis afferat nocumentũ, regreditur: cumq; iterum ibi fuerit ubi nobis etiam manifestum est, si longius aberraret, frigore cõgelaremur, rursus mutatus nobis appropinquat, in eaq; parte coeli uersatur, ubi q̃maximè nobis profit? Aedepol, ait, & hæc omnia uidentur hominũ gratia facta fuisse. Quòd autem cùm manifestum sit non potuisse nos sufferre nec æstum, nec frigora, si repenti uenerint, tam paulatim ad nos accedit sol, tamq; paulatim à nobis recedit, ut lateat nos ad utraq; cõtraria iam existentes? Ego quidem, ait Euthydemus, hoc nunc cogito, ne

non sit aliquod dijs opus, præterq̄ ut de hominibus curam habeant. Hoc autem solum me impedit, quòd etiam cætera animantia participant his. Ad hæc Socrates: Nõne manifestum est, inquit, hæc etiã pro hominibus gigni atq; educari? Quod enim aliud animal tot fruitur bonis, à capris, porcis, bobus, equis, asinis, cæteris animantibus, quot homines? Mihi quidem uidetur quòd pluribus bonis ab istis, q̄ à plantis fruuntur. Nutriuntur nanq; atq; pecuniã comparant nõ minus ab istis, quàm ab illis. Multiq; hominum his quidem quæ à terra germinant, nõ utuntur in cibum: à pecudum uerò lacte, caseo, ac carnibus nutriti uiuunt. Omnes autem cicurantes & domantes utilia animantia, utuntur eis ut cooperatoribus, & in bello, & in alijs multis. Concedo tibi hoc etiam, ait. Video nanq; illa quoq; quæ nobis sunt fortiora, tam subiecta hominibus effici, ut eis, ut uolunt, utantur. Quòd autem cum multa diuersaq; sunt bona atq; utilia, sensus hominibus creatũt ad singula congruos, per quos omnia sentiamus: quodq; rationem nobis largiti sunt, qua cogitaremus ac memoria teneremus quæ sentimus, quidq; nobis conducatur, reperiremus, & multos modos inueniremus quibus bonis quidem fruere, mala uerò depelleremus: & ad hæc linguam nobis præbuerunt, per quam omnia bona alter alteri cõmunicaremus, docendo, leges ferendo, rempub. gubernando. Videntur profectò, ô Socrates, magnam hominũ curam dii habere. Quòd autem, inquit, quando nobis impossibilis est futurorũ providentia, ipsi nos in hoc iuuant, per diuinationem exitũ rerum interrogantibus, manifestantes atq; docentes quonam pacto quamoptimè fiant? Magni, ait, amoris hoc est. Te tamen, ô Socrates,

magis quàm alios amare uidentur: quippe qui nec interrogati abs te, antea tibi patefaciunt quæ faciunda, quæ uè non faciunda sunt. Quòd igitur dij sint, hominumq; habeant curam, tu quoq; ò Euthydeme, cognosces, si non expectes quousq; deorum uideris formas. Satis nanq; erit opera eorum considerando, colere ac honorare eos. Cogita autem quòd ipsimet etiam dij eo modo se nobis ostendunt. Nam & cæteri dij cùm omnia nobis bona præbeant, nihil horum tamen nobis palàm uisi largiuntur. Ille quoque qui totum orbem ordinat atq; continet, in quo omnia honesta bonaq; sunt, quiq; cùm semper eis utamur, semper nihilominus recentia, sana, & immortalia ea nobis dat citius, quàm homo cogitet, & absq; defectu nobis administrat, hic maxima quidem intelligitur operans, hoc uerò totum gubernans inuisibilis nobis est. Considera etiam solem, qui cùm omnibus manifestus esse appareat, non tamen cōcedit hominibus plene ipsum intueri: quòd si quis impudenter eum uidere conetur, uisum ei aufert. Ministros quoq; deorum inuisibiles esse reperies: fulmen enim de superiori loco proijci patet, quodq; omnia quibus obuiaret, superat, non tamen neq; cùm ueniat, neque cùm feriat, neq; cùm abeat uidetur. Venti quoq; ipsi inuisibiles: quæ uerò faciunt, nobis clara sunt, eosq; aduenientes sentimus. Atqui hominis etiam anima, si quid aliud humanum, natura diuina participat. Nam illam in nobis dominari manifestum est, uidetur autem minimè. Quæ cùm quis consideret, non negligat inuisibilia oportet, sed ex illis quæ fiunt, potentia eorum cognita, honoret deos. Ad hæc Euthydemus: Quòd equidem ò Socrates, ait, nec parum negligam deos, hoc certè scio:

Fulmen inuisibile.

doleo uerò, quod mihi uidetur, nullum hominū unquam beneficijs deorū condignas retribuere gratias posse. Non est propterea dolendum, ait, ô Euthydeme. Vides nanque Delphicum deum interrogantibus, quonam modo quisquam dijs gratum faciat, respondentē, lege ciuitatis. Lex uerò ubiq; talis est profectò, ut iuxta facultates quisq; deos sacrificijs placet. Quo itaq; pacto aut melius, aut magis piè deos quisquam honorare possit, quàm eo modo quo ipsi præcipiunt? Oportet igitur non prætermissò quoquam possibili (quicumq; enim hoc faciat, is negligit deos) hoc modo deos honorare, sperareq; maxima bona ab eis. Quis nanq; compos mentis à quoquam alio maiora speraret, quàm à dijs, qui maximè nobis prodesse possunt? Hæc uerò sperare ab eis illum oportet, qui eis placet: ille uerò eis placebit qui quammaximè illis obediat. Hæc itaq; cùm & diceret, & ipse faceret, magis pios ac moderatos suos auditores efficiebat. De iustitia uerò quid sentiret, palàm omnibus erat, cùm re ipsa & opere & priuatim singulis utiliter ac secundum leges conuersaretur, & publicè, in quibuscunq; magistratus præciperet, siue in ciuitate, siue in exercitu, ita obediret, ut magis quàm cæteri uideretur obtemperàs. Cumq; tribunatum gerens, nō permisit populo cōtra leges enunciare sententiam, sed tantum obstitit impetui uulgi, quantum nullus hominum unquam sustinisset. Cumq; triginta illis tyrannis non obediuit, quando ei aliquid contra leges præcipiebant. Nam & cùm prohibuissent eum iuuentutē instruere, & cùm præcepissent ei ac alijs ciuibus quendā ad supplicium duceret, solus non obediuit, quòd contra leges præcepissent. Et cùm Melius nomen eius detulisset, cæte

ris hominibus solitis iudices adulationibus mollire, ac ora
 re quæ contra leges sunt, atque proinde multis in iudicio
 absolutis, is unus horum nihil sua in causa uoluit efficere:
 quin cum faciliè potuisset absolui, modò ea quæ cæteri as-
 solent uel leuiter fecisset, maluit subire mortem, parendo
 legibus, quàm contra leges faciendo uiuere. Cæterum tum ad al-
 ios, tum ad Hippiam memini eum sic de iustitia disputan-
 tem. Nam cum post multa quibus abfuerat tēpora, Athe-
 nas appulisset, adfuit dum Socrates ad quosdam diceret:
 Mirum esse profectò, si quis uelit cerdonem, aut fabrum,
 aut equitem instruere, is certa habeat loca, quò eum mit-
 tat ut fiat doctior. Nonnulli etiam dicunt plena esse eorū
 omnia, qui aut boues, aut equos bene instructos reddant.
 Si quis uerò aut ipse instituerit uelle ediscere quidnam sit
 iustum, aut suos uelit liberos in ea re fieri eruditiores, nō
 inueniat quò id assequatur. Hæc cum audisset Hippias,
 quasi irridens: Adhuc, ait, ô Socrates, eadem dicentis, quæ
 dudum te audiui prædicantem? At Socrates: Et quod, ait,
 hoc plus est, ô Hippias, nō eodem modo semper dico, uerū
 & de eisdem: tu fortassis, quòd multa sapias, nunquàm eadem
 iteratò dicis. Nempe, inquit ille, quòd semper aliquid eni-
 tor noui dicere. Vtrūm ne de his quæ certò scias? puta si
 quis roget quot & quales sint literæ Socratis, alia tum
 primū, alia & nunc conaris dicere? Aut si quis de nume-
 ris roget, bis ne quinq;, decem sint, utrū aliàs alia respon-
 des? De his, ait, ô Socrates eadem uti & tu, semper dico.
 De iusto uerò ea puto habere nunc me quæ dicā, ut possit
 nemo contradicere. Per Iunonem, ait, magnum te bonum
 adinuenisse dicis, si cessabunt ipsi iudices in proferenda
 sententia discrepare, cessabunt & inter se ciues litigijs
 conten-

contendere, cessabunt & ciuitates armis de iusto disceptare. Ea de re non satis scio quonam pacto abs te discedam, ni prius audiã de tam grandi à te inuento bono differentem. At per Iouem, inquit, non audies, ni prius proferas quid statuas esse iustũ. Sat sit te alios omnes irridere, semper rogare, arguere, dum nolis cuiquam respondere, & nusquã sententiã tuã explicare. Quidnam, inquit, nõne & tu perpendisti, ut quæ ipse quoq; sentiã iusta esse, eadẽ haudquaquam cesso facere? Et quid hĩc ais? inquit: Id si non uerbis, sed opere ostendo, num tibi probatior ratio ea uidetur, quã quæ uerbis fit? Multò per Iouem, inquit. Multi enim dum iusta dicant, iniusta faciunt: qui uerò iusta fecerit, nunquam iniustus est. Perpendisti ne tu me unquam, ait, aut falsum testimonium exhibentem, aut calumniantem, aut amicos, aut ciuitates ad seditiones excitantem, aut quicquam iniusti agentem? Minime, inquit. Abstinerẽ idcirco ab iniustis, ait, nõne tu putas esse quid iustum? Vt uidere licet, & nunc eniteris effugere tuam in medium proferre sententiã, ac dicere quid putes esse iustum: non enim quæ agunt iusti, sed quæ non agunt dicis. Ego putabam, inquit Socrates, nolle iniuriam in quempiam inferre, satis constans esse iustitiæ signum. Id si tibi non uidetur, considera si hoc tibi magis accommodatum uidetur. Illum enim ego dico iustum, qui pareat legibus. Vtrum eundem dicis ò Socrates, esse legibus obtemperantem, & iustum? Ita, inquit. Non satis teneo, ait, quem legibus obtemperantem, quẽm uel iustum esse dicas. Nõne, inquit Socrates, quæ sint urbis leges nosti? Nosco, ait. Et quas illas putas esse? Quas ciues, ait, conscripserunt, statuentes quid facere, & à quibus abstine-

re oporteat. Legibus idcirco obtemperans, ait Socrates, num is erit, qui secundum eas uiuat? non obtemperans erit, qui eas transgrediatur? Vehementer, inquit. Quicumque igitur eis pareat, faciet iusta: qui secus, iniusta. Ita, inquit, profectò. Qui igitur iusta facit, iustus: qui iniusta, iniustus est. Iniustus uerò, qui præter leges uiuat. Tunc Hippas: Quonam pacto ô Socrates, ait, aut leges, aut eis parère, quisquam magni existimaret, cum ipsimet legum latores pluries eas improbantes mutent? Etenim, Socrates ait, ciuitates bellum suscipientes, rursus pacem suscipiunt. Maximè. Putas ne interesse, si quis eum uituperet qui legibus obtèperat, quòd sæpius mutantur? an eum, qui bello fortiter pugnet, quòd sæpius fiat pax? An & hos qui in bello promptè patriam iuuent, uituperas? Non hercle. Lycurgum autem Lacedæmonium sensisti ne unquam, nulla re alia fecisse Spartam ab alijs ciuitatibus differre, quàm quòd instituerit suos ciues rectè parère legibus? In ciuitatibus quoque nõnne meministi eos primates esse optimos, qui populo causa sint ut pareant legibus? Tum ciuitas in qua maximè ciues legibus pareant, & in pace beata, & bello inuicta est. Necnon è concordia maximum esse ciuitatibus bonum uidetur, pluriesq; & senatus, & uiri optimi ad eam ipsam hortantur, totaq; in Græcia lex posita est, ut ciues ad concordiam iureiurando conueniant, atque ubique id inter se præstent. Hæc, ni fallor, faciunt, non ut semper eosdem saltatores, nec ut eosdem tibicines, nec ut eosdem poëtas habeant, nec ut eisdem delectentur, sed ut legibus pareant. Nam cum bene cum legibus ciues conuenerint, feliciores, ac multò erunt ciuitates potentiores. Sine concor-

concordia neque ciuitas bene gubernabitur, neq; domus bene habitabitur. Priuatim uerò quomodo aut minus à ciuitate cōdemnabitur, aut magis honorabitur, aut magis litigijs uincet, aut minus uincetur, quàm si legibus paruerit? Apud quem magis quispiam aut pecuniam, aut filios aut filias suas deponat? aut quem ciuitas digniorē putet quàm qui legibus pareat? Tum à quo magis parentes, propinqui, familiares, noti, ciues, aduenæ, assequentur quæ officij sunt? Cui hostes magis credent, aut inducijs, aut pace cōponendis? Cui magis, quàm legibus parenti, fieri socij mallent? aut cui socij magis credant aut principatū, aut ciuitatis custodiam? Aut à quo quisquā cum bene faciat, putet sibi gratias reddi maiores, quàm ab hoc qui legibus pareat? Quisue magis cuiquam benefecerit, quàm huic à quo non dubitet se gratias recepturum? Cui aut uelit magis esse amicus, aut minus quàm huic esse inimicus? Cui bellum quispiam minus inferat, quàm huic cui maximè uelit quispiam se amicum esse, & minimè inimicum? Cui plures esse amici atq; socij uolent, magisue paucissimi inimici & hostes? Itaq; ego, ô Hippia, idem dico esse iustum, atque legibus obtemperare. Quòd si tu aliter sentias, profer. At Hippias, Rectè: neque mihi secus de iusto est, ut sentiam. Non scriptas autē quasdam, ô Hippia, cognosti esse leges? Has, inquit, quæ quidem ubiuis locorū similiter habentur. Habes igitur eas tu dicere esse ab hominibus latas? At id quonam pacto, inquit, cū neque in unum omnes conuenire possint, neque unius sint lingue? Quos igitur tu putas leges istas tulisse? Ego quidem deos putem istas hominibus leges dedisse. Nam lex quidē in primis apud omnes homines una est, ut deos colas: &

ut parentes item honores, ubiq; iubet lex, ait. Et hoc, inquit: Neq; parentibus licere misceri cum liberis, neq; liberis cum parentibus. Non iam mihi ista uidetur ô Socrates, esse diuina lex. Quid ni? quoniam sentio, inquit, quosdam esse transgredientes. Etenim cætera permulta, inquit, transgrediuntur, sed supplicijs afficiuntur qui à dijs impositas leges transgrediuntur, quæ quidem nullo modo est homini possibile aufugere, ueluti qui ab hominibus positas quidam transgredientes, tum quòd lateant, poenã effugiunt, tum quòd ui superant. Et quam poenam, inquit, ô Socrates, tandem nõ possunt aufugere, cum aut parentes liberis, aut liberi parentibus misceantur? Maximam, inquit, per Iouem. Quid enim malorum maius in procreando filios homines patiantur, quàm si malè procreent? Quo igitur, ait, pacto malè illi procrearent, quos nihil prohibet, cū boni sint, ex bonis prolem procreare? Quoniam, inquit, mehercle non solum bonos esse oportet qui prolem procreant, uerū et ætate firma & ualida. An tibi uidentur similia semina esse illorū qui uirili ætate, an qui decliui, an qui immatura sunt? At per Iouem, inquit, non fit mihi uerisimile. Vtra, inquit, igitur melior? Patet, ait, quæ uirilis. Num qui immatura ætatis sunt integrū possunt? Minimè. Isto igitur modo prolem non oportet procreare? Minimè. Quicumq; igitur prolem procreant istorum, prolem nõ ut oportet procreant. Mihi uidetur, ait. Qui igitur, ait, malè procreāt nisi isti? Fateor. Quid tum benefactoribus? nõnne ubiq; contrà benefacere, legibus sancitum est? Est, inquit. Verum & id homines interdum transgrediuntur. Et hi igitur qui hoc transgrediuntur, poenas luunt. Nam bonis amicis priuati, alios quibus sint odio

odio queritare coguntur. Quicumq; enim bene suis fecerit necessarijs, huic boni fient amici: quicumq; non affecerit huiusmodi homines beneficijs, propter ingratitudinẽ ab his odio habebitur. Cũ uerò adeò ijs maximè conducat uti, hos maximè queritant. Per Iouem, inquit, ô Socrates, deorum eã esse leges uidentur. Nam quòd qui transgrediuntur, dant pœnas, eò mihi melioris esse conditoris uidentur, quàm hominis. Vtrum, ô Hippia, deos putas quæ iusta sint legibus mandare, an alia? Non hercle. Minimè enim alius iusta legibus mandaret, nisi Deus. Dijs quoq; ô Hippia, idem iustum esse atque legibus obtemperare placet. Huiusmodi ergo dicens, atq; faciens, iustiores suos reddebat auditores. Quòd autem eos in usu uirtutis assuefactiores faciebat, qui secum uersarentur, nũc est ut referam. Putans enim abstinentiam his prodesse qui facturi sint aliquid boni, primò sese proferebat, ut in ea re exercitatus uideretur his quibus cum uersabatur: subinde disputando maximè hortabatur suos auditores, ut in abstinentia assuescerent, semperq; & ipse repetebat quæcunque ad uirtutem sint, & suis ea auditoribus in memoriam adducebat. Memini & apud Euthydemum de continentia huiusmodi sermonem habuisse: Dic mihi, inquit, ô Euthydeme, putas ne bonam magnamq; possessionem homini atque ciuitati libertatem esse? Maximam, inquit. Quicumque igitur corporeis seruit libidinibus, & ob eas nequit quæ sint optima exequi, putas ne tu hunc esse liberum? Minimè, inquit. Fortassis homine libero dignum uidetur tibi, posse agere quæcunque bona sint: deinde habere, qui interpellant istiusmodi facere, seruire quidpiam deputas? Omni-

no, inquit, puto. Omnino igitur tibi uidentur incontinen-
tes etiam non liberi esse. Per Iouem, inquit, & meritò.
Vtrum incontinentes uidentur tibi prohiberi ea facere
quæ honesta sint, an & cogi ea facere quæ turpia? Non
minus hæc mihi uidentur cogi agere, quàm illa prohibe-
ri. Quales tu dominos putes, qui bona prohibent, & tur-
pia cogant? Hercle quampestimos. Seruitutem quam tu
esse putas pestimam? Ego, inquit ille, hanc quæ apud pes-
simos dominos feratur. Pestimam igitur seruitutem in-
continentes seruiunt? Mihi, ait, uidetur. Sapientiam ue-
rò maximum bonum, nōnne tibi uidetur ab hominibus
auferendo, contrariam in partem eos concitare conti-
nentia? Nanq; prohibens attendere, & ea discere quæ
profutura sint, eos attrahit ad uoluptates: & cū plu-
ries bona malaq; discernat, illa absterriti peiora pro me-
lioribus eligunt. Fit quidem, inquit. Castitatem atq; mo-
derantiam, cuius dicimus minus conuenire, quàm in-
continenti? Ipsa enim moderantia atq; incontinentia, ope-
ra contraria sunt. Fateor, inquit. Putas ne, inquit, aliquo
magis tolli incontinentiã, quàm studijs rerum earum quæ
maximè oporteat? Nullo prorsus. Qui uerò pro utili-
bus, quæ ledant, efficit ut eligas: quiq; ut in horum stu-
dio perseueres, illa negligas suadeat, cogatq; ea facere
quæ immodesta sint, putas ne homini hoc dari peius pos-
se? Nihil. Continentiam igitur contrariorum uerisimi-
le est causam hominibus esse, quàm incontinentiam? Ve-
hementer, inquit. Causam, inquit, contrariorum uerisimi-
le est optimam esse? Est quidem, inquit. Videtur igi-
tur, ô Euthydeme, ait, optimum omnium esse continen-
tia. Meritò, ô Socrates. Illud autem, ô Euthydeme, con-
siderasti

ſideraſti ne unquam? Quidnam? inquit. Quoniam, ait, & ad uoluptates, ad quas ſola homines uidetur ducere incontinentia, ipſa quidem non poteſt perducere, continentia uerò maiores efficit uoluptates. Quid ita? inquit. Quemadmodū, inquit, incontinentia non famem, non ſitum aduentare permittens, neq; Veneris deſideriū, neq; uigilias, per quæ ſola uoluptuoſe edere, bibere, Venere uti, quieſcere, atque dormire poſſit, prohibet neceſſarijs & cōtinuis uoluptatibus perfrui: ſic contrā, cū ſola cōtinentia deſiderari iſta faciat, ſola etiam perfrui rectè uoluptatibus facit. Vera proſectò narras, inquit. At qui, ait, dicere quæ honeſta & bona ſunt, inq; ſtudijs rerum earū uerſari, per quæ ſuum quiſq; corpus bene regat, & propriam domum bene gubernet, amicisq; atque patriæ ſiat utilis, & inimicos ſuperet, à quibus non ſolū utilitates, ſed & uoluptates quoq; maximæ capiantur, his omnibus continentes perfruantur, cū quæ diximus faciant: incontinentes uerò in nullo participant. Cui nanq; minus hæc dicemus conuenire, quàm illi cui minimè licet hæc agere, dum propinquis teneatur uoluptatibus? At qui Euthydemus: Videris mihi ô Socrates dicere, homini uoluptatibus ſeruienti nullam unquam uirtutem conuenire. Quid enim intereſt, ait, ô Euthydeme, inter hominem incontinentem & belluam? Nam quicumq; ea quæ optima non ſint, cogitat, uoluptuoſa uerò omnibus quærit modis exequi, quid à pecudibus differt? Solis igitur continentibus licet ea cogitare quæ optima ſunt, & dicere, & facere, ac rerum quidem discrimina, & ſecūdem genera diſgregare, bona eligere, mala ſecludere, quò optimi atq; ſeliciffimi reddantur, & bonorū docti ratiocinatores. Nam

& dicebat rectè ratiocinatores dici, quòd in unum consu-
 lentes conueniant, rerum genera segregantes. Oportere
 itaq; conari, ut ad hoc sit paratissimus, aut in hoc maxi-
 mè curiosus. Ex hoc enim effici homines dignos principa-
 tu, bonosq; bonorum atq; malorũ ratiocinatores. Quòd
 autem bonos quoq; ratiocinatores suos efficere studuerit,
 conabimur explicare. Illos enim qui scirèt quid unaquæ-
 que res esset, putabat & alijs posse exponere: qui uerò
 nescirent, aiebat non mirandum esse, si & ipsi falleren-
 tur, & alijs erroris causa fierent. Quas ob res nunquam
 cessabat cum suis auditoribus cõsiderare, quid unaquæq;
 res esset. At singula quomodo definiret, longum foret ex-
 plicare. *Que* igitur ad eius cõsiderandæ rei modum ex-
 plicandum pertinere putem, iam dicam. Principiò de pie-
 tate in hunc modum considerabat: Dic mihi, ait, ò Euthy-
 deme, qualem tu putas pietatem esse? At ille: Optimum
 quidpiam mehercle, ait. Habés ne & qualem pium homi-
 nem esse dicas? Mihi, inquit ille, is pius esse uidetur, qui
 deos ueneratione prosequatur. Licet ne quo quisq; uolue-
 rit modo deos honorare? Non, inquit, sed lege qua exposi-
 tum sit, quid facere conueniat. Quicumq; igitur leges fá-
 ciet, scit ne quo pacto deos oporteat uenerari? Puto, in-
 quit. Qui igitur norit deos honorare, nõ aliter putat hoc
 oportere facere, quàm quemadmodum nouit? Minimè,
 inquit. Est ne quisquã qui deos honoret aliter, quàm pu-
 tet oportere? Non puto equidem. Qui igitur teneat leges
 circa diuinum cultum positas, is profectò deos secundum
 leges honorat? Vehementer, inquit. Qui igitur deos se-
 cundum leges honorat, is uti oportet honorat? Quid ni?
 Qui uti oportet honorat, pius ne est? Maximè. Qui ergo
 circa

circa diuinū cultum leges positas sciat, rectè à nobis pius definiatur? Ita, inquit, uidetur. Hominibus autem utrum licet, quo quisq; uoluerit modo uti? Non, ait: sed apud hos etiam quicumq; sciat quæ legibus contineantur, quibus oporteat mutuò uersari, ille profectò legibus erit obtemperans. Quicumq; igitur lege conueniunt, ut decet utuntur hominibus? Et quid nī? inquit. Qui uerò ut decet utuntur, rectè utuntur? Ita, inquit. Qui rectè hominibus utantur, rectè res humanas agunt? Verisimile istuc, inquit. Qui legibus obtemperant, num & hi iusta faciunt? Maximè. Scis tu & quæ iusta appellantur? Quæ, inquit, leges imperant. Quicumq; igitur ea fecerit quæ leges præceperint, iusta, & quæ decet faciet? Quid nī? Qui, inquit, iusta fecerint, iusti ne sunt? Iusti, ut puto. Arbitraris ne igitur quosdam obtemperare posse legibus, ignaros eorum quæ leges præcipiant? Minimè. Putas ne esse aliquos, qui cum sciant quæ oporteat facere, putent tamen sibi ea non esse faciunda? Neminem, inquit. Scin? & quosdam alia facientes quàm putent oportere? Non, inquit. Qui igitur illas quæ circa conuictum hominum leges positæ sint, non ignorent, hi iusta facient? Istuc, inquit. Qui uerò iusta facient, iusti sunt? Quinam alij, inquit, sint? Rectè igitur eos definiemus iustos esse, qui sciunt quæ legibus posita sint, circa hominum conuictum & societatem? Ita & mihi, inquit, uidetur. Sapientiam uerò quid esse dicemus? Vtrum De sapientia. tibi sapientes in his rebus sapientes esse uidentur quas sciant, an in his quas nesciant? Vti uidere licet, in quibus sciant: quo enim modo quispiam in his foret sapiens, quæ nesciret? Vtrum sapientes ipsi sint scientia sapientes? At ille: Quonam, inquit, alio quisquam esset sapiens, nisi es-

set scientia? Aliud ne putas quidpiam esse sapientiam, nisi qua sapientes reddamur? Non, inquit. Scientia igitur num sapientia est? Ita mihi, ait, uidetur. Vtrum tibi, ait, uidetur hominem posse rerum habere omnium scientiam? Non, inquit, mehercle, ne minima quidem ex parte. In omnibus igitur hominem esse sapientem, non est possibile? Minimè. Sapiens ne igitur quisq; est ea in re quam sciat? Est, inquit. Vtrum bonum quoq; idem disquirendum est? Quomodo, inquit. Videtur ne tibi idem omnibus esse utile? Non, inquit. Quid, num & quod alteri interdum noxium uidetur esse? Maximè. Aliud igitur quidpiam dices utile, quam id quod bonum est? Non, inquit. Vtile igitur huic bonum erit, cui utile erit? Istuc mihi, ut inquis, uidetur. At de his que deceant, num aliter habemus quam de bono dicere? An si tu cum dicas condecens aut corpus, aut uas, aut aliquid eiusmodi, dabis ne quòd sit ad omnia condecens? Non mehercle, inquit. Num & ad quod quidpiam utile sit, ad id eo oportet uti? Ad nihil, inquit, aliud. Vtile autem condecens ne illi est, ad quod sit utile? Ad hoc idem, ait. Vtile ergo illi condecens est, cui utile est? Est, inquit. Fortitudinem, ô Euthydeme, utrum putas esse condecens? Puto quidem. Vtile igitur non ad minima, putas esse fortitudinem? Hercle, inquit, ad maxima. Num tibi ad aspera & periculosa uidetur utile, ignorare quænam ea sint? Minimè, inquit. Quicumq; ergo non timeant huiusmodi, quia ignorent quidnam sint, hi non sunt fortes? Non, inquit. Multi enim hoc pacto insani ac formidolosi fortes essent. Quid ergo nunc, & quicumq; non aspera timeat? Minus, inquit, mehercle. Quicumq; igitur ad aspera &

p ericu-

periculosa boni sint, fortes sunt: & qui mali, ijdem & formidolosi? Maximè. Bonos ne ad hæc alios tu putas esse, quàm hos qui his bene possint uti? Non, inquit, sed istos. Malos uerò qui non possint bene uti eis? Quos alios putem? ait. Singuli ne eis utuntur uti putant oportere? Quid ni? Qui uerò non possunt bene illis uti, sciunt ne bene illis uti? Minimè. Qui ergo sciunt quàm illis debeant uti, illi & possunt? Soli, inquit. Quid tum, qui non id peccant, malè ne illis utuntur? Non puto, inquit. Qui ergo malè utetur peccat? Verisimile istuc. Qui ergo sciant asperis & periculosis bene uti, fortes sunt: qui uerò in hoc peccant, formidolosi? Mihi istuc uidetur, inquit. Regnum autem & tyrannidem, principatū quidem utrunq; Regni & tyrannidis discrimen. esse putabat: at inter eos multū putabat interesse. Illum enim qui uolentibus & nō repugnantibus hominibus, ac secundum leges ciuitatum imperat principatum, regnum putabat: qui uerò inuitis, & non secundum leges, ad principis uoluntatem ageretur, tyrannidem. Et ubi quidem principatus ab optimatibus, legumq; obseruatoribus haberetur, hunc regendi modum Aristocratiam putabat: ubi uerò à ditissimis, principatum ex censu: ubi autem ex omnibus, popularem. Quòd si quis illi sese dicendo opponeret, nihilq; afferret quod clarum atq; probabile esset: aut si quem fortiozem, sapientiozem, magisue ciuilem diceret, omnem is sermonem à principio adducebat, ita ordiens. Tū ne hunc quem laudas ciuem, dicis esse probiozem illo, quem ipse laudo? Dico, aiebat. Cur igitur illud principio non considerabimus, quodnam boni ciuis officium sit? Istuc agamus, inquit. Qui pecunijs ciuitatem faciet ditiozem, is in pecuniaria disceptatione superior

fiet? Fiet, inquit. At in bello, nunquid qui urbem superio-
rem esse faciet? Quid nisi Si idem legatus aliquò profici-
scatur, num is qui ex hoste amicum reddet? Fit id mihi ue-
rissimile, inquit. At in concione, qui sedat ortam seditio-
nem, concordiamq; restituit? Ita est, ait. Cùm itaque per
hunc modum sermo deduceretur, illis contradicentibus,
ueritas elucescebat. Cùm autem ipse quicquã pro se expo-
neret, inde ordiebatur quæ maximè apud quosq; essent
cognita: hoc sermonis genus putans habere in progressu
dicendi firmitatē atq; securitatem. Ea de re cùm diceret,
omniū quos uiderim unus reddebat auditores, ut nihil di-
centi sibi negandum ducerent. Dicebat Homerū idcirco

• Certus orator. Vlyssēm certum appellasse oratorem, quòd per ea quæ
uulgò nota sint, poterat animos eorum qui audirent, quò
instituisset, adducere. Ex his igitur quæ usq; recensui, pa-
tère arbitror, quàm simplicibus quidem argumentis So-
crates cum suis auditoribus disputando uteretur. Quòd
autem etiam eos in rebus agendis aptos dicendo redde-
ret, consequens est ut referamus. Præ omnibus enim quos
uiderim curabat, qua quisq; in re suorum auditorū esset
doctus, & ea quæ uirum bonum nō ignorare debere sta-
tueret. quæ ipse sciret, promptissimè edocebat: quæ uerò
fortassis nō satis tenebat, ad peritiores adducebat suos, ut

Quousque in
qualibet arte di-
scenda progre-
diendum sit.

ediscerent. Admonebat etiam quousq; illum progredi o-
porteret in quauis re, qui rectam eruditionē expeteret.
Nam geometriam didicisse eousq; oportere, quoad rectè
quis possit, si quādo sit opus, terrā mensura accipere, aut
tradere, aut distribuere, aut opus demonstrare. Hocq; tam
esse facile cognitum, ut qui mentem intenderit dimensioni,
simul & quanta sit terra sciat, & quomodo sit metienda
cognoscat.

cognoscat. Discere autē geometricas omnes illas difficiliores descriptiones improbabat. Quid enim ea prodesse, nō se satis, et si nō esset earum ignarus, aiebat intelligere. Nanq; hęc & eiusmodi dicebat ad cōterendam hominis uitam, atq; ab alijs utilioribus rebus agendis, interpellandam ualere. Hortabatur etiā ut in astrologia peritiores fierent, quoad noctis, & mensis, & anni uolutiones satis dignoscerent: itinerum nauigationis, ac excubiarum gratia, ad eāue quę noctu, aut menstruis, aut annuis diebus fiant, discernendum. Atqui hęc facile quidem addisci ab his, qui noctu feras aucupantur, aut nauigant, aut quouam noctu exeūt. Ob id uerò astronomiam discere, quō uagas errantesq; stellas, earumq; à terra distantia teneas: in earumq; progressibus & cursibus cognoscendis occupari dehortabatur. Nullam enim ex his existerē hominibus utilitatē affirmabat, in quibus dignoscendis uita hominis inutiliter occupetur, à multisq; optimis alijs rebus distrabatur: atq; ut unā omnia complectar, cœlestia omnia, & quę dij machinētur, scrutari dehortabatur. Neq; enim hominibus facile est ea adinuenire: neq; dijs eos facere grata arbitrabatur, qui ea quærant, quę ipsi dij in promptu & manifesta esse noluerunt. Quòd si quis esset qui ea studiosius sectaretur, hunc non minus quā Anaxagoram fore in periculo insaniendi, qui quidem quod nimium efferretur in deorum machinis explicandis, insaniuit. Ille enim asserens idem esse ignem atq; solem, ignorabat quā ignem homines facile spectent, solem uerò non facile queant intueri: & solis radijs homines colore fieri fusco, igne autem minimè. Ignorabat & illud, quòd quę ex terra orientur, eorum nihil, nisi à sole foueatur,

Solis & ignis
diuersitas.

adolescere : igne uerò concalefacta omnia corrumpi.
 Asserens etiam solem lapidem ignitum esse, ignorabat
 lapidem quum in igne sit, neq; collucere, neq; diu dura-
 re : Sol autem totis annis lucidior extat. Connumeran-
 di quoq; artem hortabatur discere. Atqui quum in cæ-
 teris, tum & in hac admonebat, ne futilia ac non pror-
 sus utilia prosequeremur. Omnia deniq; & disputabat,
 & cum familiaribus disquirebat, non ultrà quàm ad ui-
 tæ utilitatem. Admonebat item suos auditores, ut ma-
 gnam haberent ualetudinis curam, tum à peritis discen-
 do quæ commoda sint, tum & totam per uitam de se
 obseruando, quis potus, quis cibus, quisue labor con-
 ferat, quoq; modo eis utendo sincere uiuat. Qui enim
 ipsum se ita obseruaret, difficile medicum quempiam
 reperturum, cui ea sint magis cognita. Si quis uerò ue-
 lit maiora assequi, quàm per hominis ingenium liceat,
 suadebat diuinationi sese dederet. Nam qui ea norit,
 per quæ superi de rebus agendis homines certiores fa-
 ciunt, hunc fore nunquam diuino destitutum consilio.
 Si quis autem, quòd à iudicibus fuerit Socrates morte
 condemnatus, qui se familiarem habere dæmonem dice-
 ret, qui sibi agenda & nō agenda significaret, putet eum
 esse mentium : primò quidem meminisse oportet, quòd
 tam grandis, prouectæq; erat ætatis, ut si non tum pri-
 mùm, non multò tamen post uita excederet. Deinde,
 quòd tunc è uita excessit, quando homines cum molestia
 uiuimus, cumq; intellectu & uiribus seiores hebetio-
 resq; reddimur : pro quo adeptus est, ut animi fortitudi-
 nem præ se ferens, laude dignissimus euaderet, causam
 perorando uerissimè, liberaliq; animo, atque iustissimè,
 condem-

condemnationemq; mortis non inuitè, multa cum patientia fortiter subeundo, ut fateantur omnes neminem inuentum, qui mortem animo æquiore pertulerit. Post enim latam de seipso sententiam, necessitas fecit ut dies triginta esset in uita. Nam eo mense erant Delia, quibus lege erat uetitum, ne quem publicè interimerent, ni prius à Delo nauis sacra redisset. Per id integrum tempus cum suis necessarijs non secus uixit, atq; reliqua sua omni in uita: quem tamen omnium maximè qui ante eum fuerant, admirarentur homines, præ cæteris tam sine ulla molestia per animi æquanimitatem et lætitiã uiuere. Quo igitur quisquam modo quàm hoc rectius queat è uita discedere: aut quodnam deserendæ uitæ genus dari optatius queat: quæ uic optimo uiro dignior atq; felicior: aut quisnam dijs charior hoc: quem eundem & felicissimum esse uoluere. Dicam & quæ ab Hermogene Hipponici filio de eo audiui. Aiebat enim, se cum iam accusante Melito de omnibus magis quàm de causa differeret, dixisse ei, oportere iam ut de causa cæteris omiſſis cogitaret, ac illum primũ respondisse: Num tibi uideor diu in hac una consideratione peruixisse? Cùm ille, & quidnam id, rogasset, eum dixisse: Totam quidem per uitam se aliud egisse nihil, q̄ considerare quænam iusta & iniusta sint, quò ab iniustis abſtineret, & iusta faceret: quam quidem putaret optimã respondendi rationẽ. Seq; rursus dixisse: Num uides, ô Socrates, q̄ Athenienses iudices multos qui nullam fecissent iniuriam, tamen oratione offensos, interficere, multos iniustos liberare? Mehercle dixisse illum, ô Hermogenes, iam dum exordium meditans respondere conarer, dæmoniũ me interpellauit. Ac illo admirante, Socra-

tem, Miraris, dixisse, si Deo uideatur melius me de uita hac iam demigrare? Num meministi ad hoc usque tempus me nulli hominū concessisse, ut melius aut suauius me uiueret? Optimè enim eos uiuere deputo, qui maximè curant ut quamoptimi reddantur: suauissimè autè illos, qui maximè sentiant sese fieri meliores. Quæ ambo ad hoc usq; tempus mihi sentiebam contingere. Nam & cū alios homines conuenirem, meq; ad illos cōferrem, sic semper de meipso sentiebam. Neq; id solum ipse, sed item de me idem amici sentiunt: non quòd me ament (nam qui & alios amāt, eadem aduersus cæteros essent opinione quos ament) sed quòd dum mecum uersentur, se quamoptimos fieri deputant. Quòd si plus temporis uiuam, fortassis et ea subeam necesse erit, quæ senum sunt, ut minus uideam, minus audiam, peiusq; intelligam, fiamq; ad discendum tardior & obliuiosior, & quibus eram melior, fiam deterior. Quæ omnia si non sentiam, non esset mihi uiuendum: si sentiam, necesse est ut peius insuauiusq; uiuam. Præterea si iniuste moriar, illis qui me iniuste interemerint, erit facinus hoc turpitudini. Si enim cuiquam afferri iniuriā turpe est, quid ni erit turpe etiam iniuste quicquam facere? Mihi uerò quid turpe esset, dum alij de me neque cognoscere, neque facere ea possint quæ iusta sint? Video etiam non eandem apud maiores habitam, neque eandem ad posteros deductam opinionem, de his qui iniusta fecerūt, atq; his qui iniusta passi sunt. Tum & scio, quòd etsi ipse nunc moriar, de me futura sit nō eadem cura, atq; de his qui me iniuste interemerint. Scio, de me illud attestabuntur: Socrates nulli unquam iniuriam intulit, nullum reddidit deteriorem, sed suos semper conatus est

tus est auditores reddere meliores. Talia quidē cum Her-
mogene, cumq; alijs disputauit. Illi autem, qui Socratem
qualis esset, cognoscebant, nimirum omnes qui uirtutem
amplectebantur, ad hunc usq; diem illum egregiē deside-
rant, tanquam ad uirtutis cultum utilissimum. Itaq; mihi *Epilogus.*
quidem talis esse uidebatur Socrates, qualem eum fuisse
narraui, tam quidem pius, ut nihil non consultis dijs ag-
grederetur: tam iustus, ut ne minima quidem in re cuiquā
esset obnoxius, ac prodesset multum his qui se uterentur:
continens, ut nunquam uoluptatem honestis anteferret:
prudens, ut dijudicando melioraq; à peioribus secernens
do nunquam aberraret, neq; alio extrinsecus adiumento
ad horū cognitionē definitionemq; indigeret, sed sibi per
se ad id satis sufficeret: cumq; plurimū posset in cæteris
examinandis, peccantibusq; redarguendis, ac ad uirtutē
& honestum hortandis, uisus talis quidem est, quem om-
nium optimum & felicissimum statuam. Quòd si cui no-
strahæc non satis probentur, Socratis ad cæ-
teros homines comparatione rem
ipsam dijudicet.

XENOPHONTIS DE FACTIS ET
DICTIS SOCR. LIB. IIII. ET
ULTIMI FINIS.

XENOPHONTIS APOLOGIA

PRO SOCRATE, LEONARDO

Aretino interprete.



SOCRATIS quoq; mihi uidetur dignū meminisse, cū in iudicio uocatus fuit, quemadmodum de sua defensione morteq; cogitauit. Scripserunt nanq; super hoc et alij, omnesq; in magniloquentia eius cōuenerunt. Ex quo manifestum est Socratem reuera sic fuisse locutū. Sed ut iam mortem uitæ sibi putaret præferendam, de hoc haud satis apertè dixerūt. Vnde fit ut magnificentia illa uerborum minus prudētiae habere uideatur. Hermogenes uerò Hipponici filius, Socratis amicus ac familiaris, talia de eo retulit, ut magniloquentia illa rectè cōuenire eius cōsilio uideatur. Dixit nanq;, cū de cunctis rebus magis q̄ de se defendendo cogitantē ipsum animaduertet, dixisse: Atqui par erat, ō Socrates, te de tua defensione curam habere. illum uerò primū respōdisse: Nōne tibi uideor hoc facere, ō Hermogenes, dum quemadmodum uixerim meditator? Et cū rursus interrogaretur, subiunxisse, quòd nihil in uita fecisset iniuste, quam defensionis optimā meditationem putaret. Cū uerò Hermogenes dixisset: At non uides in Atheniensū iudicijs sæpe illos qui nihil patrassent, irritatis iudicium animis fuisse damnatos: sæpe etiam criminosos, aut oratione ad cōmiserationē traducta, aut gratia fuisse absolutos? Ad hæc respondisse Socratē ait: Enim uerò bis iam defensionē meditati mihi, dæmoniū aduersatur. Et cū Hermogenes miraretur, adiunxisse: An tibi mirum uidetur Hermogenes, si etian Deo melius uidetur iam me è uita migrare? Nescis me usq; ad hanc diem nemini cōcessisse in uita bonitate? Quod quidem dulcissimū est,

est, scire se etatem totam pie iusteque transgisse. Itaque magna uoluptati est hæc reputare mecum, & familiares meos ita sentire. Nunc autem si longius processerit etas, scio necessarium fore ut senectutis subeam onera: peiusque uidere, & minus audire, hebetarique ingenium ad discendum, & quæ iam didiceram, facilius obliterari. Quod si me in deterius ferri sentiam, grauiusque id feram, quem ad modum mihi uita potest esse iucunda? fortassis etiam mihi benignitas Dei prestat non solum opportunitatem finiendæ uitæ, sed etiam facilitatem. Nam si nunc cõdemner, cõstat mihi licere mori, ita ut maxime fieri potest facillime, et sine incommodatione amicorum, ac per eum modum qui maximum desiderium sui relinquit. Nam quando nihil inhonestum neque durum in mentibus presentium remanet, estque sanum corpus, mensque ad cognitionem amicorum ualida, quomodo fieri potest ut is qui migrat è uita, sui desiderium non relinquat? Recte autem cogitationibus nostris tunc dii aduersabantur, cum nobis uiderentur omni modo querendæ rationes euadendi. Si enim hoc fecissem, euenisset mihi pro uita nunc relinquenda, aut morbis anxium mori, aut senectute, in qua omnia dura cõfluunt, nimiumque gaudijs spoliata est. Ego uero, inquit, ô Hermogenes, ista ne cogitabo quidem, sed quanto melius mecum & apud deos & apud homines actum puto, & quam ipse de meipso opinionem habeo, hanc ostendens, si iudices grauo, eligam potius mori quam non liberè uiuere, petendo insuper lucrari longè deteriore uita pro morte. Deinde accusantibus aduersarijs, quod quos ciuitas deos putabat, ipse non putaret, adcurrente iudices sic dixisse: Equidem iudices hoc primum admiror, qua ratione Melitus accusator dicat, quos ciuitas deos putat, me non putare. Nam in

cōmunibus quidem sacris, publicisq; altaribus sacrifican-
 tem me & alij multi uiderūt, & ipse Melitus si uoluit ui-
 dere, potuit. Noua autem demonia quomodo ob id intro-
 duco, quòd mihi Dei uocem fieri asseram, quid factò opus
 sit significantem. Nam & qui garritu auium, & qui ho-
 minum utuntur uocibus, utiq; coniectant. Tonitrua uerò
 dubitabit quispiam aut nō fari, aut nō magnam significa-
 tionem habere. Ipsa quidem in tripode Pythia sacerdos,
 nōnne Dei uoce prænunciat. Atqui Deum quidem futura
 prænoscere, & cui ipse uelit nunciare, quemadmodū ego
 dico, sic ab omnibus dicitur & putatur: sed alij auguria,
 omina, portenta, & uates appellant eos qui ista signifi-
 cant. Ego uerò demoniū appello multò rectius q̄ hi, qui
 deorum uim, potestatemq; auibus attribuunt. Quòd ue-
 rò non mentiar contra Deum, & hoc habeo argumentū.
 Nam multis ex amicis consilia Dei aperui, in quibus nun-
 quam mentitus sum. Hoc dum iudices audirent, turbaren-
 turq; alij propter incredulitatem, alij propter inuidiam,
 indignè ferentes si ille pluris fiat apud deos q̄ ipsi, maio-
 ribusq; potiatur, rursus Socratem sic dixisse: Agè uerò
 audite cætera, ut etiam magis fidem auferam illis, qui me
 à demonio honorari non credunt. Petenti quondam de
 me in Delphis Chærephonti, cū multi adessent, respon-
 dit oraculum, nullum aut liberaliorem, aut iustiore, aut
 sapientiore esse quàm me. Quæ cū audissent iudices,
 ac magis irritati essent, Socrates inquit: Atqui maiora de
 Lycurgo Lacedæmonum legumlatore quàm de me ora-
 culum respondit. Dicitur enim templum intranti Lycur-
 go dixisse, Ambigo utrum te deum, an hominem appel-
 lem. Me uerò nequaquã deo comparauit, hominibus tamen
 censuit

censuit antecellere. Vos tamen iudices ne deo quidem ista
 temerè credatis, sed uosipsi diligenter ista in singulis eo-
 rum quæ de me deus ait, inspiciate. Quæ scitis minus quàm me
 corporis uoluptatibus deseruisse? quem liberaliorem, qui
 à nullo unquam neque dona, neque mercedem recepit? Iustio-
 rem uerò quem existimare meritò potestis, quàm eum qui ad
 presentia sic se accommodat, ut alio non indigeat? Sapien-
 tem uerò quomodo quis non dicat eum, qui ex quo intel-
 ligere cœpit, nunquàm desistit perquirere & discere quic-
 quid potuit boni? Quòd uerò frustra non susceperim labo-
 rem, hinc coniectari licet, quòd multi ciues uirtutis ama-
 tores, multique peregrini familiaritatem meam concupiue-
 rint. Illius uerò quid dicemus esse causam, omnes uidelicet
 intelligere me nequaquam habere pecunias ad remunerandam,
 tamen complures cupere mihi aliquid elargiri? A me nihil
 ob beneficiū repecti, mihi multos gratiam se debere confi-
 teri. In obsidione alios quidem seipsos affligere, me uerò
 nihil difficilius uitam agere, quàm cum maximè ciuitas tran-
 quilla esset. Alios uoluptates magno sumptu ex foro mer-
 cari, me uerò ex animo, sine ullo sumptu, maiores & sua-
 uiores quàm illos reperisse. Si ergo ea quæ de me dixi nullus
 redarguere potest, nec falsa ostendere, quomodo non iustè
 à dijs & hominibus lauder? Tu autem Melite, uis me ta-
 lia agentem iuuenes corrumpere. Atqui scimus quales
 sunt iuuenum corruptelæ. Tu ergo dicas, si quem scis ex
 pio impium, aut ex temperato intemperatum, aut ex fru-
 gi prodigum, aut ex sobrio uinosum, aut ex strenuo igna-
 uum à me factum, aut in alteram prauam uoluptatem tra-
 ductionem. At uerò, noui equidem, ait Melitus, quibus tibi
 magis quàm genitoribus suis parère persuasisti. Fateor,

inquit Socrates, in doctrina. Hoc enim sciūt me fuisse meditatatum: & de medicina quidem medicis plus credunt homines quā parentibus: & in cōcionibus omnes Athenienses, ijs qui maximē sapiunt assentiuntur potius quā propinquis. Nam neq; in prætorebus deligendis parentes præferunt, sed parentibus germanis quibus, & mehercle uobis ipsi illos præponitis, quos existimatis rei militaris esse peritissimos. Tunc Melitus inquit: Conducunt ista Socrates, & fieri solent. Nōne igitur mirabile tibi uidetur, inquit Socrates, in alijs quidem rebus nō solum pares esse qui optimi sint, sed præponi etiā: me uerò in maximo hominū bono, doctrina scilicet, si quibusdam præferar, huius gratia à te in iudiciū capitale uocari? Dicta autem alia uidelicet plura fuerūt & ab ipso Socrate, & ab his qui aderant ei amicis: sed ego nō omnia referre studui in iudicio dicta, sed sat fuit mihi ostendere Socratē, quòd neq; circa deos impius, neq; circa homines iniustus haberetur, plurimi existimasse: uerū ne moreretur id sibi deprecandum minimē censuisse, sed tempus arbitratū sibi iam tum moriendi: quòd quidem sic fuisse manifestius factum est, iam contra eum lata sententia. Nam cum moneretur, ut uestem mutaret, neq; facere uoluit ipse, neq; amicis ac familiaribus permisit, asserens ipsam sordidationē admissi facinoris esse confessionem. Deinde familiaribus ipsum surripere uolentibus, assentire noluit, querens etiam per iocum, an extra Atticam locū scirent quò mors aspirare nequiret. Sed cum finem habuisset iudicium, talia loquutus est: Qui testes contra me peierare docuerunt, & qui docentibus paruerrunt, necesse est ut magnæ impietatis iniustitiæque sibi ipsis sint conscij. Ego autem quid debeo minus de me sentire, quam

quàm ante damnationem meam, cum in nullo eorum conuictus sim de quibus me accusauerunt: neq; pro Ioue, Iunone, alijsq; dijs alijs, quibusdam malis dæmonibus sacrificasse, neq; iurasse, aut nominasse deos alios apparuit. Iuuenes etiam qua ratione corrumpto, ad tolerantiam & modestiam assuefaciens? Atqui quibus in rebus mortis pœna subest, sacrilegio uidelicet, furto, plagio, ciuitatisq; prodicione, nec ipsi quidem accusatores, nec aliquis huiusmodi fecisse accusauit. Vnde mirandū mihi uidetur, qua ratione dignus morte uobis sim uisus. Nec tamen quòd iniuste moriar ob hoc minus de me sentiendum est: nō enim mihi, sed condemnantibus hoc turpe. Solatur quòd Palamedes ille nō absimiliter condemnatus, qui etiam nunc maiores & pulchriores laudes reportat quàm Ulysses, qui per iniuriam ipsum interfecit. Scio autem, mihi testimoniū perhibebit & præsens & præteritū tempus, me nulli unquā iniuriam intulisse, neq; deteriorem fecisse quenquam, sed multis profuisse qui mecum disputauerunt, gratisq; docuisse quicquid potuerim boni. Quæ cum dixisset, maxime cōsentaneus uerbis suis abibat, & oculis, & gestu, & gradu letus. Vt autem animaduertit illos qui sequebantur lugere, Quid hoc est? inquit, nōne iandudum sciebatis me, ex quo genitus eram, ab ipsa natura morti fuisse damnatū? Atqui bonis aduentantibus præripi è uita, mihi nimirum meisq; beneuolis lugendum foret. Si uerò malis impendentibus diem otheo, arbitror tanquam pro felicitate quadam à uobis omnibus esse letandum. Aderat quidam Apollodorus Socratis quidem studiosissimus, ceterū simplex & ignarus, qui tunc inquit: At ipse, ô Socrates, hoc grauissimè fero, quòd te iniuste mori uideo. Socras

tes autem dicitur caput eius demulsisse, ac dixisse: An tu amicissime Apollodore, malles me iuste quàm iniuste mori? simulq; risisse dicitur, & cum Anytum aspiceret, dixisse: Hic uir letus abit, quasi magnum aliquid ac præclarum operatus si me interfecit, quòd ipsum plurimi à ciuibus extimatum aspiciens, negat oportere filium circa coria instruere: quàm stultus est, inquit, qui nescire uideatur quicunq; nostrum & utiliora & honestiora per omne tempus effecerit, eum esse uictorem. Attamen, inquit, cum Homerus quibusdam in locis faciat eos qui moriuntur futura prænoscere, uolo & ego iam aliquid diuinare. Fui autem aliquando cum huius Anyti filio, uisusq; est mihi non inrobusti animi esse. Itaq; dico ipsum in seruili exercitio quod ei pater parauit, non esse permansurum: & quia neminem studiosum habebit curatorem sui, in aliquam prauam cupiditatem elapsus, usq; ad extremam improbitatem uenturū. Hæc dicens nequaquam mentitus est. Nam adolescens uino delectatus, neq; noctu neq; die à potu cessauit: tandemq; nec reipub. nec amicis, nec sibiipsi utilis fuit. Anytus ergo propter filij malam disciplinam, suamq; socordiam mortuus etiam infamis est. Socrates uero se in iudicio magnificando inuidia contracta, magis ac magis in damnationem suam iudices irritauit. Mihi igitur quidem uidetur diuina sorte potius quàm humana perisisse: nam grauissimam uitæ partem difficillimamq; dimisit, morte uero quæ facillima est omnium interijt, ostenditq; robur animi. Nam cum intelligeret sibi melius esse mori quàm ulterius uiuere, ut neq; ad alia bona præceperat, sic nec ad mortem mollem se præbuit, sed hilariter illam suscepit finiuitq;. Ego quidem & generositatem uiri me-

ri mecum reputans, neq; possum non meminisse, nec cum meminero, non laudare. Si quis autem ex his qui uirtutem sectantur, utiliori aliquo quam fuit Socrates, usus est, illum ego uirum felicissimum iudico.

XENOPHONTIS APOLOGIAE

PRO SOCRATE FINIS.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, D. IOANNI VVOCESTRE COMITI Vicorniensi, Omnibonus Leonicensus S. P. D.



Vper legebam, Princeps illustris, Xenophontis de Venatione libellum, in quo magnus ille tum rhetor, tum philosophus, probare contendit uenandi studium plus ad uirtutem habere momenti, quam cuius uis credibile uideatur. Quam ad rem multis rationibus utitur: sed illa nimirum potissima, quod apud Chironem huius instituti magistrum heroës ferme omnes, cum alias artes ingenijs maioribus dignas, tum uero praeter ceteras uenationem meditati, facile omnibus quos aetas illa melior tulit, non laude solum, sed admiratione etiam praestiterunt, cum fortissimi in idem fuerint, ac religiosissimi uiri. Id ex eo cognosci potest, quod sibi patriaeque suae praesidio & ornamento fuerunt, quod deus charissimi omnes deorum etiam honores plerique meruerunt. Itaque magna melibelli cupido cepit Latinae linguae tradendi. Haec enim eludant ceteri licet, quae de talibus uiris memoriae produntur, & ea dicant fabulis similia esse quam ueris. Ego cum te, uitaque institutionem considero, dubitare non possum id optima ratione factum, ut hanc uenandi meditationem, quae te in primis delectat, magni uiri nihil ab honestioribus studiis alienam esse

putauerint. Nihil enim tibi deest ad laudis & gloriæ cumulum: quem non ut ceteros uirtutibus præditos uideamus singulis ferè singulos, fide Fabritium, pietate Regulum, continentia Catonē, iustitia Camillum, magnificientia Lucullum, humanitate Marcellum: sed omnibus pariter bonis ornatum uidemus, quæ hominibus uel natura tribuere potest, uel industria cōparare. Quo circa libellum hunc latinum facere, tuoq; ipsum nomini, Princeps illustris, deuouere constitui: opus, ut arbitror, aggressus, nec tibi iniucundum (cuius enim rei exercitatione lætaris, eiusdē profectò lectione gaudebis) nec cæteris inutile. Nam quæ Xenophon docet, tu cū

ea facias, hinc autoritate ducti iuuenes, hinc ex

emplo, hunc deniq; uerum laborem

uanis uoluptatibus antes

ponere incipient.

Vale.

XENO-

Xenophōtis rhe-

203

TORIS DE VENATIONE LIBEL
LVS, OMNIBONO LEONI-
ceno interprete.



ENATIO & canes, deorum inuentio
fuit Apollinis atque Dianæ. Hac uerò
propter iustitiam donarūt, ornaruntq;
Chironem: quo ille accepto dono letus
utebatur. Huius & uenationis & bona

rum aliusmodi artium discipuli fuere Cephalus, Aescula-
pius, Milanion, Nestor, Theseus, Hippolytus, Palamedes,
Vlysses, Menestes, Diomedes, Castor, Pollux, Machaon,
Podalirius, Antilochus, Aeneas, Achilles, qui per id tem-
pus dijs chari fuere. Nemo autem miretur quòd plerique
eorū, tametsi dijs placerent, tamen mortui sunt: hoc enim
naturæ est, sed laudes ipsorū magnæ fuerunt. Neq; quòd
non omnium fuerunt eadem ætates: omnibus enim Chiro-
nis uita suffecit. Iupiter enim, Chironq; fratres ex eodem
patre, sed ille Rheæ, hic Naide nympha matre: itaq; natus
est ante illos, mortuus uerò postquam erudijt Achillem:
sed canum uenationisq;, & aliarum artium studio, cum
multum uirtute præstarent, admirabiles fuerunt. Et Ce-
phalus quidem à dea raptus est. Aesculapius maiora cõse-
cutus, ut mortuos suscitaret, ægrotos sanaret: quapropter
deus cum sit, perpetuam gloriã obtinet. Milanion tantū
studio laboris excelluit, ut ex riuilibus suis qui ad maxi-
ma cõnubia digniores erant, Atalantæ nuptias solus con-
sequutus fuerit, quarum spectatissimos ætatis illius ui-
ros æmulos habuit. Nestoris uirtus Græcorum aures ita

occupauit, ut nō apud ignaros loquar. Amphiarus cūm aduersus Thebas militasset, plurimam laudem adeptus, deorū honores immortalis obtinuit. Peleus effecit ut sibi Thetim dii desponsare cuperent, & nuptias apud Chironem celebrarent. Telamon tantus euasit, ut ex urbe maxima sibi quam uolebat Alcathoi filiam Peribocam uxore duxerit: & cūm Græcorum princeps capta Troia Iouis Hercules militaria dona tribueret, Hesionem ipsi habendam tradiderit. Meleager quos honores cepit, planū est: patris autem qui oblitus est, in senectute deam infortuniū habuit. Theseus Græciæ totius hostes solus perdidit, auctōq; patria nunc etiam admirandus perhibetur. Hippolytus Dianæ charus, modestia & pietate inter beatos habitus oppetijt. Palamedes dum uixit, omnes ætatis suæ uiros plurimū sapientia præstitit: post iniustam uerò mortē uindicatus à dijs quantū alius nemo. Occisus est autem nō unde arbitrantur nōnulli: neq; enim scisset hic propè optimus, ille bono similis, sed improbi facinus perpetrarūt. Menestes præ industria uenandi tantū laborando præualuit, ut huic bellicis rebus Græcorū primi cedere fateantur, excepto Nestore, qui nec ipse quidem superior, sed par esse censetur. Ulysses & Diomedes per singula clari, ad summam causa fuerūt ut Troia caperetur. Castor & Pollux his quæ à Chirone didicerant, tantū in Græcia clauerūt, ut propter eorū opinionem immortales fuerint. Machaon & Podalirius his itidem omnibus eruditi, & arte, & oratione, & bello præstātes euasere. Antiochus pro patre moriens tantū gloriæ consecutus est, ut apud Græcos solus prædicetur patris amator. Aeneas dijs penatibus seruatis, seruato & ipso patre, gloriam pietatis emeruit:

rui: huic & hostes uni ex omnibus quos ad Troiam ceperant, ius belli abstinere. Achilles in hac disciplina educatus, documenta de se adeo pulchra & magna dedit, ut de illo nec dicendo quisquam, nec audiendo satietur. Hi tales Chironis diligentia fuerunt, quam nunc etiam & boni admirantur, & mali detrectant. Itaque in Græcia si cui uel ciuitati, uel regi calamitates uenere, liberatores ipsi fuerunt. Si uero uniuersæ Græciæ cum barbaris certamen uel bellum fuit, per eos Græci uictoriam obtinuerunt. Eo factum est, ut Græciam ipsi inuictam reddiderint. Quocirca iuuenes admoneo, ut uenationis disciplinam, si quam aliam, minimè contemnant: hinc etenim bello strenui, cæterisque rebus euadunt, ut bene & dicere & facere cogantur.

De persona uenatoris.

CUM igitur è pueris excefferint, primū uenandi studium obire oportet: deinde aliarum artium. Ac considerandæ sunt opes, ut qui habeat, ijs utilitate utatur: qui non habeat, studium quidem præstet, ut nihil quantum in se erit, omittat. At uero quot quibusque rebus instructus ad hoc se conferre debeat, expedit, & res ipsas, & rerum cuiusque scientiam: ut cum eas perceperit, opus aggrediatur. Nec sit qui hæc contemnenda putet: nam sine his agi nihil posset. Oportet rei uenatoriæ studiosum lingua Græcum esse, etate annorum circiter uiginti, statura sanè agilem & ualidum, animo uero patientem, ut laboris uictor re ipsa letetur. Sagenæ uero tenuissimo lino Phasiano uel Carthaginensi, necnon casses, & retia: & sagenæ quidem filis nouem, magnitudo quinque, spithamarum: laquei ulnis undecim: plagas uero subijciat enodes,

ut labi facile possint. Casses uerò filis duodecim: magnitudo uallos capiat binos, ternos, quaternos, quinos. Retia uerò denos, uigenos, trigenos: nam si maiora fuerint, fient intractabilia: utraq; uerò sint macularum triginta. Laqueorum spacium sit sagenis æquale. In fastigio casses trochiscos habeāt, retia annulos, plagas autem à spirulis. Et sagenarum quidem hastilia longa sint denas ulnas, & eo breuiores. Et ex his alia in decliuibus locis inæqualia æqualiter surgant, alia in planis. Acqualia uerò supremū circumflexibilia sint, ipsaq; leuia. Cassium uerò bis tantum. Retium quinos spithamas pedes modicè bifurcata, nec profundè incisa: ualida omnia, ut nihil à longitudine crassitudo dissentiat. Numero hastilium ad retia maiore uti minorè uel licet. Sed statuēdo pauciora, laboriosius tenduntur, plura ociosius. Vbicūq; uerò sagna & retia fuerint, utrobique sit copula canum: turba sint & falces, ut saltus (sicubi oportet) cæsa sylua claudatur.

De uario genere canum.

I A M uerò canum duo sunt genera: hæ castoriæ sunt, illæ uerò uulpinæ. Et castoriæ quidem cognomen habent, quòd eas Castor re ipsa delectatus, præcipuè obseruauit. Vulpinæ, quòd ex canibus natæ sint & uulpibus, quarum natura spacio temporis confusa est. Et hæ plures deterioresq; sunt, ut pusillæ & gryppæ, ut hilares, ac murinis oculis, deformes, strigosæ, infirmæ, tenues, proceræ, inhabiles, pusillanimes, non sagaces, mollipedes. Pusillæ igitur sæpe inter uenandum propter breuitatem operam perdunt. Gryppæ sine rostro sunt, & propterea leporem tenere non possunt. Hilares ac murinis oculis hebetiori sunt acie. Deformes uerò sunt ipso uisu turpes.

pes. Strigosa à saltu non faciliè abſiſtunt, ſed laboris impatientes ſunt. Infirmæ ac tenues & proceræ, itemq; inhabiles, uagis oculis grauiſſe incedunt. Puſillanimes opera deſtruunt, & ſe ſub umbras à ſole recipiunt ac recubant. Quæ uerò ſagaces non ſunt, agrè raroq; ſentiunt leporem. Mollipedes nec ſi magnanimæ fuerint, labores pati poſſunt, ſed præ pedum dolore deſciant. Horum autem ipſorum canum diuerſæ ſunt etiam indagines. Hæ nanq; ubi ueſtigia deprehenderint, nihil ſignificantes ambulat, ut cognoſcere non poſſis an inueſtigent: illæ auri- bus tantummodo micat, cauda immotæ manent. Aliæ auri- bus immotis, ſummum caudæ uibrant: nonnullæ demittunt aures, & contracta fronte per ueſtigium continentes prementesq; caudam diſcurrunt. Multæ nihil horum faciunt, ſed inſanientes obambulant, & ueſtigia circumlatrantes, cum in ea inciderint, temerè ſigna prætereunt. Sunt quæ ambagibus multis ac erroribus utentes, cum de proximo ueſtigia concipiant, leporem derelinquunt: & quoties ueſtigia incurrunt, coniecturam faciunt: ſed ubi leporem uident, trepidant: nec inuadunt prius quàm illum moueri conſpexerint. Quæ uerò indagando & tranſcurrendo aliorum canum inuenta præoccupant, hæ iugiter intentæ, ſibi ipſæ non credunt, & audaces ſunt: quæ peritas laboris conſocias progredi non ſinunt, ſed perturbantes impediunt. Aliæ falſa amplectuntur, & quicquid natæ fuerint plaudentes procedunt, ſuæ ſibi fraudis conſciæ. Quædam hoc idem faciunt inſciæ. Sunt & ignauæ, quæ nuſquam à tramite declinant, ueſtigia recta ignorantes. At quæcunq; canes ueſtigia, ſi cubilium fuerint, ignorant, ſi pedum, celeriter diſcurrunt, non ſunt illæ quidem

ingenuæ: sed pars ab initio uehementes, præ languore de inde remittuntur: pars non subeunt, & continuo declinant. Quædam in uias stultè incidunt, & ut plurimum contumaces aberrant. Multæ ferarum odio, pleræq; hominum desiderio, agitatione omiffa, recurrunt. Nonnullæ à uestigijs clangentes fallere tentant, pro ueris falsa simulant. Sunt quæ hoc non faciunt, sed intercurrunt: & sicunde clangorem audierint, ad hunc relicto opere feruntur: hæ nanq; transcurreunt incertum. Quam ob rem illæ quòd ualde suspicantur, aliæ quòd opinantur, quædam quòd simulant, sed inuidia laborant: nonnullæ cum semper unà temerè ferantur, per uestigiū se interosculantur: his igitur uitijs quorū plurima naturaliter habent, quædam etiā quòd inscitè ductentur, inutiles euadunt, & hæ quòd canes studiosos etiā uenationis detertere possunt. Quales autem eiusdem generis esse oporteat, & formas, & alia eiusmodi, dicam. Primū igitur magnas esse oportet, leuia deinde capita, simas, articulosas, sub frōte uenofas, elatos oculos, nigros, præfulgidos, magnas frontes ac latas: caua discrimina, breues aures ac tenues, posteriora gracilia. Ceruices longas, molles, ac teretes: pectora lata, & ab humeris non macilenta: humerorum interualla parum distantia. Anteriora crura breuia, recta, teretia, solida: articulos rectos: latera non ualde caua, sed coëuntia in obliquū: spinam carnosam magnitudine mediocrem. Ilia nec mollia ualde, nec dura, inter magna & parua. Clunes obesas, posterius carnosas, superius uerò aptas, interius contractas. Inferiora uentris cum ipso uentre inania. Caudas longas, rectas, acutas, femina non dura, suras longas, teretes, bene crassas: posteriora crura prioribus multò longiora,

giora, sed tamen idonea: pedes rotundos. Et canes si eiusmodi fuerint, fortes erunt, specie agiles, habiles, celeres, alacres, rostroq; ualide.

De uestigatione.

SED ita uestigent, ut tramitibus celeriter excedant, capita terræ admouentes: ad uestigia subrideant, auresq; demittant, faciles oculos per singula uoluant, & caudis blandientes multis in latera orbibus, per uestigia simul omnes progrediantur. Sed ubi ad leporem ipsum adierint, tum uerò uenatori planum faciant, tendendo celerius, significando uehementius animo, capite, oculis, gestu corporis, acie tam reflexa, tamq; directa in leporis cubilia, diuerso impetu, in rectum, in aduersum, in obliquum, & uerè iam arrigendo animum ac gestiendo, quòd iuxta leporem sunt. Intensius uerò premant, nec remittant, ingenti clamore atq; latratu cum lepore qualibet euadentes, sed uelociter alacriterq; transmittat, sine modo transcurrentes, nec iniuria clangentes: nec uerò ad uenatorem omisissis uestigijs redeant. Tales forma, talesq; labore magnanimæ sunt, & duripedes, & sagaces, & nitidæ. Magnanimæ erunt, si saltus æstui incumbente non deserunt. Sagaces, si leporem nudis in locis, aridis, apricis, austro imminente præsentiuñt. Duripedes, si non euestigiò dum montes superant pedibus fatiscunt. Nitidæ, si tenui ac denso molliq; pilo uestiuntur. At colore canes esse oportet, nec penitus fuluo, nec nigro, neque candido: neque tum generosus hic fuerit, sed ignobilis atque ferinus. Canes igitur ullos, si fuluæ & nigræ fuerint, candidos: si candidæ, fuluos habeant, circum ora florentes. In summo autem femine, rectos ac densos. In spina item extremaq;

cauda: sed in suprema mediocres. Et satius fuerit per iuga sepe, per rura minus agitare canes. Nam iuga uestigari possunt, & expeditè transcurri: rura neutrum possunt, impedita tramitibus. Est autè utile, etiam si non inueniatur lepus, agitare per aspera canes: nam duripedes fiunt, & corpora in his locis exercentes meliores euadunt. Agitentur autem æstate usque ad meridiem, hyeme per solidum diem, autumno ultra meridiem, uere circa uesperam: hæc enim opportuna sunt tempora. Atqui leporis uestigia multum hyeme procedunt, quia longæ sunt noctes: parum autem æstate, quia è contrario sunt breues. Nec uerò subolent hyeme, cum primùm calorem sua ui contrahens, geluq; claudens in se cõtineat: & cum hoc fuerit, torpescentes naribus canes sentire non possunt, prius quàm sol diés ue procedens omnia resoluat: tunc & canes odorant, & ipsa dum percurruntur uestigia redolent. Ea uerò delet et ros multus superincumbens. Imbres etiam qui per anni tempora gignuntur, odorem ab humo rapientes, olfactum donec exiccetur difficilem reddunt. Sed australis tempestas deterior est: nam humectans diffundit. Septentrionalis uerò si serena fuerit, contrahit & seruat. At uerò pluuie & rores inundant. Luna etiam halitum extenuat, præcipuè cum plenilunium fuerit, & uestigia tunc quidem incertissima sunt. Nam exultantes ad lunam lepores inter se colludunt, & ea longè dissipantes dirimunt: sed perturbatissima fiunt quum ea uulpes antea pertransierint. Ver propter anni temperiem ualde clara præbet uestigia: quanquam terra sicubi floret, canibus nocet, dum in unum spirantes confundit odores: sed exilia æstate sunt ambigua. Nam terra feruens abolet quicquid

halitus

balitus habens. Est enim tenuis, & canes tunc minus odorant, quia resoluta sunt corpora. Verum autumnno pura sunt uestigia. Quaecunq; enim terra producit, & domestica iam reposita sunt, & agrestia situ labefacta, ut fructuum odores non superent quibus occupentur. Et hyem, & aestate, & autumnno recta sunt ut plurimum uestigia, uere autem confusa. Nam fera haec coit cum aliis semper, tum hoc tempore, ut propterea simul errantes hoc necessario faciant. Subolent autem uestigia cubilium diutius quam pedum: illa enim occupat lepus, haec celeriter obambulat. Itaque illis refertur humus, his uero imbuitur. Syluosa autem loca redolent magis quam nuda. Siquidem modo percurrentes lepus, modo procumbens, multa contingit. Procumbit autem ad ea quae terra gignit, uel ipsius superficies habet, sub omnibus, super ipsis, in ipsis, propius, longius: nunc diu, nunc parum, nunc mediocriter: & in mari nonnunquam ad id quod potest exiliens: in aqua etiam si quid extans innatumue fuerit. Itaque qui procumbere amat, cubile ut plurimum facit, si frigus fuerit, in apricis: si aestus, in umbrosis: si uer & autumnus, in clementioribus locis. At uero qui currere solent, non ita: nam trepidi canibus facti sunt. Procumbit autem femine sub ilibus posito, cruribus anterioribus ut plurimum iunctis atque porrectis, mento prioribus pedibus subnixo, auribus super utroque humero demissis, posthinc molliora supertegit. Habet autem uillos impenetrabiles: sunt enim densi & molles, & palpebris quidem clausis uigilat, apertis dormit et immotis, oculos etiam tenet immotos. Sannam dormiens frequenter mouet, uigilans uero minus. Cum terra pullulat, rura magis quam iuga tenet: ubique subsistit, ubi inuestigatus.

præterquã si noctu exterritus fuerit. Id ubi acciderit, sub
 trepidat. Adeò autem fecundus est, ut modò pepererit,
 iam parturiant, nunc prægnans sit. Et catuli magis subo-
 lent quàm adulti: quorũ membra cum adhuc mollia sint,
 per terram uniuersa trahuntur. Tenellos igitur studiosi
 uenatores dimittunt, gratificantes deæ: qui uerò iam iue-
 nes sunt, primo cursu uelocissime feruntur: deinceps non
 ita: agiles enim sunt, sed imbecilles. Venator leporis uesti-
 gia captat ex agris supernè subducendo canes: sed qui cul-
 ta nõ adeunt, prata, saltus, fluëta, lapidosa, syluosaq; pe-
 tunt. Et cum mouetur lepus, clamorem minimè tollat, ne
 pauide uestigia malè significant. Sed ubi iam inuenti agi-
 tantur, nunc flumina tranant, nunc uiam flectunt, modò
 cauernas subeunt ac penetrant: neq; tum canes solum me-
 tuunt, uerum & aquillas: ab his enim quoties edita & a-
 perta loca superat, rapiuntur, quantisper anniculi sunt:
 nam maiores incursum canum auferuntur. Igitur uelocissi-
 mi sunt montani, campestres minus, tardissimi palustres.
 Sed qui loca omnia pererrant, in cursu molesti sunt: ete-
 nim sciunt compendiosa uiarum, & currunt per aduer-
 sa, uel plana maxime, per diuersa uariè, per decliua mi-
 nimè. At inter agitantũ perspicui sunt, per subactam hu-
 mum præcipuè nonnulli, quibus inest rubor: per arundi-
 nes etiã, quia ex aduerso resurgent. Perspicui sunt quoq;
 in trauitibus & uis, si plana fuerint: fulgor enim qui in
 ipsis est repercutit oculos. Incerti uerò sunt si ad saxa, ad
 montes, ad rupes, ad opaca secesserint, propter coloris si-
 militudinem. Quòd si canes præsenferint, sistunt pedem,
 & residentes seipos erigunt, & canum, sicubi prope est,
 clamorem strepitumq; captant, & unde audierint auer-
 tuntur.

tuntur. Est etiam cum nihil audierint, sed audisse opinantes, uel sibi persuadentes, huc illuc trepidantes, uestigijs insilientes, in uestigia secedunt, & longissimè currunt: qui nudis ex locis excutiuntur, quia in aperto sunt. Breuissimè uerò qui ex opacis: nam tenebræ impediunt. Sed eorum duo sunt genera, pars magni, subnigri, multum in fronte nitescunt: alij minores, flauis, parum candoris ostendunt. Caudam gerunt illi uariam, hi tersam: oculis uerò sunt, hi sub lucidis, illi subglaucis. Circa summam autem illi ualde uigescunt, hi perexiguum. Sed ex his minores incolunt plerumque insulas desertas, uel celebres: & in his turba maior quam in continente uersatur, quod ibi ut plurimum nec uulpes sunt, quorum impetu ipsi cum catulis occiduntur: nec aquilæ, quæ montes magnos sæpius quam paruos frequentant, cum parui plerumque in insulis sunt. Venatores etiam raro desertas insulas adeunt. In his quæ habitantur pauci sunt, nec hi ferarum studiosi: in sacras autem nec transire canibus quidem licet. Neesse est igitur innumeros esse, quando nec eos uenantur qui iam sunt, nec eos qui deinceps nascuntur. Acie uerò sunt multis de causis minimè acuta. Oculos enim habent exporrectos, palpebras autem præcisas, & quæ pupillis munimenta non præbeant: quapropter hebes uisus est atque diffusus. Ad hæc somno etiam multum deditur animal: quæ res nihil ad uidendum prodest. Et uelocitas ad obtundendam aciem plurimum confert: quolibet enim oculos celerius intendit, quam quid sibi prouiderit. Et cum his canum quoque terrores prouidentiam auferunt, cum instantes prosequuntur. Quo fit, ut irruens ad multa improuidus, in sagenas etiam præcipitet: quod si rectum fugeret, raro hoc

pateretur. Nunc uerò quia locus completitur & amat, ubi natus & nutritus est, capitur: nec de directo sepe à canibus uincitur celeritate, sed quicūq; capiuntur præter corporis naturã sorte quadam capiuntur: nihil enim quod proportionem cõueniat, ab huius cõpositione dissentit. Si quidem corpus eius cõsistit ex his: Caput agile habet, breue, rotundum, nõ rigidum, longitudinem idoneam, scapulas rectas, desuper non aptas. Crura in ipsis gracilia, solida, pectus nõ angustum, latera tenuia, habilia, spinã terebrem, aluum carnosam. Ilia tenera, caua laterũ idonea, clunes obesas undiq; plenas, congruo desuper interstitio. Femina longa, densa: musculos exterius intensos, interius nõ tuberosos: internodia longa, neruosa: pedes anteriores summè flexiles, angustos, rectos: posteriores rigidos, latos, nullius utrosq; nõ cõtemptores asperitatis. Posteriora crura prioribus multum longiora, parumq; procurua: uillos breues & exiles. Non potest igitur quod ex his compositum est, non ualidum esse, mobile plus quàm agile. Agilem autem esse res illa indicat, quòd ociose deambulando lasciuit: gradientem, nec uidit quisquam, nec uidebit, quia posterioribus pedibus priores transit exterius: quem in modum etiam currit. Nam quod ad colorem atinet, in promptu est. Caudam habent ad currendum incommodam: neque enim propter breuitatem idonea est quæ corpus regat, sed hoc utraque facit aure: & cum in eo est ut capiatur à canibus, alteram uidelicet aurem deducit ac traducit obliquam, illorsum nitens ubicunque laborat. Idcirco in hanc circumagitur ocyus, in angusto ualde relinquens id quod insequitur. Adeò autem lepidum est animal, ut nemo sit qui si eum uideat dum uestiga-

uestigatur, dum inuenitur, dum currit, dum capitur, quicquid amarit non obliuiscatur. At inter uenandum uenator fructibus abstineat, riuos & fluenta prætereat. hæc enim tangere turpe est & indecorum. Quinetiam si seræ in ea præcipitent, id qui uiderint, ne legis præuicatorum sint, uniuersam uenationem soluere oportet.

De ornamentis canum.

I A M uerò canum ornatus sunt collaria, lori, fasciæ. Collaria quidem mollia sint & lata, ne colla canum exacerent. Lori manibus ansas habeant, præterea nihil: neque enim bene seruant canes si collaria ex ipsis contexta fuerint. Fasciæ loros habeant latiores, ne canum latera terant. clauatæ sint etiam, ut ab angustijs defendant. Ipsas uerò canes uenatum educere non conuenit, nec si obiectum cibum negligentius admiserint (id enim eas non bene ualere significat) nec si uentus ingens flauerit: nam uestigia rapit, nec canes odorare, nec sagenas retiæ stare permittit. Quod si horum neutrum impediatur, triduum educito. Nec uulpes agitare assuescant canes (id enim non mediocre uitium, & cum oportet, nunquam præstò adsunt) sed in diuersos saltus educito, ut & canes uenandi, & ipse regionis peritus euadas. Excundum est autem diluculo, ne uestigatione priueris. Nam tardiusculi dupliciter damnum faciunt, ut neque canes leporem inueniant, neque ipsi fructum capiant: neque enim manet natura uestigij, quæ singulis horis euanescit. Stolum custos retiū tenuem indutus uenatum exeat: retibus diuortia claudat fragosa, decliuiua, caua, obscura, fluuios, riuulos, aquasque perennes. Hæc illis præcipua sunt refugia: nam omnia dicere infinitum esset, diuerticula, biuia lata uel angusta. Id orto iam sole faciat, non in dilu-

culo, ne si prope indaginem statuenda sint retia, strepitū simul audiens lepus refugiat. Quòd si procul statuatur, nihil magnopere prohibet in aurora securū statuere, ubi nihil obstitit. Hastilia figito supina, ut cū adducuntur contendī possint. In summo laqueos æquales subijcito, pariterq; fulcito, attollens in medio reticulum: sed à plaga oblongum lapidem magnumq; suspendito, ne rete cum leporem tenuerit, recellere possit. Iuga longa ordine cingito, ne fortè lepus transfiliat: sed inter uestigandū ne intermittito: est enim uenatoris, sed gnauī, quamlibet uno momento feram capere. Retia in arduis tendat, casses in uis obijciat opportunis procul à tramitibus, plagas ad humū religans, fastigia contrahens, intra sardonios hastilia figens, funiculos in summo tensiles superponat, ductiles coëreat, abiensq; cauius obseruet. Quòd si limes decliuus fuerit, sagena tollatur. Leporem uerò dum agitatur ultrò ad retia cum clamore premat. Cū in rete incidit, canum iram nō pulsando, sed leniendo refrenet, & uenatori clamando significet aut captum esse, aut hęc uel il lac transcurrisse, aut nō uidere, uel nō uidisse. Venator autem cum neglecta tenuiq; ueste & calceo uenatum exeat, manu baculum gestans. Retium uerò custos sequatur: sed cum silentio saltū adeat, ne lepus si fortè propius fuerit, audita uoce promoueatur. Casses & retia, ut dictum est, expediat, religatis ad soluā canibus, unoquoq; seorsum, ut facillè solui possint. Post hęc autem custos retia seruet, ipse uerò sumptis canibus ad saltus indaginem subeat, & implorato Apolline & uenatrice Diana, ferinæ partem promittendo, unam ex canibus soluat quæ uestigandī peritissima sit, si frigus fuerit, oriente sole: si calor, ante diem.

diem. Alijs autem anni temporibus inter auroram & solis ortū. Ast ubi uestigiū ex his quæ antecesserunt rectum deprehenderit, soluat & alteram. Et dum uestigiū transigitur, haud multū moratus singulatim dimittat & alias: & ipse pedetentim sequatur, unāquanq; nominatim appellans: nec id nimium, ne ante tempus irritentur: hæ uerò præ gaudio & ardore procedunt, uestigia ut sunt duplicia, triplicia, euoluentes, hæc illac progrediuntur uariè, in orbem, in rectum, in curuum, per densa, per rara, per nota, per ignota seipsas transmittunt, luminibusq; coruscant. Vbi uerò ad leporem accesserint, uenatori significabunt. Nam toto cum caudis corpore micant, hostiliter insultant, certatim prætereunt, studiose concurrunt, repente consistunt, diuulse rursus inuadunt: postremò ad leporis cubile peruenient, & in ipsum incurrent. Ille subito exortus, canum in se latratū, & clamorem fugiendo conuertet: ipsi uerò agentes clament, Io canes, io segnis: clare autem, ô canes. Et uenator cum canibus currat, manuum tegmina rotans, & in leporem baculum intendens. Nec obuius eat: periculosum est enim: ille uerò se ab oculis proripiens refugit, & loca unde excitus fuerat, ut plurimum obambulat: sed uulgò clament ipsi, puer ha, puer illi, puer iam, puer iam. Hic uerò significet captus sit nec ne. Et si primo cursu captus fuerit, reuocatis canibus aliū quærat: sin autem, quamcelerrimè potest cum canibus currat, nec desistat, sed assiduò transmittat. Et si rursus agentes occurrerint, clamet, Euge, euge, ô canes, instate canes. Quòd si longius processerint, ut eas pariter currens subsequi non possit, sed ab ipso cursu deerrauerit, ut eas propius nec usquam tendentes, neque clamantes, ne-

que à uestigijs redeūtes uidere possit, inter currendū cui-
 cunq; appropinquauerit cum clamore interroget: Vidi-
 stin' hos canes? Vbi iam audierit, tum uerò si in uestigio
 fuerint, præsidens hortetur omnes, modò has, modò illas
 nomine compellet, sonum uocis quàm poterit multiplici-
 ter uarians, acutum, grauem, paruum, magnum, & præ-
 ter alias hortationes si cursus in monte fuerit, sic etiã hor-
 tetur: Belle canes, belle ô canes. Sin autem ad ipsa nō fue-
 rint uestigia, sed excesserint, tunc eas in hunc modum re-
 uocet: Non retro, non retro, heus canes. Sed postquàm ue-
 stigijs astiterint, circumagat eas, orbis multos crebrosq;
 faciens. Et ubicunq; incertū ipsis uestigiū fuerit, signū sta-
 tuat limitē sibi, & ab hoc eas hortando, blandiēdo coër-
 ceat, donec uestigiū manifestè cognouerint. Illæ uerò si-
 mulac certa erūt uestigia, irruendo, lasciuiēdo, capita cō-
 ferendo, suspicando, significando, fines sibi notos statuen-
 do, citò transcurrunt. Sed dum illæ ita per uestigium cre-
 brò disiliunt, uenator se reprimens cum canibus minimè
 currat, ne studio certandi uestigia prætereāt. At cū iu-
 xta lepore fuerint, idq; uenatori planè significauerint,
 obseruet ne metu canū promoueatur. Illa uerò dum cau-
 dam crispant, dum in se recidunt, dum insultant, & clan-
 gentes insurgunt, dum profiliūt, dum uenatorē spectant,
 & hoc iam uera esse demonstrant, leporem ultrò excita-
 bunt, & latrantes inuadent: sed siue in retia præcipitet,
 siue exterius, siue interius prætereat, ad unumquodque
 horū custos retium proclamet: & si captus fuerit, alium
 inquirat: sin autem, hisdem ut antè hortationibus, trans-
 currat. Sed cū iam serum diei fuerit, canibus propèmo-
 dum currendo defatigatis, tunc leporem uenator fessum
 exquirat,

exquirat, nihil relinquens eorū quæ terra gignit, uel ipsius superficies habet, sed crebrò eadem relegat, ne præteritus fallat. Procumbit enim in angustis, nec resurgit præ labore & metu. Superinducat & canes hortando, blandiendo, si qua est humana, multū: si audax, parū: si mediocris, mediocriter, donec ipsum uel cuestigio occiderit, uel in retia protulerit. Post hæc autem sagenis retibusq; sublatis, canes auertat, & è saltu digrediatur. Et si meridies æstiuus fuerit, resideat, ne canes in itinere pedibus urantur.

De procreandis canibus.

IPSA S uerò hyeme submittat labore solutas, ut uere generosam prolem procreare sufficiant. Nam hoc anni tempus alendis canibus maximè conuenit. Sunt autem dies quatuordecim in quibus hæc necessitas tenet. Mittat autem ad strenuos canes quo tempore cessant, ut celerius concipiant: nec uerò cum uentrem gestant. In saltus iugiter, sed cum intermissione ducat. Fœtæ sunt sexaginta dies. Catulos cum nati fuerint, sub genitrice relinquat, nec alienæ cani subijciat: ministeria scilicet aliena nihil ad alendum profunt: matrum lac & halitus bonus est, & fomenta iucunda sunt. Cum iam errant catuli, lac ad annum usque præbeat, & ea quibus omnem ætatem uiuere sunt, præterea nihil: graues enim repletiones canū crura præuertunt, morbos corporibus ingenerant, interiora improba reddunt. atq; breuia ipsis nomina imponat, ut uocari facile possint.

De nominibus canum.

SUNT autem eiusmodi: Psyche, thymus, porpax, styrax, lonche, lochos, phrura, phylax, taxis, xiphon, phonax, phlegon, alce, teuchon, hyleus, medas,

porthon, sperchon, lorge, bremon, thybris, thallon, rho-
 me, antheus, getheus, actis, aron, leuson, augo, polysibia,
 stichon, spude, bryas, heba, sterros, crauge, canon, thyr-
 bas, sthenon, ether, noës, gnomon, stibon, horme. Iam ue-
 rò canes agat in saltus, fœminas mensium octo, mares de-
 cem: nec ad cubilia, uestigia, soluat, sed submissas longis de-
 tinens loris uestigantes subsequatur, & eas per uestigia
 currere sinat. Sed cum inuētus fuerit lepus, si pulchra in-
 dole ad cursum alacres fuerint, nō continuo dimittat: sed
 ubi præcurrendo lepus è conspectu abierit, tum canes e-
 mittat: nam si cominus specie pulchras, & ad cursum ma-
 gnanimas soluerit, nondum firmatis corporibus, nitentes
 rumpuntur. Hoc igitur uenatori obseruandū est. Quòd
 si fuerint ad currendum segniores, nihil eas emitti prohi-
 bet. Neque enim illud patientur, cum ab initio sine spe
 sint capiendi, sed ad pedum uestigia transcurrere sinat,
 quoad ea inuenerint. Leporem captum ipsis lacerandum
 tradat. Cum iam ad retia subsistere noluerint, sed palan-
 tes auersæ fuerint, recolligat eas donec leporem procur-
 santes inuenire consueuerint, ne si hoc agmine semper in-
 quirant, interosculari deniq; discant, quæ pessima cōsue-
 tudo est. Sed cibaria illis obijciat ad retia, dum iuuenes
 sunt: tunc enim suscipiunt: ut si propter imperitiā in saltu
 deerrauerint, ad locum redeunt saluentur. Nam cibaria
 tunc respuent, cum iam feram hostiliter oderint: & hanc
 magis appetent quàm illa. Multis uerò de causis necessa-
 ria canibus exhibenda sunt ab eodem. Nam cum inopiam
 patiuntur, autorem eius non agnoscunt: at cum auidè ac-
 cipiunt, exhibitorem diligunt. Vestigent autem leporem,
 cum nix ita ceciderit, ut terram operiat: nam hyems absq;
 niue

niue uestigabilis non est. At cùm ningit, si Boreas spirarit, uestigia diu manifesta eminent: neq; enim citò liquuntur. Sin & Notus flauerit, & sol superfulserit, breui apparent: nam statim dilabuntur. Sed neq; cùm nix iugiter cadit: uestigia enim obducit: neq; cùm uentus acriter incumbit, niuem enim cõuoluens incerta facit. Ad huiusmodi uenationem cum canibus excundum non est: siquidem nix canum nares adurit & pedes, leporis odorem gelu nimio tollit: sed sumptis retibus cùm aliò ueniens, ab agris ad montes euadat: & cùm uestigia deprehenderit, per ea incedat. Sed si uaria fuerint, ex eisdem eòdem rediens facis orbibus excat, his unde exierit similia requirens: multùm enim lepus oberrat, incertus ubi procumbat: & simul incessu perplexo fallere didicit, quia semper talibus uestigijs agitatur. Vbi uerò uestigiũ apparuerit, procedat ultrò: adhærebit autẽ loco uel umbroso, uel abrupto, quòd inde uenti niuem transmittunt: quo fit ut opportuna cubilibus loca multa prætermittat, & eiusmodi quærat. Huc igitur cùm uestigia duxerint, non accedat propius, ne promoueatur lepus, sed corona circundet: nam ibi esse speratur. Argumento erit, si nusquã inde uestigia deduxerint. Sed cùm ibi esse certũ fuerit, illum relinquat: manebit enim, & alium quærat antequàm uestigia delectatur, rationem temporis habens, ut si etiam alios inuenerit, reliquum diei ad circumueniendum sufficiat. Quod ubi acciderit, retia unicuique eorum circumtendat, non aliter quàm cùm hyems sine niue fuerit, uel locũ ubicunque astiterit complectatur. Sed si elapsus fuerit è retibus, per uestigia sequatur: ille ad alia eiusmodi loca perueniet, nisi si in ipsa niue oppressus fuerit. Observans igitur

ubicunq; fuerit, circumuenire debet: quòd si non expectet, cursu insistere: nam & sine retibus capietur, quia profunda niue laxatur, & in extremis pedibus ubi ullo sus est, moles niuis haud modica succrescit.

De uenatione hinnulorum & ceruorum.

NAM aduersus hinnulos & ceruos, canes Indicas esse oportet: sunt autem ualidae, magnae, ueloces, nec pusillanimes: & cum tales sint, ad laborem sufficiunt. Tenellos igitur hinnulos uerno tempore uenetur: tunc enim nascuntur. Sed primum lucos ingressus cõtempletur in quibus ceruae plurimum conuersantur: & ad locum in quo fuerint, uenator cum canibus & iaculis ante lucem ueniens, canes è sylua procul religet, ne si ceruam uiderint, latratus emittant. Ipse uerò de specula prospiciet, & ceruas simul cum luce hinnulos ad locum ducere uidebit, in quo suum quaeq; futura est. Sed cum recubuerint, & lac praebuerint, intentae ne ab ullo uideantur, suum quaeq; in opposita statione seruabit. Haec ubi uiderit, canes soluat: ipse uerò summotis iaculis ad primum hinnulum procedat, locorum memor ubi iacentem uidit, ne quo errore decipiatur. Nam longè aliter se habent, ubi cominus aduentur, quam procul esse uisi sunt. Sed cum eum uiderit, accedat propius. Ille immotus manebit, ueluti terrae affixus, & se opprimi sinet ualde rugiens, nisi cum fuerit imbre persusus: tunc enim haudquaquam manebit: siquidem humor in ipso rigebit frigore, quod tum fugere cogit. Capietur autem à canibus cum labore insequentibus: capti custodi retiũ tradat. rugiet ille: cerua partim uidens, partim audiens, tenentem inuadet, ut ipsum eripiat. Tum uerò canes hortetur, & iaculis utatur. Hunc ubi obtinuerit,

rit, ad alios tendat, in quos simili uenatione utetur. Et iuniores quidem hinnuli hoc modo capiuntur. At uerò iam iam grandiusculi difficilius: nam cum matribus alijsq; ceruis pascuntur: quibus in medijs cum agitantur, fugiunt nonnunquam etiam antè, rarò post. Et pro illis pugnantes ceruæ, canes proterunt. Itaque non facîle capi possunt, nisi quis perturbatas dissipet, ut ex ipsis quispiam unus destituatur: quòd ubi coactæ fuerint, primo cursu canes superantur. Sed quia trepidum illum facit absentia ceruarum & hinnulorum, id ætatis celeritas nulli procedit, secundo tertioe cursu statim capietur. Corpora enim illorum cum adhuc tenera sint, labori superesse non possunt.

De tendiculis.

Quinetiam tendiculæ ceruis ponuntur, in montibus circa prata, secus fluenta, prope saltus, in biuijs, in agris, quocunq; adierint. Tendiculas autè oportet fruticeas plicari, delibratas ne putrescât, & spiras habere annulares, & insertos plicationi ferreos alternis, ligneosq; clauos, sed robustiores ferreos, ut si lignei cesserint, hi pedem premant. Laqueum uerò funiculi superponendum spiræ, funiculumq; ipsum ex sparto plicatum esse: hoc enim inuiolabile est. Laqueus ipsi funiculiq; ualidi sint: lignum quod pendet quernum sit uel iligneum, longitudine trium spithamarum, crassitudine unius ulnæ cum cortice. Tendiculas uerò ponat aperta scrobe quinque pedum in orbem desuper spiris tendicularum similem, ita ut inferiori angustię respondeat: similiter funiculo & ligno scrobem aperiat quanta utriq; conueniat. Hæc ubi fecerit, summam tendiculæ scrobem substernat, laqueum uerò funiculi spiræ

circumponat: & cum ipsam & lignum in suo utrunq; loco posuerit, uirgulas enodes superponat non prominētes, & eas minutis folijs sternat, quæ tunc anni tempus habebit. Postea uerò primam in superficiem terra iniiciatur, & scrobibus defossa, et super eam solida terra procul inde sumpta, ut ceruæ quæ maximè occultus sit locus: quod supererit terræ asportetur longè à tendicula: quia si recēter motæ ceruæ (id quod subito facit) odorem senserit, auertetur. Venator cum canibus montana in aurora potissimum, quanquam & in reliquo diei, campestres diluculo obseruet: nam in montibus non noctu solum capiuntur, sed interdum propter solitudinem. In agris autem nocte tantum: nam in die homines metuunt. Sed ubi tendiculum resupinatam inuenerit, solutis canibus transcurrat ligni sulcum, quocunq; ferat obseruans. Erit enim per multum spacij non incertus: quippe motis lapidibus & in agris limes ductus manifestus erit. Quod si asperiora superet, raptus de ligno cortex rupibus hærebit, & ideo transcursus faciliores erunt: sed si pede uinctus fuerit anteriore, citò capietur. Nam lignum inter currendum, corpus totum & ora flagellat: sed si posteriore, lignum quod trahitur uniuersum corpus impedit: plerunq; etiã in bicornes ramos tractum incidit, & nisi funiculum abruerit, illic deprehenditur. Sed si mas fuerit, siue ita captus, siue labore uinctus, non est cominus ad eundem: nam cornibus ferit & pedibus: eminus igitur iaculis utendum. Capiuntur uerò etiam sine tendiculis cum agitantur æstate. Nam ualde fatiscunt, ut stantes iaculis cõfodiantur. In mare etiam, si obstiterit, & undas se trepidè conijciunt: nonnunquam deficiente spiritu labuntur.

De apris.

AT in apros canes comparet Indicas, Cretenses, Locrenses, Lacenas: sagenas, iacula, uenabula, tendiculas. Primum igitur canes hoc ex genere esse oportet minimè uulgares, ut paratæ sint cum fera pugnare. Sagenas autè eodem lino quo retia, filis quinque et quadraginta, & chordulis tribus, & unaquæque chordula sit filis quindecim, à fastigio macularum decem longitudo. Laqueorum autem altitudo cubitalis. Plagæ dimidio crassiores sagenis, in fastigijs anulos habeant laqueis suppositos, extremaque earum per anulos exeant: sufficient uerò quindecim. Iacula uariæ sint, quæ lanceas habeant satis amplas & leuigatas, hastiliaque ualida. At uenabula primum lanceas habeant longitudine ulnarum quinque, in medio fistula dentalia solida fabricata, & hastilia cornea crassitudine hastæ. Tendicula uerò qualis ceruorum. Sed uenationis comites ad sint: fera enim à multis uix capi potest. Quomodo autem singulis quibuscumque uti conueniat, ostendam.

De uenatione aprorum.

PRIMUM igitur cum ad locum uenerint ubi eum esse conijciunt, canum gregem subducere oportet, & soluta una ex lacenis, reprimens alias, cum cane circumeat: cum uestigia deprehenderit indagando, sequatur deinceps quò tenor duxerit. Et aprum multa uenatoribus indicabunt, in mollibus locis uestigia, in syluosis ramorum fragmenta, ubi arbores fuerint dentium uulnera. Canis uerò ut plurimum ad syluosa indagando perueniet, quòd in his locis fera plerumque recumbit: nam hyeme calidiora sunt, æstate frigidiora. Cum ad cubile peruenerit, latrat, ille autem surgere non solet. Sumat igitur canem, & ipsam cum alijs om-

nino procul à cubili religet, et sagenas ad diuortia tēdat, laqueos iniiciens ad syluæ truncos bicipites. Ipsius autē sagenæ longo producto sinu, tibicines intrinsecus faciat, subiectis utrinq; ramis: & in sinū per laqueos splendor lucis prorsus insistat, ut currenti pars interior per quam lucidissima sit. Plagam ab arbore ualidā religet, nō à stipite: stipites enim nudis in locis inueniuntur. Vtrinq; uerò arborum ramis claudat ea etiā quæ facile adiri nō possunt, ut in retia cursum nusquā declinans intendat. Cūm retia tetenderit, ad canes redeant, omnesq; soluant, & iaculis uenabilisq; sumptis procedant: sed canes aliquis hortetur qui peritissimus sit, reliqui deinceps sequantur magnis interuallis alius ab alio distantes, ut peritis feræ discursus latè fatis pateat. Nam si excedens in confertos incidit, periculum est ut saucientur: & in quencunq; irruerit, in hūc iram excitet. Sed canes cūm iam cubili propius fuerint, impetū faciunt: ille perturbatus exurgit, & quæcunq; enixa frōte inuaserit, ea retrudit. Irruet autē cursu, alioquin necesse est trāscurrere. Et si præceps fuerit locus in quo eum sagenæ detinent, statim exurget: si planus, statim stabit ibidem inhærens: incumbent tum uerò canes. Ipsos autem uenatores oportet intentos in eum tela conijcere, & circumuenientes à tergo lapides mittere, donec illatus plagam retis intenderit. Tum eorum qui adsunt peritissimus uenabulo progressus à fronte percussit. Quod si petitus ictusq; telis plagā intendere noluerit, sed inuadentem conuersus occursando institerit: hoc ubi contigerit, necesse est sumpto uenabulo accedere, & manibus in eum procumbere, leua anteriore, dextra posteriori: nam telum sinistra dirigit, dextra urget. Pedes

autem manus sequantur, laeuus laeuam, dexter dexteram, & accedens uenabulum obijciat latera laeua praetergrediendo, non multo plus quam laeuorsum regrediendo, tunc fera frontem inspiciat, capitis illius motum obseruans, et uenabulum porrigat prouidus, ne capite rotato de manibus excutiat. Is enim impetus fit qui excutere possit: hoc si cui contigerit, pronus in ora cadat oportet, & uirgulta humiliora comprehendat: nam si hoc modo inherens procubuerit, fera praeter incuruitate dentium corpus adipisci non potest: quod si steterit, sauciari necesse est. Itaque illud attollere tentat: quod si nequiuerit, obambulans proterit. Huius autem rei liberatio una tantum superest: cum in hac angustia deprehensus fuerit, tum ex comitibus aliquis cum uenabulo accedens, illum irriter deserturo similis. Deserere autem non oportet, ne iacentem feriat: hoc ille ubi animaduertit, omisso eo quem premebat, contra irritantem praeter ira & furore conuertitur. Hic autem celeriter exiliat, memor cum uenabulo exurgendum esse: nam nisi uincenti, salus honesta non est: & rursus inuadat sicut antea, ferrumque inter scapulas dirigat, qua parte iugulum est, & obnixus acriter inhercat. Ille furens procedit, & nisi lanceae dentalia prohiberent, per hastile se trudens ad eum ueniret qui uenabulum tenet. Adeo autem magna uis eius est, ut ipsi etiam ea insint quae nemo putaret: quippe eius recenter occisi dentes adeo feruent, ut crines si quis admouerit, exurant. Nam uiuentis si quando irritantur, ignescunt: quod nisi ita esset, summos canum uillos cum corpus ab ictu declinant, non incenderent. Et mas quidem tanto maiori que etiam labore capitur. At foemina si ea inciderit in cursu petat, obseruans ne retrusus

cadat: quod si contigerit, proteratur necesse est, ac mor-
 deatur. Non est igitur spontè cadendū: sed si quis huc per-
 uenerit inuitus, ei nō aliter surgendū est, q̄ qui sub mascu-
 lo ceciderit: exurgens autē, uenabulo percutiat oportet,
 quoad eam occiderit. Sed capiūtur hoc etiā modo: Retia
 illis in trāsitu saltuū ponuntur, ad nemora, ad ualles, ad
 cliuos. Insultus uerò fiunt in agros, in paludes, in aquas.
 Qui iussus est, retia cum uenabulo seruat: alij canes agūt,
 optima quæq; locorū scrutantes, & cum primū inuentus
 fuerit, agitatur: sed si in casses præcipitat, retium custos
 accedat sumpto uenabulo, & utatur quemadmodū dixi-
 mus: si non præcipitat, currendū est. Capitur etiam dum
 medio æstu premitur canibus. Nam licet uiribus præstet,
 præ nimio tamen anhelitu fatiscit. Pereūt autē multæ in
 eiusmodi uenatione canes: quinetiā uenatores ipsi pericli-
 tantur. Sed ubi cursu fatigatū uenabulo petere cogūtur,
 siue in aqua, siue in rupis secessu fuerit, siue ex opaco exi-
 re noluerit (nam nec rete illum, nec aliud quicquam pro-
 hibet cominus cum appropinquante congregi) uerunta-
 men cum ita se continuerit, ad eundem est, ut magnitudo
 animi, cuius gratia hanc laboris uoluptatem delegerunt,
 declaretur: utendū est uenabulo, & insultibus corporis,
 ut dictū est: nam sic quandoq; etiā capi cōtingit. Ponūtur
 uerò ipsis tendiculæ in eisdem locis sicut & ceruis. Obser-
 uationes eædem sunt, & cursus, & aditus, & usus uena-
 buli. Catulos uerò earū capi uix contingit: neq; enim ab
 eis discedunt donec adulti fuerint: & cum eos canes inue-
 nerint, uel aliquid ipsi præsenferint, statim se abdunt in
 syluas, & sequuntur ipsæ ubicunq; fuerint: quo tempore
 seuiores sunt, & pro illis acrius q̄ pro seipsis pugnant.

De uenatione leonum, pardorum, lyncum,
pantherarum, & ursorum.

AT leones, pardi, lynces, pantheres, ursi, & aliæ quæcunque eiusmodi feræ, in locis externis capiuntur circa Pangeum montem & Cittum supra Macedoniam: aliæ in Olympo, Mysio & Pindo: aliæ in Nysa supra Syriam, & ad alios montes quotquot idonei sunt generis huius animalia nutrire. Capiuntur uerò partim in montibus aconitico ueneno, propter asperitatē regionis. Hoc autem ea re miscentes qua quæq; delectatur fera, uenatores illis obijciūt secus aquas, & si quid aliud adire consueuerint: partim etiam quæ noctu in plana descendunt, equis & armis introclusæ, nec sine uenatorū discrimine capiuntur. Sunt quibus & foueas latas in orbem ducunt, in medio relinquētes profundam terræ columnā, cui capram sub noctis tempus religatam superponunt, & foueam ramis circumspiciunt, ne uideri possit, nullo aditu relicto. Illæ audita per noctem uoce sæpe obambulant, & ubi transitū nō inuenerint, transiliunt, & capiuntur.

Hortatio ad uenationem, cum infecta-
tione sopherarum.

HACTENVS de his quæ in uenatione geruntur, cuius studio dediti magnam ex eo utilitatem capiēt. Nam corporibus bonam ualetudinem comparant, hinc uident audiuntq; magis, senescunt minus. Hæc ad bellum præcipuè instituit. Primò quidē si uias iniquas sub armis ambulant, minus lassantur: nam labores sustinent, quibus feras capere consueuerūt. Deinde poterūt humi iacentes quiescere, ad Imperatoris edictum præstò esse. In aduēdis hostibus inuadere simul & imperata facere, cum feras ipsi

hoc modo uenentur. Nec uerò in fronte locati deserunt acies, quia paratissimi sunt. At in hostium fuga ubiq; illos propter locorum peritiam rectè ac tutò persequuntur. Quòd si exercitus suus infeliciter pugnauerit, in syluosis, abruptis, iniquisq; alijs locis, se ipsos cum cæteris nõ turpiter saluare poterunt. Nam consuetudo uenandi nonnihil eos peritiores reddit. Et hi plerunq;, magna cõmilito num turba fugiente, uictores hostes propter locorũ difficultatem errantes, suo ipsi robore & audacia repugnando terga dare coegerunt: nam fortuna ferè corporis & animi fortitudinẽ comitatur. Quòd cum maiores nostri cognoscerent hinc rem aduersus hostes bene geri, studiũ hoc iuuenum instituerunt. Nam cum ab initio frugum penuria laborarent, uenatores tamen non prohibere sanxerunt, quia uidelicet nil eorum uenantur quæ de terra gignuntur, quin etiam intra multa eos stadia non pernoctare, ne huius artis periti homines sua ipsos uenatione priuarent: uidebant enim hanc unam eorum uoluptatem iunioribus bona multa comparare, cum modestos eos faciat & iustos, quòd procul à dolo erudiantur, & res bellicas per hanc sibi succedere intelligebant: quæ, si quid aliud honestũ exercere uelint, nihil impediat, sicut prauæ aliæ uoluptates quæ discendæ non sunt. Hinc igitur boni milites, boni imperatores euadunt: quorum enim labores ex animis & corporibus turpitudinẽ & cõtumeliã expellunt, contrà uerò cupiditatem uirtutis ingenerat, ij optimi sunt: quippe qui nec patriæ iniuriã inferri, nec regionem suã malè pati sinant. Dicunt uerò nonnulli, uenationibus delectari nõ oportere, ne rem familiarẽ negligant, nescientes qui de republica & amicis bene merentur,

eos omnes rei familiaris diligentiores esse. Quòd si studio-
si uenationis ita se comparant, ut patriæ utilissimi sint, hi
certè nec priuata neglexerint: nam sua cuiusq; unà cum
republica seruantur, & pereunt. Itaq; priuatas res suas et
aliorum pariter tales uiri conseruant. Sed eorum multi qui
hæc sine ratione dicunt, præ inuidia deligunt suo ipsorum
uitio perire magis, quàm aliorum uirtute saluari. Nam uo-
luptates multæ etiam præ sunt, quibus uicti peiora di-
cere uel facere cõpelluntur: deinde ex inanibus dictis odia
sibi comparant: ex improbis facinoribus morbos, damna,
mortes: nec sibi solum, sed liberis quoq; & amicis, qui si-
ne sensu malorum suorum uoluptates prius etiam quàm cæte-
ri sentiunt: quibus hominibus salutem reipublicæ quis com-
mittat? Verum eiusmodi mala nemo non abhorret, his de
lectatus quæ nos admonemus. Honestæ enim educatio do-
cet uti legibus, dicere de rebus iustis & audire. Quo fit,
ut qui nunquam ad aliquod negocium niti & institui re-
cusant, ij & sibiipsis doctrinam laboriosamq; studia uen-
dicent, & suæ reipublicæ salutem. Qui uerò non in labo-
re doceri, sed in uoluptatibus importunis degere uolunt,
hi natura pessimi, qui nec legibus, nec rectè dictis obe-
diunt. Nam quia laborem nesciunt, qualem uirum bonum
esse oporteat nõ inueniunt. Itaq; nec religiosi esse possunt,
nec sapientes: & quia indoctis utuntur, doctis plurimum
conuiciantur. Per hos igitur nihil bene cedit: per melio-
res comoda omnia hominibus parantur. Meliores autem
sunt qui laborem amplectuntur: quod ita esse magno pro-
batur exemplo. Nam ueteres, quorum memoriam feci, ab
ineunte ætate uenationes apud Chironem meditati, mul-
ta & honesta didicerunt: ex quibus magna illis uirtus ac-

cessit, quæ ipsos nunc etiam admirandos facit. Hanc quidem omnes planè amant, sed quia per laborem quæritur, multi eam deserunt: nam adipiscendi spes dubia, in adipiscendo labores manifesti sunt. Quòd si uirtus quasi corpus perspicì possset, homines eam minus fortasse negligèrent: quia sicut à se illam, ita se ab illa uideri intelligerent. Quilibet enim cùm ab amato uidetur, se ipso melior existit: nam nec turpia, nec indecora dicit aut facit, ne ab illo uideatur. Nunc uerò probra multa & flagitia palàm admittunt, quòd se à uirtute uideri non putant, cùm etiam eam ipsi minimè perspiciant. Illa uerò ubique adest: nam immortalis est: & ut quisq; erga se fuerit, honore bonos, ignominia malos afficit. Quòd si ab ea se cõspici nossent, labores atq; doctrinam quibus uix illa capitur, adirent, et ipsam acquirerent. Miror autem nonnullos qui sophistæ uocantur, quòd se iuuenes ad uirtutem prouehere dicant, quos ab ea prorsus auertunt. Nam hominè nusquã uidimus, quem hi sophistæ bonum fecerint, cùm nec literas quidem tradāt, ex quibus bonos euadere oportet. Sed ab his multa de inanibus rebus conscripta sunt, ubi nõ uirtus inest, sed uoluptates iunioribus inutiles: quinetiam discendi cupidos in his frustra uersari faciunt, & à rebus alijs utilibus prohibent, atq; ea docent quæ parum honesta sunt. Vitia igitur eorum maiora magis uituperò: scripta uerò, quòd uerba illis exquisita sunt: rectæ sententiæ, quibus iuniores ad uirtutem instituerentur, nullatenus. Equidem uulgaris homo sum, scio tamen primum esse, ab ipsa natura, id quod bonum est perdiscere: proximũ, ab his potius qui uerè boni scientiam tenent, quàm ab alijs qui fallendi artem profitentur. Itaq; uerbis forsità insulse loquor:

loquor: nam hoc nō quaero, sed recta exquiro dicere praecepta, quibus ad uirtutem liberè educati iuuenes utuntur. Neq; enim uerba, sed sententiae, si honestae fuerint, doctos faciunt. Vituperant autem & alij multi sophistas istos, nō philosophos, qui prudentes sunt uerbis, sed re minimè. Nec me latet pulchrum esse ordine scribi. Erit enim eis facile, & citò & non rectè reprehendere: sed tamen ita scriptum est, ut honestum sit: nec sophisticos, sed bonos & sapientes faciat: neq; enim hæc uideri malo quàm esse utilia, ut nunquā reprehendi possint. Sophistæ uerò ad fallendum dicunt & scribunt, ut lucrū faciant, & nihil cuiquam profunt: nam ex his nec fuit, nec est sapiēs ullus: sed habet quisq; satis ut sophista uocetur, quod apud sanos dedecus est. Moneo igitur sophistarum professiones uitandas esse, philosophorum uerò praecepta nō aspernanda. Nam sophistæ aucupantur eos qui diuites sunt, & iuuenes: philosophi omnibus cōmunes sunt & amici, fortunas hominū nec obseruant, nec contemnunt. Nec uerò imitatus fueris qui lucrum temerè sequuntur. publicum atque priuatum, considerans & bonos utiliter cognosci, ac esse operosos: malos uerò, & malè agere, & inutiliter cognosci. Cū enim & priuatorum res usurpent, & rei pub. ad cōmunem salutem sunt inutiliores quàm priuati, & ad bellum segnes ignauiq; sunt, quia laborem tolerare non possunt. At uenatores corpora & bona sua ciuibus bene comparata in medium exponunt: & hi quidem feras inuadunt, illi amicos. Inuadendis autem sophistæ amicis, uenatores feras, illi dedecus, hi laudem apud omnes comparant: nam si eas debellarint, animalia noxia subigunt. Sin autem, laudantur tum primū, quia ciuitatis cuiuslibet

inimicos adoriuntur. Deinde, quòd nec hominis damno, nec lucri cupiditate grassantur. Postremò ex ipso conatu ad multa meliores & sapientiores euadunt. Id quã ob rem docebimus: nam uenationes nisi labore multo, & cura, & sollicitudine præstarent, uenatores haudquaquam obtinerent: quippe quorũ aduersarij pro uita decertant, et in sua ipsorũ sede magni roboris sunt. Itaq; uenator incassum laboraret, nisi feras industria uehementiore ac prudentia multa superaret. Illi ergo cùm in urbe ditescere uelint, meditãtur uincere amicos: uenatores autem cõmunes inimicos, & alios hostes. Meditatio ipsa meliores hos facit, illos multò deteriores: & sua utrisque uenatio, his cum modestia, illis cum turpi audacia constat. Flagitium & quæstum hi contemnere possunt, illi nõ possunt: uocem hi gratam emittunt, illi turpem. Quod ad rem diuinam attinet, nihil illos ab impietate deterret: at hi religiosissimi sunt. Fana enim antiquitus tenet, hoc opere deos etiam letari faciendo, letari spectando. Quo fit, ut iuuenes horũ memores quæ ego admoneo, si ea faciunt, Dei cultores sunt & pij, cùm hæc à dijs spectari arbitrentur: boni in parentes, in patriã, in amicos, in ciues omnes. Nec uiri solum studiosi uenationis probi suere, uerum etiam fœminæ, quibus hæc Deus tradidit, ut Diana, Atalanta, Procris, & si qua alia fuit.

XENOPHONTIS LIBRI DE
VENATIONE FINIS.

IACOBI LODOICI STREBAEI

AD IOANNEM BERTRANDVM

Senatorem, & Lutetiae Parisiorum Cu-
riae Praesidem, Praefatio.



Vm libros Aristotelis de ciuili scientia, Praefes æquissime, latinè reddidissẽm, & illis multa quæ ad tuendæ rei familiaris artem pertinent, cõtineri animaduertissẽm: ut cætera quæ nunc extant ab antiquis ea de re subtiliter & acutè disputata, haberentur, à græco uertenda, & in usus eorum qui aut græcè nesciunt, aut latini sermonis inopia laborant, edenda, diuulgandaq; mihi duxi. Quod eo libentius feci, quia ordo rerũ uiaq; rationis hoc iubet, ut è multis ad paucos, è paucis ad unum, ex disciplinã ciuili ad cœconomicam, ex cœconomica ad moralem facta partitione ueniat. Quod autem libri superiores in tuo nomine apparuerũt, hos quoque, non solùm philosophorum principis auctoritate, sed etiam materiæ quæ subiecta est, affinitate coniunctos, ne ullum diuortium fieret, eodem nomine diuulgandos esse iudicauĩ. Accedit, ut hoc negocium, quod non inutile futurum puto, suafore te & autore susceperim. Quamobrem faciundum mihi uidebatur, ut cuius hortatione rem perhonestam moliri cœpissẽm, illius ampla dignitate confectum opus illustrarem. Equĩdem scio nihil arduum, nihil magnum hanc præ se ferre disciplinã, & hoc, quicquid est honoris, multos procuratoribus & uillicis cõmississe, quò liberius aut studio sapientiæ, aut reipublicæ darent operam. Nec ignoro summam uim tuæ naturæ, summam Iuris rerumq; ciuiliũ cognitionẽ, præterea singularem tuam prudentiam & amplitudinẽ honoris atq; magistratus quem geris, esse longè præstantiorem, quàm quæ debeat hac distrahi cura: tamen cœconomicam Cyrus non minus coluit, quàm bellicam uirtutem: & Marcus Cato Censorius haud minus libenter audĩt quum diceretur bonus paterfamilias, quàm quum summus Imperator. Possum, nec ipse non potes, enumerare plures uiros clarissimos, qui domus augendæ studio capti, magnã sibi

quæsiere laudem, propterea quòd haberent opes honesto labore partas, quibus & templa & sacrificia auerent, patriam iuuarent, propin quos necessariosq; sustinerent, hospites acciperent liberaliter, miserorum leuarent inopiam, magnam alerent familiam, se domumq; suam decenter ornarent. In eum te numerum adscribere licet, qui potes & explēs hęc omnia, si non una ratione domus regendæ, quòd euaseris ad altiora, tamen & hac uia non mediocriter adiutus. Nam plures equos pluresq; ministros alere, in officio quencq; suo continere, cuiq; necessaria suppeditare, aulæis, stragulis, lanea, lintea, serica ueste, lectis pulchrè structis, mēsis, abacis, uasis multis atq; preciosis, supellectili copiosa lautaq; refertam habere domū, liberos plures magnis impensis educare, uestire, erudire, perpetuos facere sumptus, nec solūm necessarios, sed etiam liberales, nō habere æs alienum, integrum seruare patrimonium, sic uiuere ut nemini cuiquam fiat iniuria : hęc & alia generis eiusdem, quæ iam multos annos optimè facis, si quis dicat nō esse boni patrisfamilias, qui sciat rem tueri, nō intelligo qd œconomie munus esse putet. Hęc itaq; siue ars siue exercitatio quædā & facultas, tametsi nihil arduū (ut institueram dicere) præ se fert, & quas adeptus es artes obtinent principatum, non tamen indigna senatoris amplissimi nomine. Si canimus syluas, inquit poetata, syluæ sint Consule dignæ. Si tractamus œconomica syluis ampliora, sint œconomica digna senatore. Leges igitur & hęc nostra (dico nostra, ut sua Plautus & Terentius, quæ uerterāt è græco) & eò libentius quidem leges, quòd mihi fueris autor ut ista conuersa diuulgarem. Id quidem fecisti, sat scio, nō quòd tibi, cui nota sunt hęc omnia, perciperes inde fructum, sed ut aliorū consuleres utilitati. Leges tamen, ut quid auspicijs tuis sit effectum, iudicare possis. Cū libri tres de re familiarī nomine Aristotelis inscripti reperiantur, primum solū uerbis latinis expressi: nec eum totum, propterea quòd magna pars eius desideratur. Quod reliquum est, tam sententiosa breuitate, tam arguta subtilitate, tam composito ordine rem complectitur, ut eorum qui uias artis huius

tis huius inquirunt, desiderium mirum in modum cō-
 moueat. Aristoteles rem omnem, sicuti Xenophon, in
 unum librum contulerat: id ostendit Diogenes Laër-
 tius: sed cum Leonardus Aretinus incidisset in libellū
 quendam de uiri & uxoris moribus, & de tuenda con-
 iugij societate, qui nec Aristotelis acumen, nec inuentio-
 nem, nec collocatiōē, nec dicendī genus prae se fert, nec
 rebus eius apte cohæret, illum supposuit, siue quod in
 philosophi nomē inuaserat, siue quod ad œconomiam
 pertinere uidebatur. Quæ scripsit Aretinus, extāt: Græ-
 ca uerò nō extant. Aldus autē cum reperisset opus au-
 toris incertī, de ueſtigalibus regū atq; populorū, de cō-
 ficienda pecunia, propterea quod œconomix nomen
 usurpabat, etſi ad eam de qua agebat philosophus, nō
 erat congruens & accōmodatum, tamen adiecit, & al-
 tero loco donauit. Ego qui certō scirem nec Aristotelis
 esse, nec ad œconomicā facultatē, de qua nunc agimus,
 pertinere, conuersum nolui: sed ut supplerentur ea quę
 supererant, Xenophontis œconomicon latinū feci: quo
 nihil & inuentione & ornatu præstantius digniusq; in-
 ueniri potest, quod cum præceptionibus Aristotelis cō-
 iungatur. Cum scriptoris utriusq; res inter se confero,
 multis magnisq; rationibus adductus hoc iudico, uel
 ex eodem fonte deductas, uel quę sunt Aristotelis, ē Xe-
 nophonte decerptas. Fuit hic uir egregiē doctus, & ea-
 dē qua præceptor Aristotelis diuinus ille Plato, discipli-
 na formatus. Hi qui essent duo Socraticæ philosophiæ
 lumina (ut ait Aul. Gellius) certare & æmulari inter se
 uisi sunt, quia de ijs apud alios uter esset præstantior ma-
 iorq; certabatur. Xenophontis elegantiam M. Cicero
 laudat in Oratore: Illius, inquit, sermo est ille quidem
 melle dulcior, sed à forensi strepitu remotissimus. Et
 Quintilianus: Quid, inquit, cōmemorem Xenophon-
 tis illam iucunditatē in affectatā, sed quam nulla affe-
 ctatio consequi possit: ut ipsæ sermonem Gratiæ finxis-
 se uideantur: & quod de Pericle ueteris comœdiæ testi-
 monium est, in hunc iustissimē transferri possit, in la-
 bris eius sedisse quandam persuadendi deam. Nec eius
 facundiam modò laudarunt ueteres, sed etiam rerum

sententiarumq; pondus. Semper Africanus, inquit Cicerone Tusculanarū I I. Socraticū Xenophontē in manibus habebat. Idem lib. de Offic. secundo: Res autē familiaris queri debet nō rebus à quibus abest turpitudine, cōseruari autem diligentia & parsimonia, nō idem etiam rebus augeri. Has res cōmodissimē Xenophon Socraticus persecutus est in eo libro qui œconomicus inscribitur, quem nos, ista ferē ætate cū essemus, qua es tu nunc, ē græco in latinū conuertimus. Habes acutissimi uiri de Xenophontis œconomico sententiā: ex qua facile perspicui potest, opus esse dignū quod latinē reddatur. Vertere conatus erat Raphaël Volaterranus, sed ei nō successit ex sententia. Videñ enim nescio quid aliud potius, quàm qđ susceperat, interpretari. Sæpe totos locos præterit. Sæpe sententias scriptoris immutat. Sæpe fertur in errorem, & quò tendant græca, non uidet. Alia mutila & decurtata, alia multis uerbis aucta ponit. Sæpe barbarè loquitur & impurè. Cumq; fugere uult molestam uerbi, inquit & inquam, repetitionē, nec illam fugit omnino, nec apertè distinguit colloquia personarum. Ego quidem penè uerbum uerbo reddidī, nisi cū ratio linguæ latinæ uetuit. Verbis, inquit & inquam, sum usus necessariò: quod & Ciceronem multis in libris fecisse uideo. Omnia qua potui maxima diligentia cōuertī, rerū studiosus magis quàm uerborū, quæ tamen haudquaquē neglexi. Græca deprauata correxi beneficio consultissimi iudicis, atq; longè doctissimi Ranconeti, qui, ut est amantissimus omnium literarum, codices manuscriptos summa diligentia conquirat, quibus nō ipse modò, sed alij quoq; iuuentur: quo nomine multa uiro debentur ab nō qui sectantur literas puriores. Is mihi duos codices uetustos eleganti manu depictos cōmodauit. Illos cum tribus alijs contuli, & quæ mihi recta uidebantur, adhibito iudicio secutus sum. Quòd si elegantissimi oratoris & philosophi neq; suauitatem, neq; uenustatē, neq; lepidas exornationes imitari potui, non est cur id mihi quisquā det uitio. Sermo Romanus (teste Fabio) non illam recipere uidetur solis cōcessam Atticis uenerem. Græcis, ut ait Horatius, dedit ore rotundo Musa loqui.

quī. Nobis uero, etiam si cupiamus, non licet esse tam dī
 fertis. Adde quod in conuertendis grācis, quia rebus &
 uerbis aliorum seruiendum est, nec tam liberè fluit ora
 tio, nec locos amēnos tam sequitur, quā si alueū pro
 num, dulcesq; uoluptates sibi delegisset. Id apertè de
 monstrat oratio M. Ciceronis qua res Platonis de unī
 uersitate prosequitur. Quā fuerit humilis ac demis
 sus in hoc uertēdo Xenophontis œconomico, testatur
 diuus Hieronymus in præfatione quam scriptam reli
 quit in Eusebii Cæsariensis chronica: Noster, inquit, Tul
 lius, Platonis integros libros ad uerbum interpretatus
 est: & cum Aratum iam Romanum hexametris uersis
 bus edidisset, in Xenophontis œconomico lusit. In quo
 opere ita sæpe aureum illud flumen eloquentiæ quibus
 dam scabris & turbulentis obicibus retardatur, ut qui
 interpretatum nesciunt à Cicerone, dicta non credant.
 Difficile est enim alienas linguas insequentem, non ali
 cubi excidere. Arduum, ut quæ in aliena lingua bene di
 cta sunt, eundem decorem in translatione conferuent.
 Hæc ille. Si uir ingenij summi liberaliter institutus om
 ni genere disciplinæ, & oratorum facile princeps, secu
 lo tam felici Atticam uenustatem qua Xenophon ma
 ximè præditus est, assequi non potuit, minimè mirum
 debet uideri, si nos & naturæ bonitate, & omni cum do
 ctrina tum exercitatione multò inferiores, hoc tempo
 re barbaris circumsepti, longè sequamur. Si latina sit or
 ratio, uerba propria & usitata, molle dicendi genus ac
 philosophicum, nec prorsus inelegans, nec omnino dis
 solutum, non uideo cur interpret aliorum magnopere
 debeat laborare. De re magis laborandū: quam totam
 facile discent, aliosq; nullo negotio docere poterūt, qui
 (quod ego feci) duorum philosophorum scripta con
 iungent. Si festinantibus est molesta ratio dialogorum,
 qui & res illustrent, & facetias interponunt, difficile nō
 est leuiora celeriter præterire, in grauioribus
 utilioribusq; diutius immorari.

Xenophontis

OECONOMICVS, A IACOBO
LODOICO STREBAEO E GRAE-
co in latinum conuersus.



VDIVI quondam Socratem, cum de ad-
ministratione rei familiaris in hanc sen-
tentiã disputaret: Dic mihi, inquit, ô Cri-
tobule, est ne cuiusdã sciëntiæ nomẽ ceco-
nomia, sicuti medicina, ars fabrilis, &
architecturaz? Mihi uerò, inquit, ita uidetur. Nõne quẽ-
admodum singulis his artibus suum munus esse dicere li-
cet, sic & œconomiæ proprium attribuere possumus? Sa-
nè, inquit Critobulus, œconomi uidetur officium, probè
suam regere domũ. Tum Socrates, Poterit ne, si uelit, alte-
rius domum sibi cõmissam, haud aliter atq; suam bene ad-
ministrare? Nam qui scit architecturam, poterit alij non
secus ac sibi ipsi opera moliri. Est igitur & rectori domus
eadem facultas. Mihi quidem sic uidetur, ô Socrates. Licet
igitur, inquit ille, eum qui tenet hanc artem, quãuis ipse
non habeat pecuniam, sic in aliena domo regenda facere
quæstum, ut architectum in extruenda. Magnũ quidem
certè quæstum faceret, inquit Critobulus, si domo susce-
pta, quæcunq; opus est, efficere, & illam partis opibus
Cap. II. augere posset. Domũ autem quid censemus esse: idẽm
ne quod ædes? an etiam quæ extra ædes ab aliquo possi-
dentur, hæc ad domũ pertinent omnia? Ego uerò, inquit
Critobulus, ita iudico, res omnes quæ sitas, nomine domus
contineri, quamuis earum dominus in eadem urbe nihil
habeat rei. Nõne & partos sibi inimicos habent multis
Sanè,

Sanè, & multos quidem nōnulli. Inimicos ne dicemus esse in rebus illorum? Tum Critobulus: Ridiculū quidem esset, si quis augens inimicorū numerum, hoc amplius mercedem fructumq; perciperet: nempe quòd uiri domus nobis idem esse uidebatur, quod res ei quæ sita. Verūm, inquit, quod quis bonum quæsiisset: nam si quid malum, nō id quidem ego nomine rei partæ nomino. Videris tu quæ cuiq; sunt res utiles, eo nomine uocare. Maximè, inquit. Quæ nobis officiūt, damna potius atq; detrimenta, quàm facultates & opes esse duco. Num si quis equum merceatur, & illo nesciat uti, sed ex eo decidens malè afficiatur, inter opes habebit illum? Nequaquā, quandoquidem bonum est opes. Nec homini quidem terra ducitur in bonis, qui sic exercet, ut in ea colenda accipiat damnū? Nec terra quidem certè in bonis est, si pro alimēto famem parat. Nōne & oues eodem modo? Si quis, propterea quòd ouibus uti nescit, damnū accipiat, illi non erunt opes. Mihi uerò non uidentur hoc esse. Tu igitur, ut apparet, ea quæ profunt, opes: quæ obsunt, non opes esse ducis. Sic existimo. Hæc ergo cum suppetunt, ei qui singulis uti nouit, sunt facultates, non item illi qui nescit uti: quemadmodū tibiæ homini cui memorabilis est scientia canendi, sunt opes: imperito uerò non magis quàm lapides inutiles, nisi uendat illas. Hoc quidem nobis uidetur. Tibiæ uendentibus sunt opes, non ijs autè possessoribus qui nec uendunt, nec uti sciunt. Ac nostra dictis cōsentanea ac consequens oratio, quandoquidē diximus, ea quæ profunt & iuuant, in bonis habenda. Nisi uenduntur ab eo qui nescit uti, non habentur in bonis, propterea quòd ei sunt inutiles: si uenduntur, in opibus habendæ. Ad hæc Socrates: Si modò

uendere sciat. Nam si uendat ei qui uti nesciat, nō si uenduntur, opes tua sententia putandæ sunt. Hoc dicere uideris, ô Socrates, ne argentū quidem, nisi si quis eo norit uti, inter opes numerandū. Et tu quoq; mihi uideris ita cōfiteri, in facultatibus illa esse ducenda, unde quis emolumentū capere potest. Si quis igitur sic utatur argento, ut emat, exempli causa, meretricē, & per eam peius habeat corpus, peius anima, peius domus atq; res familiaris, ut ei iam proderit argentū? Haudquaq; proderit, nisi fortē & herbam quā uocant hyoscyamū, ponemus in bonis fortune, à quo, qui comederint, ad insaniā dementiamq; rediguntur. Argentum quidem certē, nisi quis eo sciat uti, procul adeo reijciendum, ô Critobule, ut ne in pecunia quidem numeretur. Amicos uerò, si quis ita norit uti, ut inde fructum percipiat ac emolumentum, ducemus inter opes, an nō? Inter opes scilicet, inquit Critobulus, ac multo magis quàm boues, si plus ex illis quàm ex bubus emolumentum percipitur. Inimici ergo tua sententia numerandi sunt in bonis eius qui ex inimicis usum capere potest. Ego uerò ita existimo. Est ne hominis domus regendæ periti, sic inimicis uti scire, ut & inimici profint? Fortissimè sanè. Etenim uides, inquit, ô Critobule, quot priuatorum domus auctæ sint à bello, quotq; ab imperio tyrannorū. Tum Critobulus: Hæc mihi præclare dici uidentur, ô Socrates. Illud uerò quid? cū uideamus esse qui scientias habent, & agendi facultates, quibus si uterentur, domos augere possent, sentiamusq; id eos facere nolle, ideoq; scientias illis minimè prodesse, an istis ille neque sunt opes; neq; possessiones? Tum Socrates: Aggrederis, inquit, ô Critobule, disputationem de genere seruorum. Nequaq; uerò

uerò istuc ego quidem, sed de quibusdam qui uidentur esse genere antiquo & apprimè nobili, ex quibus alios bellicis artibus, alios ciuilibus præditos esse uideo, & illas exercere nolle, non alia opinor de causa, quàm ut dominos ne habeant. Quis fiet, inquit Socrates, ut dominos non habeant? si cum beatè feliciterq; uiuere cupiunt, & ea facere uolunt, unde quæ putant esse bona consequantur, ea tandem prohibentibus dominis efficere non possint. Qui sunt, inquit Critobulus, qui istis imperant abditi? Minime uerò, inquit Socrates, occulti sunt & latentes, sed aperti planè atq; manifesti: & quia sunt improbissimi, non isti credo qui sient, si improbitatem esse putas segnitiam, mollitiam animi, & incuriam. Sunt & aliæ fallaces dominæ, simulatæ uoluptates, ut alæ collusio, inutiles hominum congressiones, ac nugæ futiles, quæ labentibus animis tandem uel ijs quos decipere, perspicuè uidentur ægritudines esse uoluptatibus circūplicatæ: quarum uictoria ac imperio frugiferos labores subire, & operas utiles dare prohibentur. At, inquit, ô Socrates, sunt alij qui non cōhibentur ab his quò mi uis elaborent, sed magnopere & acri studio rebus agendis adherent, & omnia moliuntur ut struant opes, & augeant quæstum: at uerò domos & res dissipant, atq; inopia mentis & solertiæ capti seruiunt. Nam sunt & hi quoq;, inquit Socrates, serui dominorum perquam difficiliū molestorumq;, alij ganearum, alij flagitiorum ueneris, alij ebrietatū, alij ambitionū quarundam, quæ luxuria sumptuosa atq; largitione fortunas stultè profundūt: quæ adeò acerbè dominantur ijs hominibus quos redegerūt in seruitutem, ut quoad uident eos ætate florere, & laborare posse, cogant quasi uectigales

pēdere quæ labore quæsierint, & in ipsorum libidines atq; cupiditates impendere. Cū uerò senserunt debilitatos esse senectute, nec iam laborem perferre posse, deserunt, sinuntq; in senectâ miserè uictitare. Atq; rursus alios quibus utantur, seruos inuenire conantur. Itaq; necesse est, ô Critobule, non minus aduersus hæc pro libertate decertare, quàm in hostes qui nos ui armata in seruitutem conijcere nituntur. Hostes enim, cū honesti boniq; essent, & captiuos in seruitutem dedissent, iam multos restipiscere, & meliores esse, & reliquum tempus facilius uere coegerunt. At generis huius dominæ, quādiu imperant, nunquam desinunt hominū corpora & animas scēdare, acturpiter exhaurire domos. Hæc ita subsequutus Critobulus, Quæ hisce de rebus abs te dicuntur, satis admodum mihi uideor audisse. Cū uerò in meipsum inquiero, & me ipse obseruo, ab his ita moderatè me abstinere comperio, ut si mihi des consilium, præcipiasq; quibus agendi rationibus augere domū possim, non existimem me ab istis quas tu dominas appellas, impediri prohiberiq; posse. Itaq; bono animo es, & quod habes utile consiliū

Cap. IIII. mihi da quæso. Num de nobis hoc iudicasti Socrates, utriq; satis esse diuitiarum? nihilne tibi egere pecunia uidemur? Ego quidem, inquit, si de me quoq; loqueris, non arbitror egere me pecunia, sed rei satis habere. Tu uerò Critobule mihi uideris admodū pauper esse: & me deus amct, est cur me tui non leuiter misereat. Cū arrisisset Critobulus, inquit: Quātum per deos, ô Socrates, ex tuis possessionibus, si uencant, reficere te posse arbitraris, & me quantum ex meis? Ego uerò, inquit Socrates, arbitror si emptorem nactus essem liberalem, ex meis omnibus rebus

bus unà cum domo perfacile minas quinque; conficere posses: ex tuis autem te certo scio centum partibus amplius, si quæras emptorem, reperturum? Cum ita iudicaris, tu ne iam rebus egere te non credis, & miseret te meæ paupertatis? Nam meæ, inquit, ea suppeditare possunt, quæ mihi satis esse puto. ad eam uerò quam tibi induisti uiuendi formam, & ad opinionem tuam, non si ad ea quæ nunc possides, tripla accedant, satis esse multa putem. Quinam, inquit Critobulus, hanc Socrates ille tulit sententiam? Tuli, primùm quòd uideo tibi impositam multa magnaquæ; sacrificandi necessitatem: alioqui ne paucos homines quidem te recepturum & rebus auclurum puto. Deinde decet te multos hospites recipere, illosquæ; tractare magnificè: præterea ciues accipere conuiuio, & apud eos beneficia tua collocare: aut solum esse, & auxilio carere. Atque etiam audio ciuitatem grande iam tibi tributum imperare, quod alendis equis, exhibendis ludis, præficiendis exercendæ iuuentuti magistris, atque præfecturis est conferendum. Quòd si bellum geratur, certo scio, tot instruendis gubernandisque; triremibus sumptus, tot stipendia pensionesquæ; tibi præscripturam, quot haud facillè sustinebis. Et ubi uisus fueris aliquid horum parcius conferre, non minus Athenienses in te animaduersuros esse certum est, quàm si res eorum furto sustulisses. Ad hæc existimare te diuitem esse uideo, & negligere rationes parandæ pecuniæ, & amoribus, quasi tibi liceat, adhibere mentem. His de rebus miseret me tui, ne quod insanabile malum patiare, deiectusquæ; inopia graui labores. Mihi uerò si quid opus sit, nosti credo non deesse qui succurrant, remquæ; suppeditent. Itaque si per pauca dederint, hanc meam uictus rationem affluen-

tia abundantiaq; complebunt. Amici tui quanquam satis multas opes habet, & supellectili sua magis quam tu tua debent esse cōtenti, tamen ad te cōuertent oculos, ut emolumenta beneficiāque recepturi. Tum Critobulus: His ego, ô Socrates, contradicere non possum. Sed tempus est quo mihi præesse, & uiam monstrare potes, ut rerum tenuitate ne fiam miser.

Cap. V. His auditis Socrates, Censen te Critobule, inquit, istuc mirum in modum absurdè facere? qui paulò antè cū dixissem me diuitijs abundare, perinde arrisisti, quasi nunquam nouissem quid esset opulentia: nec antè finem fecisti, quàm reprehensum coëgeris fateri ne centesimam quidem bonorum tuorum partem me possidere. Nunc autem iubes me præesse tibi, curamq; adhibere ne uerè pauper omnino fias? Sic est, inquit, ô Socrates. Nam uideo te unam quandam rationem quæstus faciendi ditescendiq; nosse, & facultates parare. Itaque spero, te qui à tenui principio rem facis auctiorem, à magno perfacile multas opes esse pariturum. Meministine Critobule, quod paulò antè dicebas inter disputandum, (ubi ne grunnire quidem contrà mihi per te licuit) nec equos, nec terram, nec oues, nec argentum, nec aliud quicquam quod nescias uti, in opibus habendū? ab his enim capiuntur emolumenta. Me uerò quī putas aliquo istorum uti scire, cui nihil ab initio generis huius unquam fuit? At hæc Socrates erat nostra sententia, etiamsi quis rem non haberet, esse tamen scientiā domus regendæ, quam tenere posset. Quid igitur prohibet eā te scire? Id sanè Critobule, quod esset impedimento quò minus homo tibijs canere sciret, si nec unquam habuisset ipse tibijs, nec alius illi suas discendi causa tradidisset. Eadem mihi ratio est in œconomia.

Nam

Nam nec ipse rerū facultates habui quibus uterer instrumentis, & hanc artem discerem: nec alius unquam mihi sua regenda commisit. Tu uerò tua nunc tradere uis. Illi adeò qui primùm discunt fidibus, lyras demoluntur. Et ego quidem si in re tua familiari œconomiam discere cōtenderem, fortasse tuam domum labefactarē. Ad hæc Critobulus: Magno mihi studio Socrates subterfugere conaris, ne quid me iuues ad ea facilius sustinēda quæ mihi necessaria sunt negocia. Ego certè quidē minimè subterfugio, inquit Socrates: sed quæcūq; teneo, tibi perquā libenter exponā. Si uenisses ignē petiitū, qui apud me nullus esset, nō argueres me credo, nec mihi molestus esses si aliò te ducere, unde tibi capere liceret. Et si à me peteres aquā, ego qui nō haberem, aliò te ducere unde accipere posses, nō dubito quin istuc probares. Quòd si tibi musicā à nobis discere uolēti ostenderē multò peritiores illius artis atq; uenustatis tibi non incognitos, qui tibi, si uelles ab eis discere, gratiā haberent, quod hæc agenti mihi iam crimen obijceres? Nullū iurè Socrates. Tibi igitur Critobule monstrabo alios me longè exercitatiores his rebus, quas ut à me discas, auide blandēq; rogas. Fateor me studiose & diligenter ciues obseruasse, qui in quaq; re prudentissimi & sapientissimi esse uidebantur. Nam cum aliquando didicissem, ab actionibus iisdē alios admodū pauperes, alios perquā diuites esse, admiratione captus hæsi, & hoc quid esset, inquisitione & inuestigatione dignū putauit. Cumq; perscrutarer propriam peculiaremq;, cur hæc ita fierent, rationem, esse deprehendi: Qui temerè et inconsultò negocia gerebant, damnum facere uidebam. Qui statuto consilio rem diligenter administrabant, eos

Cap. VI.

expeditius & facilius agere, atq; maiore cum quæstu, animaduvertebam. A quibus si discere uelis, existimo te, nisi tibi deus aduersetur & repugnet, ad rem locupletandam impigrum fore, & magnas opes quæsiturum. Quæ cum Critobulus audisset, Nunc, inquit, te iam Socrates non antè dimittam, quàm promissa coram his amicis ostenderit. Quid igitur, inquit Socrates, si tibi monstrem primū qui magna uis argenti domos inutiles ædificant, alios autem qui minore pecunia extruunt ita cōmodas, ut omnia quibus opus est, contineant, uidebōrne tibi opus hoc unum monstrare in eorum genere quæ ad œconomiam pertinent? Maxime, inquit Critobulus. Quid si postea (quod est huic rei cōsequens) ostendam non deesse, qui cū multa uariaq; possideant instrumenta, nequeant, quando opus est, illis uti, nec sciāt salua sint nec ne, ideoq; frequenter molestiam & ipsi capiant, & seruis afferant: alios esse qui plura non habeant, imò pauciora, sed ita posita, ut cū sit usus, habeantur in promptu? Horum causa quænam est, ô Socrates? an quòd ab illis, ut fors tulit, singula quæq; proiecta sunt, ab his suo loco & ordine collocata? Sanè quidem, inquit, quòd nihil in loco fortuito, sed unūquodq; in apto dispositum est. Hoc tum Critobulus: Non nihil œconomicum dicere uideris. Quid si tibi demōstro, seruos hīc omnes (ut ita dicam) uinctos esse, & tamen frequenter esse fugitiuos: illic solutos, attamen laborare & manere uelle: non & hoc uidebor animaduersione dignè munus œconomice monstrare? Sanè quidem, inquit Critobulus, nec mediocri animaduersione. Quid si eodem modo, & in ijs qui agriculturæ dant operam, doceo alios esse qui dicant se omnibus fortunis euersos ab illa, & ad ino-

piam

piam redactos, alios abundè & pulchrè ab eadem perci-
 pere omnia quibus egent? Ne operæ precium facies, in-
 quit Critobulus. Nam fortasse non in ea solùm quæ neces-
 saria uidentur, impendunt, sed & in alia quæ detrimen-
 tum afferunt, domumq; labefactant. Tum Socrates: Non-
 nulli fortasse reperiuntur huiusmodi: at ego de talibus nõ
 ago, sed ijs qui non habent quod in res necessarias impen-
 dant, tametsi agrum colere se confirmant. Quid est huic
 rei causæ? Ego te quidem ad eos perducam, inquit Socra-
 tes: tu uerò spectans & obseruans quid agant, utique di-
 sces. Equidem certè, si possim. Atqui spectandum tibi est,
 & faciundum periculum, possis ne discere. Nunc ego tibi
 conscius sum temporis eius, cum multò manè surgeres, &
 iter non paruū faceres ad comediarū spectaculum, atq;
 mihi suaderes ut unà tecum magno studio spectarem. Ad
 huiusmodi uerò exercendi genus haud unquam me uoca-
 sti: enim uero tibi ridiculus esse uideor, ô Socrates. Mul-
 tò magis, inquit, ipse tibi ridiculus esse uidebere, si tibi de-
 monstra uero nonnullos ab arte equestri eò deuenisse te-
 nuitatis, ut alimentum sibi necessarium suppeditare non
 possent: alios facultatis huius beneficio ditissimos esse, &
 magnitudine quæstus gloriari & exultare. Hos equidem
 uideo, utrosq; nosco: nihilo uberiorè quæstum facio. Nem-
 pe quòd eos haud secus atq; tragædos comedosq; specta-
 re soles, non (opinor) quò sis poëta, sed ut oculis auribus
 ue capias uoluptatem. Nec improbè fortasse res ita sunt
 constitutæ: non enim uis effici poëta. Cum enim te cogat
 ciuitas artem facere equestrem, satis ne sanum te esse pu-
 tas, nisi uides quò fiat ut huius rei ne sis rudis & imperi-
 tus: præsertim cum eadem sint utilia, si uelis uti: quæstuo-

sa, si uendere. Equos me domare iubet Socrates. Minime uero, non magis quam futuros agricolas à paruulis emptos parare. Sed & equorum & hominū quædam mihi uidentur ætates atq; staturæ, quæ statim sunt usui, atque

Cap. VII. in melius crescunt. Porro autem quosdam monstrare possum qui sic utuntur uxoribus, ut habeant eas adiutrices in augenda re familiari: alios qui nesciant uti. Nam permulti inde capiunt detrimentū. Uter hinc accusandus, ô Socrates, uir an mulier? Ouis, inquit ille, si malè habeat, pastorem magna ex parte accusamus. Et si noceat equus, atq; maleficiū cōmittat, in equitē crimen reijcimus. Mulier quam bona docet uir eius, si peccat, & maleficium admittit, ipsa iure culpam sustinebit. Si uero neque honesta neque bona doceret, sed uxore inscia rudiq; uirtutis uteretur, nonne iure in eum crimen transferretur? Omnino Critobule. Nos qui adsumus, quia amicitia iuncti sumus, alter alteri ueritatem ostendere debemus. Est ne cui ex rebus serijs plura quam uxori tractanda committis? Nemini, inquit. Est ne cui pauciora quam uxori loqueris? Si nonnulli, paucis tamen. Eam uero duxisti puellam ineunte adolescentia, & quæ uel quamminimè multa uidisset & audisset. Adolescentulam duxi. Itaque multo magis admirandum uideretur, si quid sciret quod uel dicere uel agere decet, quam si in errore uersaretur, et à recto defletheret. Quibus dicis uxores esse bonas, ô Socrates, an eas erudierint ipsi, uidere nō possumus. Ego tibi Critobule exempli causa Aspasiam constituam, quæ sapientius hæc omnia q̄ ego tibi monstrabit. Vxor em cui si delis est cōmunitas societasq; domus, arbitror par habere momentum uiro ad summum bonum adipiscendum.

Venit

Venit enim domum magna ex parte quò bona uiri labore parta custodiat. Cumq; faciendæ sunt impensæ, omnes ferè ab illa priuatæ, quemadmodum à quæstore publicæ, administrantur. Hæc autem cum bene & ratione fiunt, domus augentur: cum malè & temerè, decrescunt. Qui cæteras artes singulas exercent, uiros memorabiles demonstrare me tibi posse credo, si aliarum præterea indigere te putas. Quid uerò opus est alias ostendere? inquit Critobulus: nec enim facîle est comparare qui omnes, uti bonum est, faciant artes, nec fieri potest ut fiam tandem omnium peritus. Sed quæ uidetur esse pulcherrimæ, ac studenti mihi cõgruentissimæ, eas ipse mihi, & in illis claros artifices ostende: tuq; docendo, quia aliquid potes, ad hæc adipiscenda me iuuas. Pulchrè, inquit, mi Critobule. Etenim quæ βαρβαριστὰ, id est, illiberales uocantur, abiectæ foedæq; sunt, nec immeritò omnium maximè improbantur quas proferunt ciuitates. Nam quorum cura & opera exercentur, eorum corpora frangunt inquinantq;. Sedere, & in umbra uersari, & in his nonnullæ ad ignem totos dies agere cogunt. Corporibus effœminatis, animi multò languidiores efficiuntur, & infirmiores. Multoq; minus habent ocij, generis huius artes, quàm ut amicis et ciuitati operam dare possint. Quamobrem qui faciunt illas, & amicis uti malè, & præsidio fraudare patriam uidentur. Et in quibusdam ciuitatibus, in ijs maximè quæ studio belli captæ, rei militari dant operam, nemini ciuium licet artes sordidas exercere. Quibus igitur nobis Socrates utendum censet? Num, inquit Socrates, regem Persarum imitari uerebimur? Illum quidem serunt inter pulcherrima maximeq; necessaria studia agriculturam artemq;

bellicam ducere, & utranq; diligenter atq; studiose curare. Hæc ut audiit Critobulus, Credis, inquit, regi Persarū agriculturam esse curæ? Cui Socrates: Si uideamus quid agat, hoc modo fortasse discemus si quid sit ei curæ. Nam conuenit inter nos eum res bellicas strenuè curare, & diligenter administrare: quòd cum milites ex qualibuscūq; nationibus recipiat, cuiq; præfecto definierit in quot equites, sagittarios, funditores, gerrhophoros, id est, scuta & eiusmodi tegumenta ferentes, alimentum partiri debeat. Præficit eos, qui regere possint quib. præ sunt, quiq; si hostes irrumpant, fines tueantur. Præter hos & custodes in arcibus alere consuevit. Custodibus alimentum suggerit huic ab eo muneri præfectus. Rex in singulos annos omnes præter eos qui custodiunt arces, eò cogit quòd uocatur concilium: recenset qui stipendia merent, atque alios quos in armis esse iussit. Qui non ita procul à regia distant, ad eos ipse inspectionis causa proficiscitur. Qui longius incolunt, ad eos mittit haud dubiæ fidei uiros, qui res sociorum inspiciant. Custodum præfectos, & chiliarchos, id est, qui mille uiros ducunt, & satrapas, si imperatum sibi militum numerum expleant, atq; lectos egregiosq; uiros equis & armis pulchrè instructos exhibeant, & honoribus auget, & donis ingentibus ditat. Quos autem magistratus ducesq; reperit aut segnes aut auaros, & questus auidos, acerbè castigat, et abire magistratu iubet: alios qui res gerant, constituit. Hæc cum faciat, illum sine ulla dubitatione rerum bellicarum studiosum esse arbitramur. Præterea quantam potest regni sui partem percurrens inspicit ipse, ac ueluti censor in iudicium morum uocat. Quod reliquum est, inspiciunt uiri fideles ab eo missi.

Quos

Quos præfides locum populo frequentem, agrum excultum, arborum fructuumq; quos singulæ ferunt, plenum præstare cognoscit, hos insuper alia terræ parte adauget, donis ornat, sedibus honorificis præmij causa donat. Quibus autem uidet ociosam incultamq; terram, & hominibus infrequentem, siue istud crudelitate, siue contumelia, siue negligentia factum est, illos castigat, imperio priuat, & alijs magistratibus constitutis, abijcit. Hæc cum gerit, censeri curare minus quàm terra à cultoribus exercetur, quàm quàm tutò à præsidij custodietur? Sunt illi magistratus non ijdem utriq; generi præpositi, sed alij incolis operisq; præsent, à quibus tributum & uectigal exigunt: alij militum præsidij imperant. Quòd si præsidij caput & princeps minus quàm par est, agrum finesq; tueatur, magistratus incolarum qui ad opera faciunda aduigilat, illum reum facit & accusat, propterea quòd homines loci custodia destituti, opus efficere non possunt. Si uerò custodia præfectus tutam tranquillamq; pacem det operum labori, præses agrum incultum & penè desertum reddat, in ius hunc ille uocat. Etenim qui negligenter & imperitè agrum colunt, ij ferè neq; præsidia nutriunt, neq; pendere tributa possunt. Vbi uerò præsidet satrapes, his ambobus regendis aduigilat. Ad hæc Critobulus: Hæc igitur si rex agit, nihilo minus res rusticas quàm bellicas administrare mihi uidetur. Addidit & his præterea Socrates: Quotquot incolit terras, & in quoscunq; fines digreditur, adhibet diligentiam, ut horti qui paradisi uocantur, pleni sint omnibus quos terra nõ inuita producit fructibus cum pulchris tum bonis: & in illis ipse plurimum, cum tempus anni non excludit, comoratur. Vera narras,

Cap. VIII.

inquit Critobulus. Neceſſe quidem eſt, ut ubi cōmoratur ipſe, curet hortos optime parari, & pulcherrime arboribus alijsq; rebus omnibus quæ e terra naſcuntur, ornari. Sunt qui dicant, inquit Socrates, cū rex ille dona dat, primū egregios bello uiros ad ſe uocare, quia ſit inutile multa arare, niſi ſint qui culta tueantur: deinde eos qui optime colunt agros, fertilesq; reddunt: quibus oſtendit uiros fortes & bello deditos uiuere non poſſe, ſi non ſint qui terram colant. Cyrus, qui fuit rex nomine & imperij gloria præclarus, quōdam uocatis ad dona capiunda dixiſſe fertur, ſe ſuo iure utrorunq; & militū & agriculturalium dona capere poſſe, quōd, uti dicebat, agrum colere optime ſciret, & eos qui ruſticum opus efficerent, armis tueri. Cyrus igitur, inquit Critobulus, ſi dicebat hæc, oſtendebat nō eſſe minus aut utilitatis aut ueræ laudis in agro colendo, quā in gerendo bello. Sanè quidē, inquit Socrates, Cyrus ſi uixiſſet, optimus princeps futurus uideretur: huius rei certa indicia dedit, & alia multa, & illud cū de regno in fratrem bello cōtenderet. A Cyro ad regem nemo tranſfugiſſe dicitur: ab rege ad Cyrum multæ myriades, hoc eſt, decem, uiginti, triginta, aut plura milia. Hoc ego puto magnum eſſe regiæ uirtutis indicium, quōd ei non inuiti parebant, & duris in rebus ultrò permanebant, quodq; amici pro uiuo dimicabant, & cū periſſet, unā perierunt omnes pugnantes ad exanime corpus, præter unū Ariæum, qui in ſiniſtro cornu fuerat cōſtitutus. Hūc igitur Cyru, cū Lyſander ad eum ueniſſet, eiq; dona à ſocijs attuliſſet, ferūt & cæteris in rebus comē erga Lyſandru atq; humanū fuiſſe, ut Lyſander ipſe cuidam narrauit hoſpiti Megaris: & ei quendam conſeptū agrum

agrum diligenter consitum Sardibus ostendisse. Cùm autem admiraretur Lysander & proceras & pulchras arbores pari interuallo sitas, rectos ordines, omnia in quincuncem pulchrè directa, odores multos & suaues qui deambulantes comitarentur: cùm hæc inquã admiraretur, & dixisset, Me quidem Cyre omnia, quòd pulchra suauiq; sunt, afficiunt admiratione, sed multò magis miror non modò diligentiam, sed etiam solertiã eius à quo sunt ista dimensa & descripta: Cyrum, quòd hæc audisset, lætitia plenum fuisse, & respondisse: Atqui ego ista sum dimensus: mei sunt ordines, mea descriptio. multæ etiã istarum arborum mea manu sunt satæ. Lysandrũ, cùm uirũ, & earũ quas gerebat uestiũ pulchritudinem uideret, odorem sentiret, torques, armillas, anulos, gemmas, & ornamenta cætera nitore splendentia intueretur, dixisse, Quid ais Cyre? Tũ ne manibus tuis aliquid horum seuisisti? Et ei Cyrũ respondisse, Miraris ista Lysander auro testorq; Mithram (hoc nomine solem Persæ uocant) me, cùm ualeo, nunq̃ prius accumbere, quàm aut bellicum aut rusticum opus exercitatione meditando, aut aliquid ex eo genere, quòd magni semper facio, & efficere cõtendo, sudauerim. Tum Lysandrũ prehensisse dextram eius, & dixisse, Rectè ego te Cyre beatum puto, quoniam uirtuti tuæ fortuna coniuncta est. Hæc Critobule cõmemoro, quòd ab Cap. ix. agricultura ne perbeati quidem se abstinere possunt. Diligentia et studio succedit animos, simulq; dulci uoluptate delectat: auget rem familiarẽ: corpora exercet: ut sit omnium facultas, quæ homini libero sunt honesta. Primũ cultoribus ea fert terra, quibus homines uiuunt: hoc amplius gignit rerũ suauium copiã, unde uoluptate recreantur: deinde

quæ aris atq; simulachris sunt ornamento, & quibus or-
 nantur ipsi: & hæc quidem cum suauissimis odoribus &
 aspectu iucunda uarietate subministrat. Præterea multa
 obsonia partim producit, partim alit (etenim cum agri-
 cultura, cura gregis, & ars pecuaria coniuncta est) ut ha-
 beant & quibus placare deos, & quibus uti possint. Cum
 abundantissimâ rerum copiam largiatur, haud finit eam
 cum mollitia & eneruata temeritate percipi, sed hyberno
 frigore & æstiuo calore firmat corpus, ferendisq; labo-
 ribus assuefacit: cumq; nudos exercet qui manibus mo-
 liuntur opus, eis robur & uires addit. Et quia manè exci-
 tat eos qui diligenter & studiose subigunt humum, & im-
 petu magno circumferri cogit, laborum patientes, fortes
 uirilesq; reddit. Etenim semper & in agro & in urbe re-
 peries in tempore quod agas per opportunè. Adde quòd
 si quis uelit eques opem ferre ciuitati, equû perfacile nu-
 trit agricultura: si pedes, ualidum corpus & robustum
 præstat. Et quemadmodum ad terram diligenter mouen-
 dam, sic & ad feras consectandas incitat. Canibus enim si-
 mul dat alimenti facilitatem, simul in agro pascit feras.
 Et ut equis & canibus est adiumento, sic & illis uicissim
 iuuantibus fundum colit. Nam manè fert equus agri cu-
 ratorem, & ei dat serius abeundi facultatem. Canes autè
 feras arcent, ne fructibus pecudibusq; noceant: & homi-
 nem in solitudine tutantur. Atq; rationes agricolarû sua-
 dent & hortantur ut armati fines tueantur, & ut quos
 terra fructus alit in medium, uictori percipiant: cursu, ia-
 culo, saltuq; concertent. Quæ facultas artis suos rebus ne-
 cessarijs auctiores reddit: Quæ se tractantibus, maiores
 gratias refert: Quæ enim dulcius atq; suauius accipit ar-
 tificem,

tificem, & adeunti, id cuius indiget, liberalius porrigit? Quæ uerò lautius hospites excipit? Vbi locorū maior est facultas hyemandi multo igni, calidisq; balneis? ubi mensibus æstiuis iucundius uiuere licet aquis, uentis, umbris, quàm in agro? Est ne ars alia quæ gratiores decorasq; magis offert libationes eas quæ primitiæ uocantur? aut quæ ferias & dies festos pleniores & locupletiores agit? Reperies ne quæ sit aut seruis amabilior, aut uxori iucundior, aut liberis desiderabilior, aut amicis grator? Mihi mirū uidetur si quis homo liber hac iucundiorē tenuit possessionem, aut suauiorē inuenit curationem, aut ad usus uitæ accōmodatiorem. Præterea terra spōte, eos qui discere uelint, iustitiam docet. Iis enim qui ipsi optimè ministrarunt, plurima beneficia remunerat. Si quando autem multitudine hostili ingruente, operarū labore priuentur ij qui uersantur in agricultura, & acriter uiri literq; instituuntur, quia uires corporum & animorū sibi compararunt (nisi deus auertat) fines in hostium quibus ab opere reuocantur, impetu factō, possunt agere prædas, atq; sibi alimenta populari. Et plerunq; cūm bellum infertur, tutius est armis quàm rusticis instrumentis alimentum quærere. Dat & agricultura documentū quū de beamus alijs alij succurrere, & suppeditare quod deest. Cum hominibus enim sunt adeunda bella, & cum hominibus excolenda terra. Si quis agrum bene cultum uelit, operarios impigros & dictō audientes comparare debet. Qui copias agit in hostes, debet hæc moliri: dona ac præmia dare facientibus ea quæ bonos uiros agere par est: in eos animaduertere, qui flagitiose scelerateq; uiuunt. Nec minus ab agricola operarij, quàm ab imperatore milites

hortandi, nec minus bona spe serui quam liberi sunt alendi, sed etiã maiore, ut permanere uelint. Ille quidem præclare, qui artium cæterarum parentem nutricemq; dixit agriculturam. Nam quando bene agitur cum ea, omnes aliæ uigent: ubi uerò necessitas coëgit terrã desereri, & incultam manere, propemodum terra mariq; extinguitur.

Cap. x. Cùm audisset ista Critobulus, inquit: Mihi quidem uideris Socrates hæc dicere præclare: considera uerò, & ante omnia mente perpende, esse per multa quæ nemo potest hac in arte præstare. Etenim grandines, pruinae, glacies interdum, siccitates, imbres immodici, rubiginæ, & aliæ pestes, frequenter auferunt ea quæ consilio diligentiaq; probè sunt elaborata: et aliquãdo pecudes optimè pastas inuasit morbus, ac pessimè necauit. Hæc ut audiit Socrates, Ego quidem, inquit, existimo te scire Critobule, deos haud minus rerum rusticarum quam bellicarum principes esse. Vides, opinor, duces & milites ante bellicas actiones sacris operam dare, & hostijs auspicijsq; consulere deos, quid agendum sit, quidq; nõ agendum. De rusticis actionibus censēs ne minus rem diuinam esse faciendam? Ne dubita uiros bona mente præditos pro fructibus humidis & siccis, pro bobus & equis et ouibus, omnibusq; rerum facultatibus, dijs immortalibus seruire. Enimuero Socrates hæc pulchrè narras, qui mones impetrata pace deorum nullum nõ aggredi negotium, propterea quòd dij non minus pacatis rebus quam bellicis præsumunt. Hæc ita quidem facere conabimur. Tu uerò nobis hinc ad ea quæ cum de oeconomia differeres, reliquisti, progredere, & quæ proxima finitimaq; sunt, perseguere. Nam mihi modo uideor ex omnibus tuis uerbis clarius iam quàm antè perspicere

ſpicere quid faciendū ſit ad ea conſequenda quæ uita deſi-
 derat. Quid igitur, inquit Socrates, ſi primū repetamus
 omnia de quibus egimus, & inter nos cōuenit? uti, ſi poſſi-
 mus, eodem modo cætera oratione perſequi, & ſine con-
 trouerſia explicare cōtendamus. Iucundum certè quidem
 eſt, inquit Critobulus, ut eos quibus eſt pecuniæ ratio cō-
 munitis, illam ſine cōtrouerſia atq; dubitatione numerare,
 ſic & nos qui communiter ſermones conferimus, ea de
 quibus eſt inter nos diſputatio, animis cōſentientibus ex-
 plicare. Cenſuimus igitur, inquit Socrates, œconomiā cu-
 iuſdam ſcientiæ nomen eſſe. Ea uidebatur, qua poſſunt ho-
 mines augere domum: domus autem idem quod uniuerſa
 poſſeſſio. Nomine poſſeſſionis appellabamus quod ad ui-
 tam cuiq; eſſet utile. Vtilia reperiebantur ea, quibuſcūq;
 ſciret aliquis uti. Omnes uerò ſcientias perdiſcere poſſe
 neminem iudicabamus, & à ciuitatibus improbari quæ
βαναυσιμα dicuntur artes, propterea quòd eneruare cor-
 pora uidentur, & animos infringere. Huius euidentiſſi-
 mum ſignum futurum, ſi quis hoſtibus in fines irrumpen-
 tibus, utroſq; ſeparatim poſitos agricolas & artifices in-
 terrogaret, utrum potius eſſe uideretur fines tueri, an a-
 gro relicto mœnia defendere? Arbitrabamur, ſi quis ita
 reſerret, eos qui in agro colendo uerſantur, plebiſcitū ro-
 gationemq; laturus, ut fines tuerentur: artifices uerò, ne
 prælio dimicaret, ſed, quod edoſti ſunt, ſine tanto labore
 et periculo ſederent. Iudicauimus honeſto bonoq; uiro o-
 ptimam & actionem & ſcientiā eſſe agriculturā, ex qua
 mortales ad uiuendū neceſſaria capeſſunt. Hæc operis ſci-
 cūdi ratio cognitu perſacilis, & actu iucūda nobis eſſe uī
 debatur, et corporibus nō modò optimā formā, ſed etiam

ualetudinem uiresq; præbere, animis minimè negociū fa-
 cessere, amicos & ciuitates haudquaquā negligere, uiros
 ad fortitudinem excitare: quòd extra munitiones omnia
 ad uiuendum necessaria producit, atq; ruri laborantes al-
 lit, propterea genus hoc uitæ in ciuitatibus maximè pro-
 bari, quia ciues & optimos & beneuolentissimos exhibet
 reipublicæ. Tum Critobulus: Pulcherrimā & opti-
 mam iucundissimamq; ab agricultura duci uitam ut
 crederem, satis superq; mihi uideor adductus. Quòd au-
 tem dixisti mihi discendas esse rationes & eorum qui sic
 agrum colunt, ut omnia quibus est opus, abundè capiant
 ab agricultura: & illorum qui sic elaborant, ut ab ea ni-
 hil adiuuētur, utraq; te docente libenter audiam, ut quæ
 profunt, agamus: quæ obsunt, ne moliamur. Quid igitur,
 inquit Socrates, si tibi principio narrem ut olim cum ui-
 ro sim congressus, qui reuera mihi esse uidebatur in eo ge-
 nere uirorum, quibus nomen honesti boniq; uiri iure tri-
 buitur? Libenter, inquit Critobulus, audire uelim. Nam
 & ego dignus hoc nomine fieri uehementer cupio. Tibi
 igitur exponam, inquit Socrates, ut ad illius uenerim con-
 templationem. Architectos præclaros, fabros excellentes,
 pictores eximios, statuarios, & generis eius alios artifices
 circumire, & quas habebant res egregias, atq; multorum
 iudicio probatas, quantum satis erat, spectare breuissimo
 temporis interuallo potui. Vt autem contemplerer eos
 quibus est hoc grauissimū nomen honestatis atq; uirtutis,
 ac ut obseruarem quibus actionibus mererentur ut hoc
 nomine uocarentur, cum aliquo tali consuetudinem mi-
 hi uehementer animus exoptabat. Ac primū, propterea
 quòd adiunctum esset honestum bono, quencunq; nouis-
 sem

sem honestum uirum, ad eum me conferebam, conabarq; discere sicubi honestum bono congruens & coniunctum uiderem. At uerò non ita res habebat: sed nonnullos qui essent honesta forma corporis, animi summa improbitate præditos esse deprendebam. Itaq; statui relicto pulchritu dinis aspectu, ad aliquem eorum qui & honesti dicuntur & boni, uenire. Cùm igitur ab omnibus uiris & mulieribus, peregrinis & ciuibus, Ischomachũ non honestum modo, sed etiam bonum uocari subaudirem, in illius congressum colloquiumq; mihi ueniendum putauì. Itaq; uirum in porticu Iouis *Ἰασοβίσις*, id est, liberatoris, seruatorisq; sedentem cùm uidissem, quia mihi uidebatur ociosus, accessi: & asidens illi, Quid, inquam, Ischomache sedes, uix unquã uacare solitus? Nam per sæpe in foro uideo te aut aliquid agentem, aut nõ ita multũ uacantem. Neq; modo uidisses, inquit, nisi recepissem fore ut hĩc aliquos opperirer hospites. Quando, inquam, nihil agis tale, quæso te per deos immortales, ubi tempus in sumis? quid agis? Ego certè quidem à te discere maximè uolo, quibusnam rebus agendis honesti boniq; uiri nomen adeptus sis. Nõ enim agis uitam domi, nec tui corporis habitus id demonstrat. Arrisit Ischomachus propterea quòd rogassem, quibusnam rebus agendis honesti boniq; uiri nomen adeptus esset: ac, uti mihi uisum est, letior factus, inquit: Sint ne qui cùm de me tecum uerba faciunt, hoc me nomine uocent, nescio. Non enim quisquam (cùm me uocant Athenienses in antidosim trierararchie aut choregie, id est, cùm ad fortunarum permutationem cum eo qui suis impensis triremem sustinere, uel alium sumptum publicum facere uelit, si id recussem, prouocãt) querit honestum bonumq;

sed omnes aperte me nomine patris Ischomachum uocāt.
 Ego uerò nequaquam domi, quod me rogabas Socrates,
 commorari soleo. Nam quæ domi sunt, uxor mea sola fa-
 cilè administrare potest. Ego uerò, inquam, de te sa-
 nè libenter audierim, tunc ipse erudieris uxore, ut talis
 esset qualis esse debet, an à parētibus acceperis iam scien-
 tem quæ muneris eius essent, administrare. Quid, inquit,
 scientem accepissem, quæ nondū decem annos & quinq;
 nata uenit ad me: cum ætate superiore sub diligenti custo-
 dia uixisset, ut quamminimè multa uideret, per pauca au-
 diret, paucula perquireret. Id'ne tibi laudabile, satisq;
 multū uidetur, quod uenit non solum quæ sciret accepta
 lana uestem conficere, atque nosset ut pensa distribu-
 tur ancillis, sed amplius etiam quæ uentri moderari pos-
 set, optimè cibi potusq; rationibus instituta: id quod mihi
 non mediocre uidetur & uiro & scemine rudimentum.
 Tum ego: Quæ supersunt, uxorem Ischomache docuisti,
 ut quæ ad eius functionem pertinēt, curare posset? Nequa
 quā uerò, inquit ille. Non antè docui, q̄ sacrum fecissem,
 precatus ut ego docere, illa uerò discere posset id quod
 utriq; nostrū maximè conducere. Vxor igitur, inquā, te
 cum rem diuinā fecit, eadē quæ tu precata? Maximè, in-
 quit. Multa uouit dijs, ut talis esset, qualis esse deberet:
 quo signo planè monstrabat haud esse neglecturam quæ
 præcepta traderētur. Cui ego: Per deos, inquam, te pre-
 cor Ischomache, dic mihi cedo, quid eam primū docere
 coepisti? Nam lubentius hæc tibi narranti aures dederim,
 quā si mihi gymnicū aut equestre certamen pulcherri-
 mum narrares. Ad hæc respondit Ischomachus: Quum
 iam mihi assueta, ac uelut domita, manū pateretur, ita ut
 familiariter

familiariter colloqui possemus inter nos, illā sic ferē sum percontatus, Dic sodes uxor, nostin' iam qua de causa ego te ceperim, tuiq; te mihi parentes tradiderint? Non enim dubito quin planē intelligas, nō aliū defuisse qui cū dormire possemus, sed ego cū de me, & tui de te parentes consilium iniremus, quam coiremus optimā domus & liberorum societatem, inter puellas ego te delegi: inter eos quos licuit, me tui parentes, ut uidentur, elegerunt. Si quando nobis deus dederit liberos, tunc consilium capiemus, ut quam optimē instituantur à nobis. Hoc quidem commune bonum, quo non melius ullum & ad opem ferendam, & alendam senectutem consequi possumus. Nunc uerò nobis domus hæc communis est. Omnia mea in commune exhibeo, & tibi uelut ex cōmentario seu tabulis committo. Tu quoq; omnia quæ intulisti bona, in commune deposuisti. Nec ratio conficienda est, uter nostrū plura numero contulerit: sed illud tenendum certò, uter nostrum melius hanc communitatem seruauerit, cum bona pluris æstimaanda contulisse. Ad hæc respondit uxor: Quid ego te iuuare possum? quæ sunt mea uires? in te posita sunt omnia. Mater ostendit munus esse meū, uiuere prudenter, ac temperatè. Credo equidem, inquā. Nam pater eadem mihi ostendit. Sed prudentis & frugi, tum uiri tum mulieris est sic agere, ut quæ parta sunt bona, seruentur, & bene habeant, & alia honesto iustoq; labore quæsitā quamplurima accedant. Quid sentis, inquit, esse mihi faciendum ut rem augeam familiarem? Tum ego: Illa adeò, quæ te posse dii uoluerunt, at quæ lex comprobauit, quam potes optimē, facere cōtendito. Et illa: Quæ nā sunt? inquit. Ego quidē arbitror, inquā, nō esse minimi ducenda, nisi

& dux apis in alueo nihili faciundis laboribus præfecta
 est. Mihi quidem certè dij sapientissimè uidentur omnia
 fecisse, sed hoc coniugiū præsertim, quod mas & fœmina
 uocatur, ut etiam ad tuendam cõmunitatem sit in eo sum-
 mum præsidium. Primùm, ne deficerent animalium gene-
 ra, hoc uinculū maris & fœminæ inter se stirpis causa
 nexū iugatumq; est. Deinde, si uelint homines aliquos si-
 bi parare à quibus alantur in senectute, ex hoc iugo pro-
 ducentur qui istud factitent. Præterea uiuendi ratio non
 ut belluis, sic & hominibus est sub dio: tectis scilicet opus
 est. Ac ut sit illis quod in tectum ferant, necesse est habeāt
 qui in aperto dent operas, & exerceant sub dio labores.
 Etenim fiunt hæc omnia sub aëre, noualis aratio, semen-
 tis, stirpium satio, pecoris passiones. Ex his ea suppeditan-
 tur quæ sunt ad uiuendum necessaria. Cùm fructus gene-
 ris huius domum fuerint illati, habendus erit qui impor-
 tata custodiat, & ea faciat, quæ ut rectè fiant, tectum de-
 siderant. Tecto opus est liberis infantibus alendis, confi-
 ciendis panibus, & cibis ex agri fructu, & item uestibus
 faciendis è lana. Cùm hæc utraq; & domestica & exter-
 na sint agenda curādaq;, Deus, ut mihi uidetur, statim ab
 initio naturam mulieris ad opera curasq; domesticas ido-
 neam fecit. Idem corpus & animū uiri sic condidit, ut to-
 lerantius frigora, æstus, itinera, militiam ferre possent. Il-
 li igitur agenda foris attribuit. Cùm uerò mulieri de-
 bilius corpus ad illa subeunda produxit, illi res domesti-
 cas mandasse mihi uidetur. Cumq; uideret se mulieri in-
 genuisse & destinasse liberorum infantium educationem,
 plus illi quàm uiro partitus est amoris infantie. Et cùm
 res importatas seruari & à muliere custodiri uoluisset,
 sciretq;

sciretq; non inutilem esse animum timidum ad rerum custodia, partem metus auctiorem sceminæ quàm uiro distribuit. Atq; prospiciens ei qui rebus externis daret operam, si à quoquam uiolaretur, opus fore animi uiribus ad se tuendum, impartiuuit illi maiorem fortitudinis partem. Quòd autem necesse esset utrunque dare & accipere, cõmunem in utroque memoriam diligentiamq; collocauit. Itaq; nescias explicare, uter sexus, uirilís ne, an muliebris, harum rerum plus habeat. Vtriq; cõmunem statuit abstinentiam, continentiamq;. Et uter illorum melior esset, siue maritus siue uxor, ei dedit facultatem plus illius boni secum auferendi. Quia uerò nec huius nec illius natura ad hæc omnia obeunda nata est, alter alterius eget ope: ac utilius duorum uinculum fuit: quoniam quæ deficiunt unum, potest alter. Ea nobis, uxor, animaduertenda sunt, quæ utriq; nostrum præscripsit Deus: nitendūq; ut quamoptimè peragamus, ego quæ mihi, tu quæ tibi cõgruentia sunt. Hæc & lex comprobatur, quæ uirū cum muliere coniungit, & non aliter atq; Deus constituit socios & participes liberorum. Lex etiam demonstrat ea decere, quæ Deus utriusq; uiribus aptiora fecit. Nam mulieri honestius est manere domi, quàm foris agere, & sub dio uiuere: uiro turpius degere sub tecto, quàm negocia externa curare. Quòd si quis agit præter ea quæ à Deo insita sunt, nihil fortasse deos fallit quod improbè & præter ordinem rerum cõmittit, atq; pœnam dat, quòd officium negligit suum, uel quòd agit ea quæ facere debet uxor. Videturq; mihi dux apum tale munus quale mulieris est, à Deo præscriptū subire, & domesticis rebus operam dare. Quibus, inquit uxor, muneribus fungitur apum dux, ut in

officio mecum debeat comparari? Confertur, inquam, propterea, quod manens in alueari, non sinit apes ociosas esse, sed quas in agro laborare est necesse, ad opus emittit: & quæ à singulis importantur, cognoscit ac excipit, seruatque: quoad necesse fuerit uti. Cum uero tempus utendi uenit, singulis quod iustum est distribuit. Iis quæ domi fauum texunt, præest, ut is pulchrè celeriterque cõtexatur. Quæ nascitur soboles, ut educetur, sedulo curat. Vbi educata est, & iam sibi noua examina laborare possunt, ut coloniam deducit unà cum ijs quæ ducem comitantur. Istà ne mihi, inquit uxor, erunt faciunda? Erit, inquam, tibi domi manentium: & quibus seruis erit externum negocium, illi tibi emittendi: quibus domesticum, imperio tuo cogendi. Quæ domum importantur, excipienda. Quæ statim consumenda fuerint, distribues atque dispensabis. Quæ in usum longiorem relinquenda, curabis: & custodiæ tradita seruabis, ne quod in annum conditum est, uno mense consumatur. Cum lanæ fuerint illatæ, dabis operam ut uestes conficiantur illis quos erit opus uestire. Curabis & frumentum siccum, ut uescantibus salubre iucundumque sit. Ex ijs quæ te curare decet, hoc unum quidem fortasse uidebitur esse gratissimum: Ut seruis omnibus si quo sint affecti morbo, curatio adhibeatur, uidentium tibi est. Gratissimum sanè, inquit uxor, si probe curati beneficium agnoscent, & beneuolentiores quam prius erunt. Illius ego responsum miratus, hæc addidi: Nonne mea coniux propter huiusmodi curationes quas apum dux adhibet in alueo, sic eam diligunt apes, ut si deserat, nulla cæterarum relinquendam putet, uerum sequatur omnes? Tum mihi respondit uxor: Mirum ni facta ducis huius ad te potius quam ad me pertinent. Nam mea custodia

dia rerum domesticarum, meâq; distributio, ridicula, ut opinor, esse uideatur, nisi tu curas aliquid foris importandum. Ridicula quoque (dixi ego) mea uideatur importatio, nisi sit qui seruet importata. Vidēs ne qui in dolium perforatum haurire dicuntur, quàm miseri sint, utpote qui frustra suscipiāt laborem? Sanè, inquit illa, miseri, ærumnosi, calamitosiq; sunt, id si factitant. Aliæ tibi sunt, inquā, propriæ curæ, nec iniucundæ, ut si quam lanæ tractandæ rudem ceperis ancillam, erudias, tamq; scientem reddas, ut in duplum augeatur illius precii. Si curandi penus et ministrandi imperitâ cum ceperis, gnaram fidelemq; penuariæ cellæ administram facias, & famulandi rationibus institutâ, omni precio dignâ possideas. Si frugi & ad rem tuâ familiarē utilia seruitia, pro tuo iure præmio domes: si quis seruorū uideatur improbus, eum castiges. Hoc autem mihi iucundissimū fuerit, si me melior esse uideare, meq; tuum ministrum reddas. Nec est cur uereare, ne cum longius prodierit ætas, minore precio sis apud me: sed tibi persuadeas uelim, quanto diligentius eorum quæ domi condita & asseruata fuerint, societatem mihi liberisq; seruaueris, tantò in ætate grandiore te plus honoris habituram domi. Nam quæ honesta bonaq; sunt, non hominibus in uita uenustate formæ, sed ornamento & decore uirtutis adaugentur. Ischomachus tandem: Talia, inquit, ô Socrates meminisse mihi uideor cum ea primùm disputasse.

Ischomache nostin', inquā, motā fuisse, tuisq; uerbis diligentiore esse factā? Sanè quidem, inquit ille, noui perculsam, nec paruo rubore suffusam, quod mihi nescio quid illatum petenti dare nō posset. Ego uerò cum tristitiâ concepisse uidissem, Ne grauiter feras, inquā, si quod quaero, Cap. XIII.

exhibere non potes. Est illa quidem manifesta pauperies, si quis id cuius indiget, non habet utendum: sed tristior indigentia, si quis quod requirit, accipere non potest, quàm si ab initio non peteret, eò quòd sibi deesse nosset. At uerò nō tu causa mali, sed ego, qui nec ordinem rerū digessi, nec ostendi tibi ubinam singula essent collocanda, uti cognosceres quo in loco poni, quoq; sumi oporteret. Nihil est homini tam utile, tamq; pulchrum, quàm digestus ordo. Etenim chorus ex hominibus constat: in quo si quisq; facit quod ipsi fortuna temerè obtulit, turba quaedam uidetur, & indigesta cōfusio, spectatoribus iniucunda. Cùm uerò omnes qui sunt in choro, & factis & uocibus utuntur compositè, digni sunt qui spectentur audianturq;. Exercitus quoq; si manet incōpositus, res est turbulentissima, & quæ uidetur hostibus captu facillima, amicis minimè gloriosa, ac penitus inutilis. In turba simul iumentum, peditatus grauis armaturæ, qui uehunt onera, sarcinas, impedimenta, miles leuiter armatus, eques, currus, quo pacto facient iter, si ita sibi sunt impedimento? si qui lentius graditur, currentē, currens stantem, currus equitē, asinus currū, qui fert impedimenta, grauem peditatū moratur ac impedit? Quòd si cōmittendum sit præliū, quē sic cōfusi dimicabūt? Nam quibus necesse est hostiū incursum fugere, hi si fugiūt, uel soli proterere armatos & conculcare possunt. Exercitus uerò pulchrè dispositus, & ordine collocatus, & amicis pulcherrimus uidetur, & hostibus prope modum inuictus et inexpugnabilis. Quis enim bene uolus haud spectet libenter armaturā grauem frequenti agmine gradientē? Quis nō admiretur equites cū ordine cōposito incitant equos? Quis hostis non terreatur uidens

disting-

Etos & aptè collocatos pedites impeditiores, equites, fe-
 rentarios, sagittarios, funditores, cùm suos quiq; duces
 ordine sequuntur? Atq; etiam si permulta millia compo-
 sitè incedūt non aliter ac quilibet unus uir, omnia quietè
 moderateq; progrediuntur, propterea quòd semper à ter-
 go locum uacū subeunt. Triremis instructa ac uiris mu-
 nita, quā aliam ob causam terribilis est hostibus, aut ami-
 cis aspectu iucūda, quā quòd celeriter et rapidè fertur?
 Cur qui nauigant, sibi nō sunt molesti, nisi quòd ex ordi-
 ne confident, ex ordine signum dant, ex ordine remis in-
 cumbunt, ex ordine ingrediuntur egrediunturq;? Rerū
 confusio tale quiddam mihi uidetur, quale foret si hor-
 deum, triticū, legumina cōmiseret agricola, deinde cū
 uel maza, uel pane, uel obsonio opus esset, tum qui singu-
 la depromere, & selectis uti deberet, separare atque se-
 ligere cogeretur. Vt in eam rerum perturbationem ca-
 das, nō erit necesse, chara coniuñx, si cognoscere uelis ex-
 quisitè ut quæ suppetūt bona, disponi & administrari de-
 beāt. Et ut facillè sumas quicquid erit opus, et mihi, si quid
 petā, hilarè suggerere possis, locū deligemus capiēdis sin-
 gulis congruentē. Vbi res suo quæq; loco positæ fuerint,
 ostendemus famulæ administræ, ut cū fuerit usus, inde
 sumat, ac rursus in eodē loco reponat. Ac ita cognosce-
 mus & quæ salua maneant, & quæ desiderētur. Nam lo-
 cus ipse, quod aberit, id desiderabit: & quod erit curan-
 dum ne corrūpatur, oculus inquirens uidebit: cognitioq;
 loci, ut quā primū quaq; re possis uti, eam in manum da-
 bit. Pulcherrimam quondā & accuratissimā, Socrates, in-
 strumētorum collocationē uisus sum uidere, ingressus spe-
 ctandi causa Phœnicum nauigium. Equidem permulta

in angustissimo uase distincta uidi. Multis enim ligneis instrumentis, multis funibus & eiusmodi rebus appellitur nauis, & soluitur è littore. Multis rebus quæ pendulæ uocantur, eget. Multis in hostilia nauigia machinis est armata. Multa uiris arma circumuehit. Omnia uasa ac instrumenta quibus utuntur homines domi, ad unūquodq; cōuiuij genus circumfert. Præter hæc omnia referta est oneribus quæ luci gratia dominus eius uehit. Quæ dico omnia, loco non multò maiore cōtinebantur, quàm qui decem lectulos quadrante mensura capiat. Eaq; sic disposita animaduerti suo quæq; loco, ut sibi non essent impedimento, nec indagator em desiderarent, nec imparata nec dissoluta sic iacerent, ut morā afferrent si quo illorū primo quoq; tempore esset utendum. Ministrū gubernatoris, qui à prora nauis appellatur *πρωτοδης*, ita peritū cuiusq; loci deprehendi, ut absens, ubi singula posita iacerent, & quot essent, tam facile, tam promptè diceret, q̄ literis doctus expediret quot in nomine Socratis literæ, & quo ordine sint constitutæ. Vidi cum hic ipse nactus ocium, recenseret omnia quibus in nauigio uti necesse est. Admiratus illius inuestigationē, rogauī quid ageret? Contemplor, inquit, si quid accidat, & instrumentis utendū sit, quomodo sitæ sint res in nauī, absit ne quicq; sit ne aliquid male tractabile. Non enim licet, cum Deus in mari tempestatem cōmouet, nec quod opus est, inquirere, nec quod motu difficile est, exhibere. Irascitur Deus & animaduertit in stolidos & incautos: qui si tantū non perdat nihil peccantes in arte nauigandi, eo maxime debent esse cōtenti: si uerò præclare omnia administrantes seruet, illi magna gratia habenda. Ego igitur cum uidissem hæc diligen-

ligentiã collocãdæ supellectilis, uxori dixi: Si qui uersan-
 tur in nauibus paruis & angustis, locũ tamen inueniũt: et
 quanq̃ grauiter iactantur, ordinẽ tamen seruant: quanq̃
 summo timore perterrentur, inueniũt tamen quod sume-
 re necesse est: nos erimus amẽtes & ignaui, si distinctis sin-
 gulis thecis & cellis quæ domi latè patent, si domo in sta-
 bili posita solo, nõ inuenerimus singulis rebus idoneũ &
 cõgruentem locũ. Quãm pulchrũ sit in ordinẽ digerere
 instrumentorũ supellectilem, q̃ facillè singulis inuenire lo-
 cum ubi domi ponantur, q̃ sit utile ad unũquodq; tum ser-
 uandum tum depromendũ, iam diximus. Nam pulcher Cap. xv.
 est ordo, cum calceamenta, qualiacunq; sint, bene colloca-
 ta digestaq; sunt. Iucundũ est uestes q̃uis nõ ita splendidas
 loco distinctas & ordine positas intueri. Iucundumq; sic
 uidere, stragula, ex ære uasa, ornãmẽta mensæ, & (quod
 omnium maximè rideret nõ uir grauis & honestus, sed scur-
 ra leuis & ridiculus) ollas, quas præ se ferre numerosum
 quiddã, si distinctè sederent & aptè, dicebat. Iam cætera
 omnia ex ordine collocata, aspectu iucũdiora sunt. Vnus-
 quisq; supellectilis ordo, similis est choro. Interuallũ me-
 diũ, cum procul stant ordines singuli, pulchrũ apparet: ut
 chorus qui ducitur in orbem, nõ ipse modò spectaculũ iu-
 cundũ est, sed illius etiã mediũ spaciũ pulchrũ spectantib.
 est atq; splendidiũ. Hæc si uera sunt quæ dico, licet, inquã,
 uxor, nullo detrimento, minimo negotio facere periculũ.
 Neq; uerò istud ægrè ferendũ est, quasi difficile sit inueni-
 re qui locos discet, qui singula distinguere suisq; redde-
 re locis meminerit. Nam scimus decem partium millibus
 amplius esse toti ciuitati, q̃ nobis: attamen qualemcunq;
 seruuum iusseris aliquid emere tibi, et è foro domũ inferre,

is nihil hæsitabit, sed quiuis intelligere uidebitur quò sibi sit eundum, ut inde quicquid imperaueris, sumat. Huius quidẽ nõ alia causa est, quàm loco descripta rerũ collocatio. Si quis autem quærat hominẽ etiam nõnunquã uicissim requirentẽ, sæpenumero laborẽ antè recuset, quò optatum inuenerit. Cuius haud alia causa est, quò quòd locus minimè definitus est ubi quisque sit expectandus. Talia de suppellectilis ordine et usu meminì me cum uxore disputasse. Quid uxor, inquam? uidebatur ne tibi Ischomache libenter audire quæ studiose docebas? Quid, inquit? Promittebat se esse curaturã. Magna lætitiæ uoluptate perspiciuẽ uidebatur affecta, non aliter atque si ex inopia copiam, ex difficultate facultatem reperisset. Me rogabat, ut quemadmodũ dicebã, primo quoque tempore ordinem constituerem. Dic sodes Ischomache, quãnam locos et res ei descripsisti? Quãnam? Primum mihi uisum est ostendere mulieri uim domus et facultatem. Non illa Socrates uarijs ædificijs ad uoluptatẽ et ostentationem pertinentibus ornata est, sed tectis eò comparatis extructa, ut essent quasi uasa rebus cõdendis longè utilissima. Itaque loca res sibi congruentes exposcere uidebantur. Nam thalamus, propterea quòd est in munitiore parte domus, stragula et uasa carissima aduocabat: sicca tecta frumentum, frigida uinũ, illustrata, quicquid operis et suppellectilis petit lucẽ. Cœnacula reficiendis hominibus exornata monstrauì, quæ essent æstate frigida, mensibus hybernis calida. Demõstrauì et uniuersam domum meridianæ plagæ et australibus uentis apertã, ut manifestè uideretur hyeme locus apricus, umbrosus æstate. Ostendi quoque gynæcei portam ab androniide, hoc est, ab ea parte domus in qua

qua uiri à mulieribus separati uersantur, balneo esse distin-
ctam, ne quid ex ædibus, quod nõ liceat, exportetur, et ne
serui dent operã liberis præter nostrã uoluntatem. Nam
plerunq; boni cum liberos procrearunt, beneuolentiores
sunt: improbi uerò matrimonio cõiuncti, ad dolũ malum
& occultã fraudem proniores. Hæc ubi transegimus, **Cap. XVI.**
sic generatim instrumentũ supellectilemq; distinximus.
Primum cœpimus in unum conferre omnia quibus in sa-
crificijs utimur. Post hæc ornatum muliebrem diebus fe-
stis comparatum, uestemq; uirilem ferijs & bello destina-
tam separauimus. Stragula diuisimus et quæ ad gynæceũ
pertinerent, & quæ ad locum uirorum quem uocamus
andronitidem. Calceamenta muliebria, calceamenta ui-
rilia. Armorum fuit alius ordo, alius instrumentorũ quæ
ad textrinam pertinent, alius eorũ quæ ad molendum fru-
mentum, alius ad obsonia, alius ad balneũ, alius ad subi-
gendam farinam, alius ad mensas. Hæc omnia locis discre-
uimus, & ea quibus semper utendum, & ea quæ cele-
brandis conuiujs seruiunt. Quæ consumuntur in men-
sem, separatim seiunximus. Bifariam, quæ ratione subdu-
ctã reponebamus in annum, collocauimus. Sic enim mi-
nus est obscurum quomodo ad finem exitumq; perducen-
tur. Posteaquã generatim descripsimus omnem rerum
quas enumerauit copiã, singulas in congruentes locos por-
tandas curauimus. Postea uasa & instrumenta quibus u-
tuntur quotidie serui, ut quibus panis, obsoniũ, tela para-
tur, & si quid est generis eiusdem, utentibus tradidimus,
ac ubi essent collocanda, mōstrauimus: iussimusq; ut quæ
à nobis accepissent, ea salua præstarent. Ea uerò quib. uti-
mur diebus festis, & tractandis hospitib. & ijs rebus ager-

dis quæ longo tempore intermittuntur, ancillæ tradidimus ei cuius esset custodiendi promendiq; munus: atq; demonstratis locis, numeratis omnibus, & in tabulas relatis, illi iussimus ut unūquodq; daret ei cui dari oporteret: & cui quid dedisset, memoria teneret, ac illud receptum eò restitueret unde cepisset. Huic dispensationi inito consilio præfecimus eam, quæ temperatissima nobis esse uidebatur, & uentri, uino, somno, ueneri minimè dedita: quæ præterea firmissima esset memoria, ac prouideret ne quod à nobis negligens malum caperet, uideretq; ut nobis aliquid gratificans, dignum precium ferret. Docebamus eam & beneuolo erga nos esse animo, si quando lætitia frueremur, cum illa participantes: si quid triste molestumq; accideret, in partem uocantes. Docebamus & rei familiaris curam magno studio suscipere, & augere nobiscum domum, utpote cui cognoscendi & agnoscendi potestatem faciebamus, & res prosperas cum ea cōmunicabamus: inducebamusq; mulieri iustitiam, cū digniore loco iustos quàm iniustos statueremus, & bonos maiore cum peculio & libertate uiuere apud nos, quàm improbos ostenderemus. Et eam quidem eo in loco statuebamus. His rebus omnibus cōstitutis, uxori dicebam, nihil hæc omnia profutura, nisi diligenter curet ipsa, ut cuiq; suus permaneat ordo. Eamq; docebam, in ciuitatibus quæ bonis legibus administrantur, haud satis uideri ciuibus si leges præclaras scripserint, sed & legum custodes ab ijs legi, qui speculantur & obseruant, & quem uident iura legitima seruantem, laudant: quem præter leges agentem, plectunt. Leges igitur ferre, & domesticis legibus custodiendis uxorem præesse iubebam: ac cū ita censuisset, re-

censere

censere supellectilem, & inspicere an bene singula partes haberent, haud secus atq; praesidij caput recenset custodias, atq; rationes officij reposcit, ac ueluti Senatus ille cui βασις, id est, consilium nomen est, in equos & equites inquirat. Hortabar ut quasi regina laude & honore cumular et merentem, quantum praesens sineret potestas: conuicio & poena afficeret illum, quem uituperari castigariq; opus esset. Docebam quoq; nihil esse cur molestè ferret, si ipsi plura quam seruis de re familiari tuenda negotia committerem. Equidem ostendebam fortunas heriles ad seruos tantum pertinere, quantum inter est illorum reddere, administrare, custodire: nemini illorum, cui non dederit dominus, uti licere. Omnia domini esse: illum, cum uelit, omnibus uti posse. Ad quem igitur rebus saluis maximum commodum, perditis summum detrimentum perueniret, illi curam diligentiamq; maximè congruere dicebam. Quid Ischomache, inquam, haec ut audiuit uxor, qui tibi monenti iubentiq; paruit? Quid? inquit: Illa respondit me non rectè sentire, si cum docerem, bona parte diligenter esse curanda, putarem me dura ac molesta praecipere: durius existimandum, si se nulla rerum suarum cura teneri iuberem, quam si propria curare bona imperio meo cogatur. Natura comparatū, ut quemadmodum iucundius est mulieri sapienti curare liberos quam negligere, sic & illi suauius sit rerum facultates, quæ propterea quòd propriae sunt, delectant, administrare diligenter, quàm per incuriam postmittere. Ego cum audissem, inquit Socrates, haec illi respondisse mulierem, dixi: Ita propitiam uolo mihi Iunonem Ischomache, uirilem mulieris mentem praedicat. Alia quidem, inquit Ischomachus, ab illius

animi magnitudine profecta tibi narrare uolo: quæ cum
 semel audisset à me, probauit, ac cōtinuò morē gessit. Ego
 autem, *Quenam?* cedo: nam mihi multò iucundius est ui
 uere mulieris audire uirtutem, quàm si Zeusis egregiè pi-
 Cap. xvii. Etam lineamētisq; pulchris efformatā ostenderet. Hinc
 Ischomachus: Ego quidem cum illam quondam uidissem
 multo psimithio, id est, cerussa, ut candidior quàm esset,
 esse uideretur, illitam fricatamq; multoq; herbæ succo,
 cui nomen est enchusæ, suffusam, uti supra ueritatem ru-
 bor appareret: altosq; calceos habentem, quò uideretur
 procerior quàm natura tulerat. Dic, inquam, cōiunx, iu-
 dicarēs ne me fidelem magis & amore dignum bonorum
 sociū, si facultates & fortunas meas ostenderem ut sunt,
 nec iactatione insolens plura mihi esse bona prædicarem
 quàm sunt, nec aliquid te rerum mearum celarem, quàm
 si te fallere contenderem, diceremq; me plura possidere
 quàm possideo, & ostentarem argentum adulterinū, atq;
 explicarem tibi monilia ligno subiecto fucata, & uestes
 purpureas deflorescentes dicerem esse ueras? Continuo
 uerbis subsecuta, Bona uerba quaeso, inquit, ne tu talis
 esto. Non enim si ita te cōparares, ex animo diligere pos-
 sem. Nonne, inquam, cōuenimus ut corpora inter nos cō-
 municaremus? Aiunt, inquit. Vtrum igitur uiderer in so-
 cietate corporis amabilior esse, si adhibita cura corpus
 meum conarer præstare tibi sanum atq; robustum, & id-
 circo uero & bono colore suffusum, quàm si minio deli-
 butus, oculis pigmento quod *αιδρανελον* uocatur, subun-
 ctis, me ipsum ostentarem, te in hac societate uitæ falle-
 rem, minium loco mei coloris uidendum tangendumq; præ-
 berem? Ego, inquit illa, nec minium libentius tangerem,
 quàm

quàm te: nec illitum pigmentum & oculos subunctos ma-
 iore cum uoluptate uiderem, quàm uerum colorem, quàm tuos o-
 culos aut alios bona ualetudine uigentes. Me quoque uxor,
 inquit Ischomachus, existima nec cerussæ nec enchusæ co-
 lore magis quàm tuo delectari: sed quemadmodum dii im-
 mortales equos equis, boues bobus, oues ouibus iuncūdis-
 simas esse uoluerunt, sic & homines hominis corpus sine
 ullo fuce purum, suauissimū esse putant. Fucus & istæ fal-
 laciæ externos quodammodo sine reprehensione decipe-
 re possent: eos uerò qui semper unà uersantur, deprehen-
 di necesse est si inter se fallere contentur. Aut enim cum sur-
 gunt è lectulo, priusquàm se pararint deprenduntur, aut
 à sudore patefiunt, aut à lachrymis indicantur, aut cum la-
 uantur, ueritas apparet. Tum ego: Quid per deos ad hæc
 respondit? Quid? inquit ille: Nihil unquam tale postea
 attentauit, nitidam uerò & decenter ornatam se ostende-
 re conata: & me adeò rogauit, si quod dare consiliū pos-
 sem, & efficere ut nō solum pulchra uideretur, sed etiam
 reuera talis esset. Ego quidem, inquit ille, hoc illi dedi con-
 siliū, ne seruili more semper consideret, sed dijs exora-
 tis contenderet, uti dominam decet, ancillam telæ præfe-
 ctam, quod melius nosset, edocere: quod deterius, ab ea
 discere: obseruare pistorem, adesse famulæ cui promen-
 di munus esset, aliquid metienti: circumire, & perspice-
 re suò ne quæque loco iacerent. In his enim diligentia si-
 mul & deambulatio esse mihi uidebatur. Dixi quæ salu-
 brem esse corporis exercitationem, tingere, lauare, fari-
 nam subigere, uestes & stragula excutere & compone-
 re: eam quæ sic exercetur, iucundiores sentire cibos, inte-
 griore esse ualetudine, uero colore florentiorem uideri, il-

lius aspectum iucundiorē esse: facies quoq; (quādo cum
 sinistra cōtendit) cū sit mundior, & compta decentius,
 mouet, maximē cū libens obsequitur, non ut ancilla coa-
 cta subministrat. Quæ uerò semper desident, & immodi-
 cē graues esse uolunt, inter splendide uestitas, fallaciq; pi-
 gmento abutentes, sese accusandas offerunt. Nunc certō
 scias uelim Socrates, uxor insūtuta meis rationibus ita ui-
 uit, ut illi tradidi præcepta, utq; nūc tibi narro. Inde pro-
 gressus, Ischomache, inquam, satis mihi uideor priore lo-
 co res uxoris audisse, quæ sunt utriusq; nostrū laude di-
 gnissimæ: iam tuas expone, ut & tu uoluptatem capias
 ex eorum narratione, quæ faciunt ut bene audias ab om-
 nibus: & ego ubi res omnes honesti boniq; uiri exaudie-
 ro didiceroq; , si fortē discere possim, habeam tibi magnā
 gratiam, acceptumq; beneficium agnoscam. Me Deus a-
 met, inquit Ischomachus, quæ facio, tibi Socrates exponā
 libenter, ut si quid tibi perperam facere uideor, me cōpo-
 nas, & reddas aptiorem. Quōnam, inquam, iure te cōpo-
 nam, cōgruentioremq; reddam, uirū honestum bonumq;
 factū? Id ne ego possum, qui res nugatorias fabulasq; effu-
 tire, & aërem metiri uideor, & (quod extremæ demen-
 tiæ crimen uidetur) pauper appellor? Nec mediocriter
 Ischomache sollicitaret animū meū & angeret hoc inopiæ
 crimen, nisi paucis his diebus equo Nicie peregrini ob-
 uuius fuissē, uidissēq; plures qui spectandi causa seque-
 bantur. Cū adessent qui multis eum uerbis laudarent,
 ego quidem admotus equisonē rogauī, an equus ille mul-
 tas haberet opū facultates. Ille cōiectis in me oculis quasi
 dementē & insanū qui sic rogarē: Quo pacto, inquit, es-
 sent equo diuitiæ? Hoc modo respirare cœpi, animoq; re-
 creari,

creari, quòd audiſſem equum pauperem, ſi nature benefi-
 cio bona præditus eſſet anima, bonũ fieri licere. Sic enim
 licet & mihi eſſe bono. Narra planè quid agas, & tuas a-
 ctiones omnes expone, ut ſi poſſim diſcere auſcultàs, ego
 te cras exorſus imitari contendam. Etenim lætus eſt dies
 & felix, quo uirtus incipiat exerceri. Ludis Socrates, in-
 quit Iſchomachus. Ego tamen exponam tibi quæ moli-
 or, quoad poſſum ſtudent agendo tranſigere uitã. Cùm
 dididiſſe mihi uiderer deos hominibus rei bene gerendæ
 poteſtatem non dediſſe ſine cognitione rerum gerenda-
 rum, & perficiendi quod opus eſt, diligentia: prudenti-
 bus uerò, & rem diligenter adminiſtrantibus, alijs pro-
 ſperitatẽ cõmoditatẽq; dare, alijs negare: his rebus ad-
 ductus equidem deos colere cœpi, ac precibus impetrare
 cõtendi, & hodie cõtendo, ut proſperã mihi ualeitudinem
 uiresq; corporis tribuant, honorẽ in ciuitate, beneuolen-
 tiam in animis amicorũ, ſalutẽ non inhoneſtã in belli peri-
 culo, incrementum ſine crimine in re familiari. Hæc ego
 cùm audiſſem, Cur æ ne, inquã, tibi ſunt Iſchomache ra-
 tiones diteſcendi? Laborãs ne quò ſis diues, & multis opi-
 bus auctus, multas, ſi diligenter omnia curare uelis, mole-
 ſtias patiare? Maxime, inquit ille, mihi curæ ſunt quæ ro-
 gas. Nam mihi iucundũ ſuaueq; eſt magnificẽ deos orna-
 re: & amicos, ſi quid opus, adiutare: & urbem per me
 nõ eſſe rebus inornatã. Hic ego: Quæ narraſ Iſchomache,
 certè quidem præclara ſunt, ac præpotentis animi uiro di-
 gna. Nam quĩ fiat aliter? Cùm multi ſint homines qui ui-
 uere non poſſunt quin egeant, & ab alijs auxiliũ petant,
 multi ſecũ præclare agi putent & acquieſcant, ſi quod ſa-
 tis eſt, ſibi ipſi ſuppeditare poſſint: ij qui domũ ſuam non

regere solum queunt, uerum etiã rem tueri qua & urbem decorent, & amicos subleuent, nõne uiri sublimes & prepotentes sunt habendi? Atenim ego & imperita multitudine hoc genus hominũ laudare possumus. Tu uerò Ischomache pergenarrare quæ coepisti, quomodo ualetudine cures, ut robur corporis firmes, quo pacto liceat tibi uitare belli pericula, quæ rei familiari des operam, quibusq; modis augeas domũ: postea cõquiescam, hæc audisse contentus. Hæc, ut mihi uidetur, inquit Ischomachus, consequentia sunt omnia. Nam cum satis alimenti suppetit homini, & quantum sat est, tantum esse potest. Si iusto labore exerceatur, eum facilius diutiusq; ualetudinem seruare posse existimo. Elaboranti uires magis accrescunt. Exercenti res bellicas, salus honestior. Adhibenti curam tempestiuam, nõ molli desidia languenti, par est rem familiarum magis ac magis increescere. Quod ais, inquã, cum qui elaborat, qui diligentiam adhibet, qui se exercet, plura bona cõparare, sequor Ischomache, & ad eum finem assensu progredior. Hæc uerò libes audiam, quo labore sit opus ad bonam ualetudinem, uiresq; firmandas, ut exerceas arma, quibus modis fortunas augere contendas, ut & amicos adiutare, & urbem confirmare possis. Ego qui dem, inquit, tum è lectulo surgere consueui, cum domi adhuc quempiã deprehensurus sim, si quo mihi conuento sit opus. Quod si qua mihi sunt in urbe negocia, prodeò, & in illis conficiendis hac utor deambulatione. Si in urbe nihil est quod agam necessariò, puer antecedit, & rus equũ ducit: ego uerò quasi deambulans iter in agrum facio: ac ita melius fortasse corpus exerceo, quàm si in arena athletarum deambularem. Cum in agrum perueni, si qui mihi sint

hi sint qui aut arbores serant, aut noualibus dent operam, aut semen spargant, aut fructum apportent, eorum labores inspicio: qui fiant opera quæq; perpendo, si quid habeo melius quam quod adest, ad illud opus dirigo, & aptius rem compono. Postea insidens equo, frequenter cursus & recursus bellicis & necessarijs simillimos inire, nec obliquo nec aduerso, nec fossæ nec riuo parcere consueui. Curo tamen, quoad possum, ne cum facit hæc, claudus fiat equus. Puer excipit illum, domumq; abducit, id ex agro secum ferens in urbem quod nobis opus est. Ego uerò ubi nunc pedetentim, nunc cursim domum reuersus sum, loto curatoq; corpore prandeo, tantumq; alimenti sumo, ut neque uacuius, neq; ninium plenus exigere diem possim. Tunc ego: Ita uolo mihi propitiam Iunonem, ut quæ faciis Ischomache, mihi probantur ac placent. Nam tempore eodem rebus uti & ad ualetudinem & ad uires comparatis, & exercitatione militari, & amplificandi patri monij cura teneri, res admiratione plenæ mihi uidentur. Atque adeo singula istorum curare te diligenter, argumenta firma demonstrant. Nam serè semper esse te, dijs iuuantibus, & bona ualetudine, & firmo robore uidemus, ac inter optimos equites & ditissimos ciues numerari scimus. Hæc, inquit, tametsi facio, plures tamen me grauius calumniantur. Tu fortasse dicturum putabas, me à pluribus honestum bonumq; dici. Imò uerò, inquam, rogatu Cap. XIX. rus eram, id ne tibi curæ esset, aliquid dicendo posse, & sustinere ex aduerso dicentem, si quando opus esset altercatione. Non tibi quidem uideor, inquit, meditari quomodo causam ueluti reus dicam? quippe qui nemini iniuriam facio, multis pro uiribus beneficiū do. Nec existimas, cre-

do, me in accusandis hominibus exerceri: quanquam scio qui priuatim multis afferunt iniuriã, qui que ciuitati nocent, nemini beneficiũ tribuunt. At hoc etiam mihi ostẽde quæso Ischomache, exerceãs ne te in eiusmodi rebus explicandis? Non, inquit, desino sic exerceri, & explicare quod sentio. Aut enim cum audio seruũ uel accusantem uel defendentem, refellere contendo: aut aliquem apud amicos uel obiurgo, uel commendo: aut ex compromisso inter amicos litem dirimo, nitorq; docere quanto melius sit ac utilius eos amicitia iungi: aut militum duci adsumus, & hostes redarguimus: aut quempiam defendimus, si criminis iniuria postulatur: aut accusamus alius alium, si quis immeritò mulctatur. Ac sæpenumero cum deliberamus, quæ perficere cupimus, ea laudamus: quæ uerò efficere nolumus, illa uituperamus. Iam uerò, ô Socrates, sæpe in ius uocatus sum præscripta iudicij forma, quo me supplicio, quæue mulcta affici oporteret. A quo? dic inquit Ischomache, hoc quidẽ nesciebam. Ab uxore, inquit. Quinam contendis? Cum uera dicere contingit, æquitate summa. Quum autem falsa, rationem deterioreẽ ô Socrates, ita me deus amet, haud possum reddere melioreẽ. Tum ego: Non potes forsã Ischomache perficere ut falsum sit uerum. At ego iam non sum tibi impedimento quò minus ab eas si uelis. Nequaquam uerò, inquit. Equidem nõ antè discedam, quàm dimissum sit omnino conciliũ. Certè, inquam. Nam diligenter obseruas ne cognomẽ illud quo uir honestus bonusq; uocaris, amittas. Nunc enim, cum tibi fortasse multa sint negocia quæ curã diligentiamq; tuã desiderãt, quia tamẽ cum hospitibus pactus es te expectaturũ, ne uiolata fide decipias, illos opperiris. At uerò, inquit,

nec

nec illa quæ narras, mihi curæ non sunt: sunt in agris qui mea negocia procurant. An Ischomache cum scis tibi opus esse uillico procuratore, si noris quo in loco sit uir qui probè munus illud obire possit, illum emere contendis, nō aliter quàm cum eges architecto, sic tibi peritum uideas, illum comparare conaris: an ipse doces tuos procuratores? Ipse quidem certè docere conor. Etenim quisquis futurus est idoneus qui me absente res meas curet, quid aliud eum scire opus est quàm quæ scio? Nam si idoneus sum qui operibus præsim, alium sanè quæ ipse teneo, docere potero. Primum igitur, inquam, tibi tuisq; beneuolus esse debet, si in tuum locum suffectus, omnia præsens satis cōmodè curaturus est. Nam sine beneuolentia quis est usus qualiscunque prudentiæ scientiæq; procuratoris? Nullus planè, inquit. At enim primum docere, mihi meisq; bene uelle, contendo. Quo pacto per deos tibi tuisq; bene uelle doces quencunq; uis? Id assequor beneficio dato, si cuius boni copiam dii nobis tribuant. Hoc igitur dicis, eos qui tuis rebus fruuntur, esse beneuolos, & tibi benefacere uelle. Hoc, ô Socrates, optimum esse uideo beneuolentiæ instrumentum. Si tibi sit beneuolus, Ischomache, idcirco ne idoneus erit qui res tuas procuret? Nōne uides cum homines, penè dicam omnes, sint sibi ipsi beneuoli, tamen esse multos qui curare nolunt ut assequantur ea, quæ sibi uolunt esse bona? At certè, inquit, quum tales constituere uolo procuratores, curam atque diligentiam adhibere doceo. Quonam modo per deos immortales? Hoc ego quidem nullo modo tradi posse existimabam, credebámque neminem consequi posse docendo, ut alium faceret administrum diligentem.

Nec istud quidem fieri potest, inquit, ut sic omnes deinceps quis docendo curatores efficiat diligentes. Quos, inquam, facere licet, illos designa mihi planissimè. Primū, inquit, haud possis intemperantes uini, sedulitate ac diligentia donare. Ebrietas enim inducit obliuionem rerum omnium quas agere oportebat. Tum ego: Soli ne ebriosi diligentes studiosiq; curatores esse non possunt, an & alij quidam? Ad hæc Ischomachus: Næ sunt alij, ut somniculosi. Nec enim dominus ipse dormiens, quæ opus est, efficere, nec ut alij efficiant præstare poterit. Quid igitur, inquam? Isti ne soli nobis erunt qui hanc diligentiam minimè poterunt edoceri, an etiam præter hos alij quidam? Mihi quidem, inquit, uidentur ij qui insano tenentur amore rerum uenerarum, sic institui non posse, ut aliud magis quam suam uoluptatem curent. Nec enim facile reperias aut spem aut curam iucundioram, quam quæ pertinet ad amorum uoluptatem. Nec uerò cum instet res agenda, supplicium grauius inuenire promptum est, quam amorum congressione prohiberi. Non igitur contendo ut eorum quos noueris eiusmodi, quempiam rebus tuis curandis præficias. Quid? ij qui quæstus amore capiuntur, nullò ne modo operum rusticorum curam doceri possunt? Num tibi uidentur indociles? Haudquaquam profectò, inquit Ischomachus, sed perquam dociles. Hoc solum docendi sunt, quæstuosam esse diligentiam. Ceteros, inquam, si se ab ijs quæ iubes, abstinent, & quæstum mediocriter amant, qui doces ut uis rebus curandis incumbere? Admodum simpliciter & apertè, ô Socrates. Nam si diligentiam adhibere, et ardere uideam, laudo, & illis honorem tribuere cõtedo: si negligentes animaduerto, dicere conor ac facere quæ morde-

mordebunt eos. Perge Ischomache, & à sermone quem Cap. XXI.
 de tradenda cura atque diligentia habuisti, digressus, hoc
 mihi de erudiendo planum facito, possit ne qui solutus est
 ipse ac negligens, alios efficere diligentes? Nihilò magis,
 inquit, quàm rudis musicæ, reliquos musicã docere. Diffi-
 cile est, cum præceptor improbè docet, eum facere ut au-
 ditor probè discat: & cum torporem indiligentiãq; se-
 quendam dominus ostendit, haud facile est seruum fieri di-
 ligentem. Vt breuiter dicã, improbi domini seruos pro-
 bos & frugi non memini me nouisse, probi uerò impro-
 bos iam cognoui, non tamen qui nihil damni fecerint.
 Quòd si quis aliorum uelit auferre languorem, ac uere di-
 ligentiam, is opera inspiciere & exigere debet, & auctori
 bene confectorum gratiam referre, cessatori dignum sup-
 plicium non differre. Præclara mihi uidetur illa barbari
 cuiusdam responsio, cum rex equum bonum nactus esset,
 ac illũ pinguem quamprimũ efficere uolens, interrogas-
 set unum ex ijs qui equos alendi periti uidebantur, quid
 equũ pinguem faceret celerrimè, Oculus domini, inquit.
 Sic & alia mihi uidetur oculus domini pulchra atq; bo-
 na maximè reddere. Cum magnopere persuaseris alicui
 diligenter esse curanda quæ uelis, is ne iam idoneus erit
 qui tua procuret, an & aliud ei discendum, si idoneus pro-
 curator est futurus? Sanè, inquit. Nam præterea reliquũ
 est cognoscere quid agendum sit, & quando, & quomo-
 do. Alioqui si tollas hæc, quĩ maior procuratoris usus, q̃
 medici qui operam daret egrotanti, uiseret illum manè
 & uesperì, quid adhibendum faciendũmuc esset, ignora-
 ret? Si, inquam, didicerit quomodo sint opera faciunda, a-
 liud ne deerit illi, an iam perfectus is erit tibi procurator?

Discendum est, opinor, quâ operarijs debeat imperare. An igitur & tu doces uillicos procuratores ut apti sint ad imperandum? Ego quidem, inquit, enitor & cõtendo. Quânam per deos, inquam, sic instituis ut hominibus imperare possint? Tum Ischomachus: Admodum ridiculè & ineptè. Itaq; fortè ridebis, hoc si audias. Cui ego: Non est ea res digna risu. Quisquis enim peritos imperandi facere, idem sine dubitatione docere potest alios ut herili fungantur imperio. Quicumq; uerò dignos qui dominentur efficere nouit, nouit & instituere reges. Non igitur ridiculus, sed magna laude dignus ille mihi uidetur, qui id facere potest. Ad hæc Ischomachus: Cetera igitur animalia ex duabus his rebus obtemperare discunt: pœna, cùm recusant imperium: beneficio, quum libenter seruiunt. Equi teneris annis domitoribus parère discunt, quum morem gerentibus aliquid suaue iucundumq; præbetur: excutientibus iugum, molestia exhibetur, quoad uoluntati domitoris obediuerint. Et catuli, quanquam mentis acuminè & lingua, multò hominibus inferiores sunt, ut rationis atq; sermonis expertes, circumcurrere tamen, natate, saltare, & alia multa discere eodem modo coguntur, si cùm parent, aliquid sibi necessarium capiant: cùm cessant, & iussa non faciunt, puniuntur. Homines obediuntiores efficere possis, si ratione & sermone demonstras illis utile esse parère. Seruos autè ut parère doceantur, facile pellicit ea quæ bestijs uidetur adhibenda disciplina. Nam si illorum uentri, cùm desiderio tenentur, indulgeas & gratificeris, perficies ut multa cõficiant. Quæ uerò naturæ sitiunt honorem, laudibus excitantur. Laudis enim fame & siti non minus quædam laborant, quàm aliæ

aliæ cibi potusq;. Hæc igitur quæ cum ipse facio, obedientioribus ut opinor hominibus utor, docens eos quos præficere uolo procuratores, hæc præterea adijcio. Quas uel stes & quæ calcamenta operas à me capere necesse est, non omnia paria, sed alia deteriora, alia meliora conficio: ut meliorem melioribus exornem, deteriori deteriora tribuam. Nam bonis haud mediocriter animus remitti frangiq; mihi uidetur, cum uident opera à se perfecta, atq; illos qui parem capiunt mercedem, neque laborare, neq; cum opus est, periclitari uelle. Itaque & ipse meliores ac diligentiores pluris facio, quam qui paria quouis modo cum deterioribus capiant: & procuratores quos optima dignissimis dedisse uideo, laudo. Quòd si quem uideam aut adulationibus, aut alia quadam inutili gratia cæteris anteponi, non leuiter fero, sed eum qui præfert, obiurgo, & quoad possum doceo non esse utile rationibus eius id facere. Cum quis iam factus erit idoneus qui imperet, ac dicto audientes reddat ministros, cum ne putas Ischomache uillicum perfectum, an etiam ei cui insunt ea quæ numerasti, aliud quidpiam deest? Sanè, inquit, nempe ut abstineat se à rebus domini, et nihil furetur. Nam si qui fructus administrat, sic eos audeat amoliri, ut ne relinquat quidem unde faciundis operibus impensæ fiant, quid illo curante proderit arare? An & hanc iustitiam tradendam suscipis? Maxime, inquit Ischomachus. Non omnes equidem sic comparatos inuenio, ut huic doctrinæ subauscultent. Atqui & ex Dracontis legibus quædam, & ex Solonis nonnulla excipiens, inducere seruos in iustitiam contendo. Hi quidem uiri multas leges de iustitia quæ ad hanc rationem docendi ministri pertinet, tulisse mihi

uidentur. Est enim caput scriptum de puniendis furtis, et de uinciendo fure in scelere deprehenso, & de necandis ijs qui aggrediuntur, atq; uim afferunt. Perspicuum quidem hæc eos scripsisse, quòd turpem quæstû maleficis inuilem esse uellent. Ego igitur ex illis aliqua, et è legibus regijs alia decerpta cum profero, seruos in administrandis rebus iustitiam seruare doceo. Illæ quidem solùm pœnæ sunt maleficis. Regiæ uerò nō solùm animaduertūt in eos qui iura uiolant, sed etiam iustos præmio donant. Itaque multi qui lucrū sectantur, cum uident iustos iniustis fieri ditiores, libenter permanent insontes. Quos autem sentio tametsi beneficium capiunt, tamen eniti rem per iniuriam subtrahere atq; furari, eos ut insanabili auaritia iam captos, usu rerū mearū priuo. Quos uerò nouerim mentem ad iustitiã erigere, & eius amore pellici, nō modò ut illius beneficio rem augeant, sed etiam uti meis laudibus ornentur, illis iam non aliter atq; liberis utor, nec opes solùm, sed & honores ut & honestis & bonis exhibeo. Hoc enim mihi cupidus honoris auaro præstantior uidetur, quòd laudis honorisq; causa, cum opus est, laborare, & periculum adire, lucrisq; turpibus abstinere uult.

Cap. XXII. Enimuerò cum persuaseris alicui tuorum ut tibi sit beneuolus, & sic induxeris ipsius animum, ut ea perficienda curet quæ scit esse cōmoda: cum præterea comparaueris illi scientiam, ut quæ fiunt opera, sint utilissima: deinde cum dignum qui præsit effeceris, & tandem iustitia ac uirtute formaueris, ut fructus qui percipiuntur è terra, suo tēpore tibi demonstret atq; reddat uberrimos, haud secus ac tibi ipse faceres: non iam rogabo talī ne seruo quicquā etiam desit: nam procurator eiusmodi magni iam mihi faciun-

faciendus uidetur. Illud tamen Ischomache, quod oratione percurrimus celerrimè, ne relinquant. Quod istuc? inquit: Si quis disceret quomodo quæque faciunda essent, id esse maximū dicebas. Alioqui nihil hominis curam prodesse confirmabas, nisi sciret quæ facere opus esset, & quomodo. Tum Ischomachus: Me iubes, inquit, ô Socrates, agriculturam ipsam docere. Ea quidem est, ut iam dixi, quæ *Agricultura.* scientibus opes, ignorantibus multos labores & inopiam uictus affert. Nunc igitur artis huius audies in nos benignitatem. Cùm sit utilissima, atq; tractatu iucundissima, cum perhonestas sit, & dijs & hominibus oppidò grata, præterea captu facillima, eâne benigna generosaq; est? Nam generosa uocamus animalia, quæ cùm pulchra, magna utiliaq; sint, erga hominum genus sunt mansueta. Hoc Ischomache satis didicisse uideor, te docente quemadmodum sit docendus uillicus procurator. Ut enim dixis illum tibi reddere beneuolum, diligentem, imperandi peritum, iustum, didici. Quod uerò confirmasti, eum qui rectè curaturus est agriculturâ, discere oportere quæ & quomodo & quando facienda sint opera, hoc equidem mihi uideor celerius oratione percurrisse. Ut si dixisses literas ei tenendas qui uerba scripturus esset, & scripta lecturus, ut hæc ad meas aures peruenissent, literas esse tenendas audissem: hoc autem cognito, nihilo magis opinor literas scirem: haud secus & nunc adductus sum facile ut crederem, tenendam esse agri colendi rationem ab eo qui rectè curaturus est illam: quod etsi noui, nihilo tamen magis intelligo quo sit ager modo colendus. Quod si mihi quamprimū uiderer agricola, similis essem circūuoluitanti medico, qui uisit ægrotos,, quid illis profit igno-

rat. Itaq; si non sim talis, edoce me agriculturæ munus & opera. Enimuero, inquit Ischomachus, nõ quemadmodũ cæteræ artes, quas qui discunt, multũ temporis illis tribuere coguntur antequàm uictum suo labore parare possint, ita captu difficilis est agricultura, sed partim qui dant operas, intuens, partim subaudiens, illam breui scies, sic ut et alium si uelis edocere possis. Non tibi uenit in mentem, credo, quantum scias illius artis. Etenim cæteri artifices summas artis cuiusq; cõmoditates opportunitatesq; celant: in agricolis qui optimè ferit arbores, maximè letaretur si quis eum spectaret. qui optimè seminat, eodẽ modo: quodq; pulchrè factum uideres, non te celaret, id qua ratione fecisset, si rogares. Sic & mores uerè ingenuos ijs dare uidetur agricultura, qui cum ipsa uersantur. Ad hæc ego: Exordium præclarum, & quod eum qui audierit, à percunctatione non auertat. Tu, quoniam discere perhonestum est, ea de re multò magis eam mihi uerbis explica. Non enim turpe tibi est facilia docere, mihi uerò longè turpissimum nescire, præsertim quæ sunt cum utilitate coniuncta. Primum igitur, inquit, hoc tibi demonstrare uolo, non esse difficile, quòd ex multis rebus ac uarijs agriculturam contineri dicunt ij qui oratione diligentissimè persequuntur illam, reuera minimè exercent. Aiunt eum qui rectè culturus est agrũ, primò terræ ingenium cognoscere oportere. Rectè, inquam. Nam qui non uidit quid terra ferre possit, is quòd semen spargere, quæsue stirpes serere debeat, haud uidebit. Itaq; si ignotũ solum arare uelimus, ò Socrates, quid ferre queat, quid nequeat, ex fructibus arboribusq; cognoscendũ. Postquam enim periculum fecerit & cognouerit aliquis, nihil iam

iam prodest bellare cum dijs: quia si quare opus esset ei qui uel semine uel stirpe compleret agrum, non magis ex eo perciperet fructus necessarios, quam si committeret id quod non inuitus produceret aleretq;. Quòd si per segnitiam dominorum uim suam terra nō possit ostendere, sepe licet ex loco finitimo certiores fieri, aut ab homine uicino subaudire, quæ sit illi natura. Nam quāuis sit inculta, suam tamen ostendit naturam. Quæ stirpes agrestes lætas & uberes gignit, ea si curetur, potest & mites fructus eosq; lætos producere. Sic ingenium terræ perspicere potest uel ab eo cui nō ita magnus est usus agriculturæ. Satis iam mihi uideo Ischomache spei & fiduciæ cōcepisse, nō esse cur ab agricultura me abstineam, ueritus ne terræ naturam deprehendere non possim. Etenim piscatores mihi ueniunt in mentem, qui cum dent operam mari, nec sint in eo loco positi unde spectent arua, nec lentè ferantur, sed unà prætercurrant agros, tamen cum uident fructus in agro, non dubitant de illo ferre iudicium, qui bonus, quibus malus, sed hunc improbant, illum uerò laudant. Illos quidem uideo hac ratione adductos permulta de terra secunda, eadē cum peritissimis agriculturæ explicare. Vnde uis igitur, Socrates, incipiā tibi meā de hac arte exponere sententiā? Scio me tibi iam permulta sciētī dicturū de agricolendi ratione. Illud equidē, inquā, libèter addiscā (est enim maximè sapientis uiri) quonam modo, si cupiam, terram subigens, hordei & tritici magnā uim percipiam. No- Cap. XXIII.
stī agrum noualem sementi parandum? Noui quidem. An igitur hybernis mensibus incipiemus arare terram? At lutulētus erit ager. Aestate ne arandū censes? Durities erit impedimento, quo minus aruum iugo moueri possit.

Dicendum fortassis uere hoc opus inchoandum. Par est, inquam, terram maximè fundere quæ tum mouetur. Et herbam subuersam, inquit, tum iam agro dari pro stercore, & fructum nondum fundere, uti nascatur. Existimo quidem certè: nec id nosse difficile est, si noualis ager ferax est futurus, cum runcari, euulsa syluescente materia purgari, quæ maximè excoqui sole debere. Hæc ita fieri oportere mihi quoque uidetur, inquã. Tú ne, inquit, hæc aliter cõmodius fieri putas, quæ si quis æstate quæ sæpius uertat agrum? Cui ego: Certò scio uepres & huiusmodi syluã haud melius educi, & ab æstu sicari, atque à sole terrã coqui posse, quæ si quis æstate media tempore meridiano iugo moueat. Si uerò fõsione colatur humus, certum ne est agendum separatim cum terra, & cum materia? Ad hæc ego: Diruenda sylua, ut areseat in summo solo. Terra uertenda, ut eius cruditas excoquatur. Vides, ô Socrates, eadem de nouali utriusque nostrum uideri. Sanè, inquã, de semente uerò nostin' aliud quicquam Socrates præter horã ferendæ quam censuerunt optimã tum maiores exercitati, tum qui nostra ætate periculũ fecerunt. Nam cum tempus autumnu uenit, omnes ad Deum cõuertunt oculos, & tempus expectant quo pluuia missa mollito solo sementem facere licebit. Omnes, inquam, sciunt expectandam pluuiam, & sitiente terra sementem non esse faciendam, nisi si cogeret necessitas. Planè uidebant multis & magnis incommodis cõflictatos, qui antè semen iecerant, quàm à Deo iussi fuissent. His de rebus igitur nobis omnibus conuenit, inquit Ischomachus. Sic, inquam, omni in re quam Deus nos docet, consensio est: ut consentiunt uniuersi densos uestitus hyeme ferendos ijs qui habere possunt: ignem fouendum, si ligna

si ligna suppeditent. Tum Ischomachus: Multi iam de se-
 mente dissentiunt, præmaturâ ne sit optima, an media, an
 maximè sera? Deus, inquam, non uno semper ordine cir-
 cunvoluit annû, sed aliû præmaturè, aliû mediè, aliû serè
 tempestiuû magis agit. Vtrum putas melius, inquit, an ex
 his unam deligere ad utendum sationem, siue parum siue
 multû seminis est spargendum: an cum cœperis à prima,
 ad extremam usq; seminare? Cui ego: Mibi optimû uide-
 tur genus omne sementis usurpare. Nam satius esse duco,
 satis multas omnibus annis capere fruges, q̄ interdum ni-
 mium multas, interdum nimium paucas. Hac de re quoq;
 inquit, tibi conuenit mecum, discipulo cum doctore, tam-
 etsi ante me sententiam protulisti. Quid, inquam, in ia-
 ciundo semine? uariûmne genus artis est? Omnino consi-
 deremus & hoc, inquit. Tu quidem semen esse manu ia-
 ciendum nosti. Ego quidem noui. Sunt, inquit, qui æquabi-
 liter proijcere possunt, & alij qui nō possunt. Hoc igitur,
 inquam, exercitationem requirit, ut citharistarû manus,
 ut arti uoluntatiq; seruire possit. Maximè, inquit. Si ue-
 rò terra sit aut tenuior aut densior. Quid ais istuc? inquã:
 Ain' tu tenuiorem quæ debilior est, densiorem quæ robu-
 stior? Dico, & rogo te, pâr ne semen utriq; dares, an alte-
 ri copiosius? Tum ego: Vino ualidiori me a sententia plus
 aquæ debet infundi, & robustiori uiro, si quid ferendum
 est, maius onus imponi. Et si qui essent alendi, plures ei
 decernerem qui plures alere possent. An uerò terra debilis
 firmior ualentiorq; fiat, si quis illi plus iniiciat fructus,
 ut largiore pabulo iuméta pinguescût, id quæso me doce.
 Arrisit Ischomachus: Iocaris Socrates: id tamen habe cer-
 tum, si terræ semē inieceris, ac deinde quo tempore multû

à cœlo cepit alimentum, & seges in herbam creuit, illam uerteris, id esse pabulū terræ, & haud secus ac è stercore illi uires accedere. Si uerò sinas semen in fructum crescere, è terra sumpto ad maturitatem usq; nutrimento, difficile est agrum tenuem ad extremū letos & uberes gignere fructus, ut suem debilem multos alere maiusculos natos. Hoc dicis Ischomache, debiliori solo minus seminis esse committendum. Ego istuc profectò: & tu quoq; sentis idem, qui existimas omnibus debilioribus imperare negocia minorā oportere. Age Ischomache, cur segeti sarculū immittis? Nosti, inquit, hybernis mensibus aquas incrementum accipere. Quid ni? Fac igitur ut infuso limo segetis aliquid occultum sit imbri, & à fluxionibus nudatæ sint aliqua radices, utq; materia sæpenumero ab aquis excitetur tam multa, ut suffocata seges opprimatur. Hæc omnia fieri uerisimile est, inquam. Videtur ne tibi iam tum seges opis indigere? Maximè. Si limus obduxerit, quod census adhibendum remedium? Terram subleuandam puto. Quid si nudæ radices? Inducta terra medendum. Quid uerò si herbarum sylua excrescens inter segetem suffocet illam? atq; diripiat alimentū, quemodmodum fuci genus ignauum & inutile diripiunt ea quæ magno labore cibaria condiderunt apes? Excidenda quidem certè materia, & alimento priuanda, ut ab alucaribus eijciendi fuci. Num sine causa igitur tibi uidemur sarculū iniicere? Nequaquã. Nunc Ischomache animo concipio quale sit aptè & opportunè imagines inducere. Nam de fucis locutus, multò mihi apertius explicasti rationē syluæ, quàm cū de ipsa differebas. At uerò deinde metere par est. doce me igitur siquid habes quod eò pertineat. Facerem, inquit,

niſi

nisi mihi uidereris hæc scire. Tu quidem semper, ut debes, segetem incidere nosti. Quid ni debeã? Secas ne stans quò spirat uentus, an aduersus? Nõ aduersus, inquã. Nam molestũ arbitror & oculis & manibus aduersas legere sti pulas aristasq;. Altiũs ne secas, an propius humũ? Si curtus & breuis calamus, inũ seco, ut culmi sint longiores: si procerus & altus, mediũ secandũ puto, ne qui terunt in area, labore superuacuo grauentur: neue qui uentilant, in ijs laborent quibus non opus est. Quod in agro relictũ fuerit, exustum, adiuumento esse terræ puto, & sterquilinum implere coniectũ. Vides õ Socrates ut manifestò deprehenderis, id quod ego de messe, animo & usu consecutus. Tum ego: Vel cum periculo experiri libet. Volo cognoscere, sit' ne mihi ratio terendi frumenti. No- Cap. XXIII
stin' inquit, à iumentis fruges in area teri? Quid ni? Nosti quoq; omnia quæ iumẽta uocantur, boues, mulos, equos? Scis ne hæc tantummodo uidisse te, cum circumducuntur, pedibus excutere frumentũ? Quid aliud uidere possem? Quomodo proterent id quod opus est, atque conculcabant? à quo perficietur æquabiliter tritura? Non est dubium, inquã, quin ab ijs operis quæ in area uersantur. Vertentes enim pedibusq; semper subiecientes ea quæ trita non sunt, maximè quod erat difficile adæquabunt, ac quamprimũ rem conficient. Tum ille: Hæc quidem mihi non sunt notiora quàm tibi. Deinceps igitur Ischomache frumentum uentilatione secernemus. Dic mihi Socrates, Nosti ne si ex aræ parte quæ est obiecta uento, coeperis, per arẽ totã latũ iri paleas? Neceffe est, inquã. Neceffe est igitur ut in frumentũ cadãt. Sanè. Longius est spaciũ, q̃ quo paleæ sublimes ultra fruges in uacuum aræ locum

ferri possint. Si quis ò Socrates incipiat reiectanea fecer-
 nere ex eo loco unde flat uentus, quid? Nemini dubium est
 Ischomache quin paleæ statim in suo receptaculo futuræ
 sint. Cū, inquit, altera parte iam secreta perueneris ad a-
 ream mediam, num continuo sic diffusis granis reliquas
 paleas segregabis: an ubi quod purum est frumentū co-
 aceruaueris in aceruū, ut per angustū capiatur loco? Vbi
 purū coaceruarim, ut mihi transuolent paleæ in uacuum
 areæ locū, & ne semel ac iterū segregandæ sint. Tu qui-
 dem Socrates alium docere posses, quī breuī à paleis sepa-
 rentur fruges. Hæc igitur, inquā, olim sciebā, sed oblitus
 erā. Cogito mecū, an & ego aurū fundere, tibias inflare,
 & pingere sciam, & me scire ignorem. Nam hæc me ne-
 mo docuit, ut nec agriculturam. Video autem homines ut
 agriculturam, sic & cæteras artes exercere. Ad hæc Ischo-
 machus: Non ego tibi iandudum dicebam eò maxime in-
 genuam esse agricolendi rationem, quòd facillimè disci
 potest? Agedum Ischomache, noui. Equidem quum ratio-
 nem sementis tenerem, id me scire oblitus eram. Agricul-
 turæ ne est stirpium satio? Est quidem certe. Quī fit igi-
 tur ut sementem sciam, stirpium sationem nesciam? Ne-
 scis tu quidem inquit? Quī sciam, qui nec in quo genere
 terræ serendum, nec quanta altitudine quantā ue latitu-
 dine scrobes fodiendæ, nec quanta longitudine surculus
 demittendus, nec quomodo humi situs maxime crescet, in-
 telligam? Perge, inquit, discere quæ nescis. Cuiusmodi scro-
 bes fodiantur stirpibus, uidisse te certò scio. Vidi perse-
 pe. Vidistiñ' altiorem tripedali? Non equidem semisse su-
 per altitudinem bipedaneam. Quid? Vidistiñe latiore
 tripedaneo? Non certè bipedaneo. Perge, inquit, & hoc
 responde

responde mihi, Nostin' ullum bipedaneo minus profun-
 dum? Non sesquipedali. Nam stirpes in scrobem demissæ
 effoderentur, si ad terræ superficiem propius accede-
 rent. Hoc igitur Socrates abūde nosti, rusticos fodere scro-
 bem nec duobus pedibus & semisse altiore, nec sesqui-
 pede breuiorem. hoc adeò perspicuum est, ut uideri sit
 necesse. Quid uerò? quum terram uides, sicciorem inter-
 noscis & humidiorē? Mihi quidem sicca uidetur esse in
 Attico monte Lycabeto, & quæcunque similis est huius:
 humida uerò in lacu Phalerico, & ceteræ generis eius-
 dem. Altiorē ne scrobem foderes in sicca, q̄ in humida?
 Foderem, nempe quòd in humida altè fodiens, aquam re-
 perires, nec in ea tam serere posses. Præclarè tu quidem.
 Cùm fuerint scrobes fossi, nosti tam quando stirpis utrun-
 que genus demittendum sit? Maximè. Si uelis celeriter
 produci, putasne terra culta summissum stirpis caulicu-
 lum maturius exire per humum subactam atq; mollem,
 quàm per incultam & duritie concretam? Perspicuum,
 inquā, celerius excrescere per subactā, quàm per immo-
 tam. Substerni debet igitur semini terra. Quidni debet?
 An stirpem totā recta linea coelū uersus erectā, putas fa-
 cilius latiusq; diffunderet radices, q̄ si terra substrata de-
 ponas obliquā, ut quemadmodū γamma sic iaceat supina?
 Sic profectò, propterea quòd in terra plures erūt oculi:
 ex oculis autem supra terram uideo surculos emanare,
 unde coniecturam duco sic in terra fieri. Cùm uerò mul-
 tæ nascuntur humi radices, stirpem ualidam breui cresce-
 re puto. His de rebus igitur idem quod ego, nosti Socrates.
 Sed agè, terrām ne solum iniicias, an circū stirpem presse
 cōculcabis humū? Conculcabo. Nam si pressa nō esset, non

est dubiū quin ab aqua pluuia cœnū fieret, à sole uerò ad
imū funditus siccaretur. Effet igitur periculū ab imbrī,
ne humore putresceret: à sole, ne siccitate siue hiatu terræ
Cap. XXV. calentibus radicibus arefceret. De uitū satione, ô Socra
tes, idem omnino tenes quod ego? An inquā, sic & serenda
ficus? Et omnes arborei fructus, inquit Ischomachus. Nam
qui uitē præclare serere nouit, qui in aliarū stirpiū satio
ne reprehendetur? Oleam uerò Ischomache qui seremus?
Fac, inquit, periculū mecū, id' ne omniū maximè scias. Vi
des altiore oleæ scrobem fodi: etenim iuxta uias potissi
mū foditur. Videsq; in omnibus seminarijs surculos siue
taleas esse. Vides quoq; lutum omnibus surculorū capiti
bus impostū, & omniū summū caput contectum. Hæc o
mnia uideo. Videns autem quid ignoras? an quomodo te
stam summo luto imponas? Non sanè. Eorū quæ narrasti,
nihil ignoro: sed animo repeto, cur cū alterā mihi pro
poneres uniuersam quæstionem, scirém ne serere, negaue
rim. Videbar equidem nihil de ratione serendi explicare
posse. Ut aggressus es de singulis inquisitionē, tibi, ut ais,
respondeo perinde quasi teneam quæ tu, quem peritum
ferunt agricolam. Nōne interrogatio doctrina est Ischo
mache? dudum enim disco, quoniam me singula rogasti.
Nam cū me duceres per ea quæ noui, similiaq; demon
strares quæ scire me nō existimabā, adductus sum ut hæc
me scire crederem. An igitur, inquit Ischomachus, si te de
argento, bonum necne esset, interrogarem, persuadere
possem scire te argentū probare, & discernere uerum ac
purū ab adulterino? An item de arte tibiarū, de pictura,
de rebus generis eiusdem? Fortasse, inquā, quandoquidem
eò duxisti, ut credam me agrum colere posse, quanquam
scio

scio neminem unquã mihi hanc artem tradidisse. Hæc non ita sunt, ô Socrates. At ego iandudum tibi dicebam, homini sic amicam, sic familiarem esse agriculturam, ut qui uident & audiunt, illius statim scientiã concipiant. Multa docet ipsa, ut optimè liceat rebus ipsius uti. Vitis cum ad arbores attollitur, statim docet se erigi uelle, si proxima sit arbor. Cum diffundit pampinos, ostendit, racemos, quo tempore teneri sunt ac molles, & aduruntur à sole, umbra contegendos. Cum tempus est uuas ab sole iam dulcescere, folijs defluentibus indicat pampinos esse detrahendos, & uuam maturitate excoquendam. Cum propter fertilitatem racemos alios coctos atque maturos ostendit, alios crudiores fert, coctos percipi iubet: ut ficus, semper id umbra tegunt quod turget. Hic ego: Si tam facile discuntur res rusticæ, & quæ faciunda sint, iuxta sciunt omnes, qui sit ut non omnes similiter agant, sed alij affatim uiuant, & bonorum copia redundent, alij sibi necessaria suppeditare non possint, sed insuper alijs debeant? Equidem tibi dicam, Socrates. Nec scientia nec inscitia agricolarũ causa est cur alij diuites, alij sint pauperes: nec audies ita famam circumferri, domum esse dissipatam, quòd sator non æquabiliter semen sparserit, nec quòd prauè stirpes seuerit, nec quòd ignorans quæ terra uitem ferret, in agro sterili seuerit, nec quòd non intellexerit utile sementi noualem agrum subigere, nec quòd nõ uiderit esse bonum, stercus agro miscere: sed multò sæpius audire licet, Vir ex agro non percipit frumentum, non enim dat operam ut sibi seratur, aut ut stercoretur ager. nec uinũ habet, quia nõ est ei curæ uitium satio, ut non uas serat, ut iam satæ ferant. Nec oleum nec ficus sunt illi,

Cap. XXVI

propterea quòd diligentiam non adhibet, nec laborat ut hæc legat. Hæc & similia sunt quibus differentes inter se agricolæ, differunt & facultatibus, multò magis quàm qui ingeniosum aliquid ad opera uidentur excogitasse. Sic & belli duces in quibusdam quæ sunt sui muneris, nõ quia sententia differant inter sese, alij alijs meliores sunt, sed cura. Nam quæ duces omnes, permultiq; priuati sciunt, ea nonnulli faciunt imperatores, alij negligunt: ut nullus est qui non intelligat, cum per hostiũ fines iter faciendum est, tutius esse milites instructos ordine procedere, quo modo, si opus sit, optimè dimicare possint: sed alij agmen compositum ducunt, alij incompositum. Omnes optimũ esse norunt, ante castra & diurnas & nocturnas custodias stationesq; collocare, uerũm ut id fiat, dant operam quidam, alij nullam. Quòd si per angustias uiarum ducatur exercitus, nõne difficile est reperire qui nesciat esse commodius occupare locorum opportunitates? At uerò sunt qui diligenter occupant, sunt qui nõ occupant. **Quin-**

Stercoratio. etiam dicitant omnes agriculturam stercore maximè iuuari, uident nullo negotio fieri, & tamen cum præclare sciant quomodo fiat, cumq; facile sit multum conficere, alij cõgregandum curant, alij non item. Atqui Deus sublimis aquam præbet. Loci caui cæno limoq; complentur. Terra uarium materiæ genus suppeditat. Cui serendum est, is humum purgare debet. Quæ uerruntur è medio, si in aquam deiciat, iam tempus ipsum conuertet in ea quibus letificatur ac pinguescit ager. Quæ materia, quæ terra in aqua stante non erit pro fimo? Quotaquæq; medicaminis indiget terra, si humidior sementi, sicciior salfiorq; serendis arboribus accommodetur? Nullus est qui

. hæc

hæc nesciat, & ut educatur aqua fossis, ut terra salsa corrigatur, dum miscetur omnibus dulcibus, humidis, siccis. Sed ista curæ sunt alijs, alijs uerò nequaquã. Quòd si quis ignoret omnino quid possit ferre tellus, nec sciat eius fructum nec stirpes cognoscere, nec ab aliquo ueritatem audire queat, nonne multò facilius tamen illi et omnibus ingenium terræ quàm equi uel hominis experiri? Nihil enim subdolè & falso præ se fert, sed quæ potest, & quæ non, apertè uereq; demonstrat. Illa, quòd omnia cognitu captuq; facilia præbet, & bonos & malos patefacere optimè mihi uidetur. Non est enim quod se nescire causentur, ut qui cæteras artes non exercent. Nullus ignorat, illam, si quid acceperit beneficij, referre gratiam. Illa ne malæ mentis accusationem intendere manifestò uidetur? Hominem sine rebus necessarijs uiuere posse, nemo sibi ipse persuadet. Qui nec aliam nouit artem unde questum facere possit, nec arare terram uult, & agris operam dare, non dubium est quin aut furto, aut rapina, aut opera mendica uiuat, aut nulla ratione ducatur. Magni referre dicebat, ad hoc ut agricultura fructuosa sit, aut non sit, quòd cum plures sunt operæ, alius curat ut in opere sint operarij, cum uocat & retinet hora. Hoc alius non facit. Facilè uir unus decem uincit, qui tempore laborat: alius ab eo distat, qui discedit ante tempus. Permittere uerò ut totum diem mala fide laborent homines, ac fraudentur, eò ualet, ut plus quàm dimidium totius operis extrahatur. Vt in itinere faciundo ad stadia ducenta, nonnquam stadijs centum propter imparem celeritatem distant inter se duo uiatores, ambo iuuentute & ualetudine pares, quòd alter facit ut concitatus feratur, alter animo

remisso captat ocium, & ad fontes ac sub umbris quiescit, circumspicit, molles uenatur aurās: sic & in operibus longè distat ac differunt effectū, qui dant operans ut ministri & mercenarij frugi sint, ac minimè dissoluti: & qui non solū non hoc faciunt, sed & inueniunt occasiones intermittendi laboris, sinuntq; suos agere mala fide, & inertia indulgere. Hoc autem bene laborare, aut malè rem curare, tam differt, quàm aut perfectè labori incumbere, aut penitus in ocio languescere. Si qui fodiunt uinetum, ut abiecta materia pura sint uites, sic fodiunt, ut herbarum sylua maior uberiorq; fiat, què potes aliquid actum esse confirmare, & agrum cultum dicere? Hæc igitur domos magis dissipant, quàm nimia negocij gerendi inscitia. Nam cum expletur impensa, opera uerò non explentur, ut percipiatur utilitas ad faciendum sumptum, non est cur iam mirere si pro diuitijs pauperies & egestas inuehatur. His autem qui studio ac diligentia ualent, & frugi sunt agricolæ, non mediocriter utilem & efficacem faciendi quæstus ab agricultura pater & exercuit ipse & me docuit artem. Is non sinebat unquam fundum cultum comparari, sed quisquis aut negligentia possessorum aut tenuitate facultatum incultus inconstitusq; esset, ut emeretur admonebat. Dicebat enim, prædia culta uenire pluris, & incrementum non capere: quibus autem nihil esset accessionis, haud similes asferre uoluptates existimabat: sed omne prædium & omne pecus cui accederet amplificatio, maximæ esse domino lætitiæ arbitrabatur. Nihil uerò plus habet accessionis, quàm fundus ex inculto & infœcundo, cultus & ferax omnium rerum factus. Ne dubita Socrates, quin nos iam effeceri-

Qui fundi sint
emendi.

effecerimus ut fundi longè longeq; maioris sint precij, quàm quanti primò fuerunt. Hæc, inquit, adeò frugifera meditatio, adeò captu facilis, ut tu qui nunc audisti, nō aliter ac ego sciens ab eas, & aliū si uelis docere possis. Pater meus nec id ab alio didicit, nec sollicitus inuenit, sed cū esset agriculturæ laborisq; cupidus, talem se fundum cupiuisse dicebat, ut haberet quod ageret, & unā cum utilitate uoluptatē perciperet. Erat enim suapte natura, ut mihi uidetur, omnium Atheniensium studiosissimus agriculturæ. Hæc cū dixisset, hominem interrogauī: Quos pater agros excoluisset, eos ne tenebat omnes, an etiam uendebat si grandem pecuniam inuenisset? Vendebat sanè, inquit, sed alium cōtinuò mercabatur incultum, propterea quòd desiderio laborandi tenebatur. Narras Ischomache patrem agri colendi uerè studiosum, ac duce natura tam ruris amantem, quàm tritici cupidi sunt mercatores. Hi quòd frumentum maximè petunt, ubi magnam esse copiam audierunt, eò nauigant. Aegæum, Euxinū, Siculum pontum traiciunt. Deinde cū ceperunt quàm potuerūt plurimum, pelago uehunt impositum nauigio quo uehuntur ipsi. Cū fuerit opus argento, non temerè & inconsulto quocunq; fors tulit auehunt, & quasi abijciunt, sed ubi audierint esse qui plurimi liceantur, magnoq; mercantur, eò ferunt, & emptoribus tradunt. Sic quodammodo pater tuus auidè sequebatur agriculturam, & inde quæstum uenabatur. Iocaris Socrates. Ego, inquit, nihilo minoris studiosos ædificandi facio, qui domos extruunt, uendunt, alias deinde moliuntur. Iureiurando sine ulla dubitatione tibi confirmo Ischomache, adduci me ut tibi credam, ac putem mortalium genus amare & persequi

omnia quæ sibi usui futura arbitratur. Considero quàm bene proposito congruentem omnem præstiteris orationem. Proposueras artem colendi ruris omnium facillimam esse discenti. Nunc ego prorsus omnibus tuis uerbis adductus, sic esse rem non dubito. Sic est, inquit Ischomachus. At, quod est omnibus actionibus, agriculturæ, scientiæ civili, œconomix, arti militari cõmune, expetendum est, ut sis imperandi peritus. Hoc tibi quidem assentior, alios alij esse mente præstantiores, ut in triremi si mare asperum traiciatur, & homines qui nauigia impellunt, & remis uelisq; subministrant, penetrare sit necesse, alij quorum iubere & hortari munus est, ea dicere & facere possunt, quæ animos exacuunt, & incitant ad suscipiendum laborem: alij sic imperiti sunt & incompõsiti, ut uix altero tanto tempore eundem expleant cursum. Sudant illi, & in egressu qui iubet, eos qui dicto sunt audientes, laude persequitur: qui parent, iubentem uicissim laudant. Hi uerò nullo sudore appellunt nauem, odere præfectum, præfectus illos. Sic & imperatores inter se differunt. Alij non ita suos regere possunt, & allicere, ut laborare, pericula subire, nisi quantum necessarium sit, obtemperare uelint, sed ita reddunt affectos, ut si aduersentur imperanti, magnū quiddam ac præclarum facere uideantur. Isti quoq; nõ sic milites instituunt, ut dedecus fugere sciant, & si quid accidat turpe, uerecundia moueri. Alij contra boni duces, periti, diuini, cum susceperunt eosdem & alios sæpius, sic erudiunt, ut aliquid turpe committere uereantur, ut parere melius esse putent, & unumquemq; audientem esse dicto gaudeant, ut uniuersi nõ inuitè, si opus sit, laborem sustineant. Sed ut singulis quibusdam amor
quidam

quidam laborandi innascitur, sic & toti exercitui sub bonis ducibus agendi cupiditas ingignitur, & honoris ingens studium, quo accensi milites aliquid agere præclare, & à duce uideri cupiunt. In quoscumq; sic affecti sunt animo comites, ita ualidi fiunt duces, non illi quidem qui corpus habent firmissimum celerrimumq;, qui telis & sagittis optimè pugnant, qui equum nacti præstantissimum, ut fortissimos equites aut scutatos insignes decet, offerunt se periculis: sed qui eò inducunt miliu animos, ut uel per ignem uel omne periculum sequendum putent, eos merito duces acris ingenij magniq; uiros dicere licet: quos qui norunt multi sequuntur: quos ire magna manu iure dicunt, ut quorum prudentiæ consilioq; multæ manus seruire uelint. Magni reuera tales uiri, qui res magnas non tam uiribus corporis quàm sapientia mentis gerere possunt. Sic & in priuatis rebus, siue procurator siue præfectus sit institutus, qui promptos, alacres, frugi, assiduos possit efficere suos, is sanè rem auget, multasq; parat facultates. Si dominus qui operarium malum maximè punire, diligentem præmio donare potest, inuiserit opus, & apparuerit, & eum minimè uereantur ij qui dant operas, haud equidem uirum probem: sed eum, cuius aspectu mouebuntur opifices, sic ut quisq; uires concipiat, certatim laboret, optima gloria ducatur, aliquid habere regie uirtutis affirmabo. Hoc maximum est (ut mihi uideatur) tum in omni re ubi quid ab hominibus cõficitur, tum in agricultura. Non tamen qui semel id quod dico uiderit audieritue, discet, sed bono rectori futuro opus esse cū disciplina & indole bona iudico, tum maximè uirtute diuina, quandoquidem non hoc totum bonum proorsus hu-

manum mihi uidetur esse, sed etiam diuinum, planè & aperte uolentibus imperare. Dij miscentur eorum qui sapientia ac moderatione uera præditi sunt: & ut censeo, tyrannidem in inuitos dant ijs quos tali uita dignos esse duxerint, qualis est Tantalus, qui apud inferos æternum tempus agere dicitur, metuens ne bis intereat.

XENOPHONTIS OECONOMI-
CI FINIS.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS
CLARISSIMO VIRO

D. Antonio Fuggero S. D.



NON sine causa, uir amicissime, ueterè de Ata querelam in tuis ad meliteris renouas. Nullo enim unquam seculo illa magis suo nomini respōdit, quàm hoc: nec latius per omniū mortaliū capita diuagata est: cui præter innumeras calamitates hoc quoque malè iurè ferimus acceptum, quòd nos animorum beneuolentia coniunctissimi, consuetudine distracti uiuimus. In huius tamen incommodi solatium, nonnihil remediū uideor mihi reperisse. Nam hisce diebus cum inquirens nescio quid, chartarum mearum acruos excuterem, ultrò, & ut arbitror, deo quopiam ita uolente, uenit in manus, quod ante annos aliquot uertere tentaram ex Xenophontis tyranno. Id quo minus tum absoluerim, præter alia fuit & illud in causa, quòd græcus codex uiderè mihi parum emendatus. Ad hoc laboris nunc integer reuersus, perpetuo curu citraq; respirationem ad umbilicum deduxi. Apud præscos nihil intererat inter nomè regis ac tyranni, cum postea tyranni uocabulū ceperit esse inuisissimū apud omnes: regis etiam apud eas dūtaxat respublicas, in quibus uigebat

Demo-

Democratia. Alioqui quod Simonides subinde Hiero-
nem appellat tyrannum, nihilo ciuilius esset, quam si
quis cum pirata familiariter & amice cofabulans, iden-
tidem appellaret illum piratam. Fateor hoc argumen-
tum non per omnia temporum horum statui congrue-
re, in quibus sub monarchis prepotentibus tranquillis-
sime degunt, non ut tum singule ciuitates, sed amplis-
sime ditiones: multa tamen insunt, quae nostris quoque
principibus non inutilia cognitu futura sint. In hoc libel-
lo tibi dicato quoties uersaberis, Antoni charissime, pu-
tato te cum Erasmo tuo colloqui. Ornatissimo uiro Io-
anni Cholero, salutem ex me plurimam, quo uno nec in-
ter amicos habeo quem candidiorem, nec inter patro-
nos magis inuictum. Ex eius literis nil nisi meros amores
spirantibus, tantum capio, mihi crede, uoluptatis ac so-
latii, ut uix alia quapiam ex re tantundem. Bene uale.

Datum apud Friburgum Brisgoiae, Idi-
bus Februarii, anno a Chris-
to nato

M. D. XXX.

Xenophontis

HIERON SIVE TYRANNVS,

DES. ERASMO ROTERO-
damo interprete.



IMONIDES poëta die quodam acces-
sit ad Hieronem tyrannum, cumq; ocu-
lū esset utrisq; Simonides hunc in modum
locutus est: Vellēs ne mihi explicare
Hieron, ea quæ probabilius est te me-
lius nosse quam ego noui? Et quæ nā, inquit Hieron, sunt
ista quæ mihi notiora possint esse quàm tibi, uiro tam eru-
dito, tantaq; sapientia prædito? Noui, inquit, te cum esses
priuatus, & nunc regno potentem noui. Cum igitur u-
trunq; uitæ genus sis expertus, uerisimile est hinc te nos-
se melius me, quid discriminis sit inter uitam regiam &
inter priuatam, quantum attinet ad ea quæ uel uolupta-
tem, uel molestiam afferunt hominibus. Quin tu igitur,
inquit Hieron, quoniā nunc adhuc sanè priuatam agis ui-
tam, cōmonefacis me cōmodorum & incōmodorum quæ
in priuata accidunt uita? Sic enim tibi, ut arbitror, maxi-
mè potero, quid inter hanc & illam intersit, explicare.
Ad quæ hunc in modum Simonides respondit: Equidem
mihi uideor hoc animaduertisse, ô Hieron, homines pri-
uatam agentes uitam, uel uoluptate uel dolore affici: per
oculos quidem, ijs rebus quæ cernuntur, per aures autem
ijs quæ audiuntur, per nares item ijs quæ olfactu sentiun-
tur, per os uerò tum esculentis tum poculis. Ea porrò
quæ spectāt ad rem uenereā, his corporis partibus sentiū-
tur, quas nouimus omnes. Tum frigida calidaq; dura &
mollia

mollia, leuia & grauia, toto corpore uidemur, inquit, di-
iudicare, atq; ex illorū sensu uel delectationem, uel mole-
stiam percipere. Porrò malis ac bonis interdū per ipsum
animum, ut mihi uidetur, delectamur, interdum etiam of-
fendimur: nonnunq̄ per utrunq; cōmuniter, hoc est, per
animam simul & per corpus. Iam mihi uideor utcunq; in-
telligere, quòd somno delectamur: uerū id quo pacto,
aut per quid, aut quando fiat, hæc mihi uideor nescire po-
tius quàm scire, quomodo sese habeant. Nec id fortè mi-
randū, si quæ nobis uigilantibus accidunt, sensum sui præ-
bent euidentiore, quàm ea quæ in somnis obueniūt. Ad
hæc Hieron hunc in modum respondit: Ego sanè, ô Simo-
nides, haudquaquam dicere possim, quomodo rex sentire
quicq̄ aliud posset, præter hæc quæ cōmemorasti. Itaque
hactenus sanè nō intelligo, quare uita regia differat à pri-
uata. Tum Simonides: Atqui in his tamen, inquit, discrimen est. Nam ex horū unoquoq; rex ut multis partibus
maiores capit uoluptatem, sic ex iisdem minus habet mo-
lestiarum. Ad hæc Hieron: Non ita, inquit, ut dicis res ha-
bet, ô Simonides. Quin potius illud scito, regem ex hisce
rebus longè minorem capere uoluptatem, q̄ priuati ca-
piūt qui mediocri fortuna sunt, & longè plus auferre mo-
lestiarū. Incredibilia narras, ait Simonides. Nam si ita est
ut narras, quī fit ut multi regnum affectent, præsertim
ex eorum numero, qui uidentur esse uiri ea cōditione, ut
maximè sua sorte debuerint esse contenti? Rursus quī fit
ut omnes beatos iudicent tyrannos? Tum Hieron: Quo-
niam, inquit, mehercle uitam utranque non sunt exper-
ti, ideo sic iudicant de negotio. At ego conabor tibi decla-
rare me uera loqui, orsus à uisu: quandoquidem tu quoq;

ut meminisse mihi uideor, ab hoc ipso sermonem ordie-
 baris. Primum igitur cum reputo qualia sint quæ cernun-
 tur oculis, comperio tyrannos deterius habere, quam pri-
 uatos homines. In alijs quidem atque alijs regionibus, a-
 lia atque alia sunt spectatu digna. Ad hæc uero spectacula
 omnia proficiscuntur priuati, in quibus urbes quascunque uo-
 luerint, se conferunt spectandi gratia, quod in quaque ui-
 sendum est. Tum ad solennes celebritates populique con-
 uentus frequentissimos, in quibus uulgus putat esse res
 maxime spectatu dignas, iisdem licet accedere. Tyranni
 porro non multum indulgent spectaculis, raroque inter-
 sunt, eo quod ipsis eo proficisci tutum non est, ubi non sint
 futuri superiores ijs qui adsunt. Nec rem domesticam ha-
 bent tutam, ut ea apud alios deposita, liceat abesse pere-
 gre. Metuendum enim est, ne simul et principatu excu-
 tiantur, et facultatem amittant ulciscendi eos à quibus læ-
 si sint. Sed dices forsitan: At ista spectacula ueniunt ad ty-
 rannos, etiam si domi mancant. Veniunt equidem, o Si-
 monides, at non solum pauca est multis, uerum etiam cum
 eiusmodi sint, adeo care emenda tyrannis, ut qui uel qua-
 lecunq; spectaculum ædiderint, postulent longè maiori-
 bus præmijs breui tempore acceptis, à rege discedere,
 quam quæ per omnem uitam à cæteris omnibus parant.
 Tum Simonides: Verum, inquit, quanquam inferiores estis in
 spectaculis, tamen potiores fertis in his quæ delectant au-
 reis: quandoquidem laudum, quibus nihil est auditu iucun-
 dius, nulla unquam uobis est penuria. Quotquot enim sunt
 qui uobiscum agunt consuetudinè, omnia quæcumque uel dici-
 tis uel facitis, laudant. Rursus à conuicijs, quibus nihil
 est auditu insuauius, libera sunt aures uestræ. Nullus
 enim

enim uult tyrannū coram & in os uituperare. Tum Hieron: Et quid, inquit, uoluptatis existimas afferre eos, qui non maledicunt, ubi quis euidenter perspicit, quòd hi omnes dum tacent malè uolunt tyranno? Aut quid uoluptatis afferre putas eos, qui laudant, cum suspecti sint quòd assentandi gratia laudent, non ex animo? At Simonides: In hoc quidē mehercle, inquit, tibi prorsus assentior Hieron, laudes allatas ab his qui quàm maximè liberi sunt, esse multò iucundissimas. Veruntamen illud planè uides quòd nequaquā ulli mortaliū persuasurus es, quin in his quibus aluntur homines, uos longè plus uoluptatis capiatis. Nec istud, inquit, me fugit, ô Simonides, ita plerisque uideri, nos tum edere, tum bibere suauius priuatis, eò quòd ipsi quoque sibi uidentur iucundius coenaturi coenam quæ nobis apponitur, quàm eam quæ ipsis apponitur. Non enim ipsa res uoluptatem affert. Sed hoc illos delectat, quòd apparatus superat ea quibus assueuerunt. Eoq; cuncti mortales cupidè expectant dies festos, exceptis tyrannis: semper enim his splendidus est apparatus, nec ullam illorum mensæ diebus festis accipiūt accessionem. Primum igitur quòd ad hanc uoluptatem, quam adfert spes, attinet, detiore conditione sunt reges quàm priuati. Præterea, inquit, illud sat scio tu quoq; uel experientia compertū habes, quòd cuique plura suprâ quàm sat est, ac redundantia apponuntur, tantò citius edēdi satietatem oboriri. Ita fit ut ipso quoque tempore, quo cibum capis, si multa apponantur, deterius habeas, quàm qui moderato sunt uictu. At profectò, inquit Simonides, tantisper dum appetit animus, multò plus habent uoluptatis qui splendido uiuunt apparatu, quàm hi, quibus tenuis uictus apponitur.

Ad hęc Hieron: Itá ne, inquit, ô Simonides, putas eum qui re quapiam delectatur, hunc protinus maxime affici, ac uehementissimo amore teneri eius negocij? Equidem prorsus arbitror, inquit. Num igitur uides reges libentius ad suos apparatus ire, quàm homines priuatos ad suos? Nequaquam profecto, inquit, non sanè uideo, sed illu bentius, ut uulgò quidē uideri possit. Tum Hieron: Quid, inquit, num ista multo studio arteq; confecta considerasti, quę regibus apponuntur, acria, amara, austeraq; & his germana? Prorsus, inquit Simonides, consideraui, plañe q; mihi quidem ista uidentur esse præter hominum naturam. Quid igitur, inquit Hieron, aliud existimas hoc genus epulas esse, nisi mollium & effceminatarum deliciarum animi concupiscentias? Si quidem ego sanè probè noui: quin nosti tu quoq; forsitan, quòd qui cupidè uescuntur, nihil opus habent istis arte additis condituris. Et quidem uobis ex odoribus, inquit Simonides, istis preciosis quibus unginini, arbitror eos plus boni capere qui sunt familiares, quàm uos ipsos: quando quidem & ingratos odores non sentit is qui se illis expleuit, sed hi potius qui ad eum qui deuorauit accedunt. Itidem, inquit Hieron, usu uenit in cibis: cui perpetuò suppetit omne genus epularum, nihil illorū sumit cum appetentia. Verū cui quid raro cõtigit, is demū est qui cū uoluptate satiatur, si quid illi obijciatur. Solę igitur, inquit Simonides, uenere e rei delectationes eę sunt fortasse quę uobis regni cupiditatem afferant. Hic enim solis uobis licet, ut quidq; uisum fuerit pulcherrimū, cum eo cõgredi. Nunc demū, inquit Hieron, cõmemorasti, in quo citra cõtroversiã inferiores sumus hominibus priuatis. Principio nanq; pulcherrimū esse

esse uidetur uxore ducere ex his qui tum opibus, tum potentia præcellunt, eaq; res putatur adiungere cum uoluptate dignitatis nonnihil ei qui duxit. Proximum autem est ex paribus uxorem asciscere. Qui uerò ex inferioribus ducit, prorsus cõtempus & inutilis habetur. At regi, nisi peregrinam ducat, ex inferioribus ducat necesse est. Unde fit, ut non admodum ad illum perueniat illud amabile, uigorq; charitatis, quæ inter eiusdem ciuitatis coniuges intercedit. Iam uerò & coli captariq; à fœminis splendidis ac summopere magnificis, plurimum habet uoluptatis. Quæ uerò ueniunt ab ancillis culturæ, cum adsunt, nihil explent animum. Sin desint alicubi, graues tum iras, tum molestias gignunt in nobis. Porro in puellorum amoribus, multò etiam minus habet uoluptatum tyrannus, quàm in uxoribus quæ ducuntur gignendæ proli. Nam quòd ueneri cõgressus, si adsit amor, plurimum afferat uoluptatis, profecto perspicuũ est nobis omnibus. At amor nulli minus insinuat sese quàm tyranno. Neq; enim amor appetere gaudet ea quæ in promptu sunt, sed ea quæ sperantur. Proinde non aliter quàm si qui nunquam expertus est sitim, potum nanciscatur, itidem qui est expertus amoris, expertus est iucundissimæ Veneris. Hunc igitur in modum locutus est Hieron. Simonides uerò arrides: Quid ais, inquit, Hieron? Negas puerorũ amores inferi regum animis? Quomodo igitur, inquit, amas Dailochum, cui cognomen est Pulcherrimus? Quoniam mehercle, inquit, ò Simonides, non hoc amo quod ab eo cõse qui uidetur esse procliue, sed quod regem minimè decet. Nam ego quidem diligo Dailochum, ob quæcunq; sunt illa, quæ fortassis natura hominis cogit à formosis petere.

Ceterum his potiri quæ amo, ut cum mutua beneuolentia & à uolente cōtingat, uehementer opto. Ut autem ui ab illo sumam, minus mihi uideor concupiscere, quàm mihi ipsi mali quippiam facere. Nam ab inuitis hostibus aliquid sumere, rem equidem arbitror omnium iucundissimam. Sed à pueris uolentibus, gratia, ut opinor, iucundissima uenit. Protinus enim ipse mutuus redamatis aspectus iucundus est, iucundæ percontationes, iucundæ responsiones, iucundissima uerò & in primis uenereæ tum lites, tum contentiones. At inuitis pueris frui, latrocinio, inquit, mihi similius uidetur, quàm uoluptati uenereæ. Quam prædoni non nihil affert uoluptatis, partim lucrum, partim quòd urit inimicū. At quem quis amat, eo cum eius cruciatu gaudere, & amantem odio esse, & attingere molestè ferentem, an non hoc graue ac miserandum est malum? Etenim homini priuato protinus argumentum est, ubi qui amatur præstat officij quippiam, cum id ut amantem gratificari, quòd sciat illum nulla necessitate inseruire. Tyranno uerò nihil est quod fidem faciat animi mutui. Nouimus enim eos qui nobis ob metum inseruiunt, quàm possunt maximè assimilare amantium obsequia. Itaque à nullis plus insidiarum regibus tenditur, quàm ab his qui se simulant amare maximè. Ad hæc ita respondit Simondes: Ista uerò quæ hætenus narras, mihi uidentur admodum exigui momenti. Multos enim uideo graues probatosque uiros esse, qui in hisce rebus spontè sunt alijs inferiores, quippe tum à cibis, tum à potu, tum ab obsonijs ac rebus adeò uenereis abstinentes. Ceterum in hoc longè præcellitis homines plebeios, quòd & res magnificas excogitatis, & quod excogitatum est, celeriter perficitis.

Ad

Ad hæc facultates habetis multas & opimas, possidetis equos uirtute præstantes, tum arma insigniter pulchra, mundum eximium uxoribus, ædes magnificentissimas, easq; rebus preciosissimis instructas. Adde his quòd famulos tum multitudine, tum artibus præcellentissimos possidetis. Præterea maxima uobis suppetit facultas, uel hostibus nocendi, uel amicos iuuandi. His ita respondit Hieron: Multitudinem popularem in iudicio de regno hallucinari nihil admiror. Nam uulgus mihi maximè uidetur ex aspectu opinari & felices quosdam esse, & miseros. Regnum autem possessiones, quæ uidentur pluri mi esse precij, explicatas expositasq; spectaculo palàm omnibus exhibet. Contrà, quæ molesta sunt, in animis regum tenentur abdita: ubi situm est demum hominibus, ut aut felices sint aut infelices. His igitur in rebus falli quidem plebeiam multitudinem haud admiror: uos autem hæc ignorare, qui & mente uidemini perspicere melius, quàm res plerasq; cernitis oculis, id uerò mihi uidetur admiratione dignum. At ipse, ô Simonides, & experimentis certò cognitum habeo, & tibi confirmo, tyrannos maximorum bonorum minimè participes esse: contrà maximorum malorum illis summam adesse copiam. Protinus enim si pax hominibus uidetur ingens bonum, huius minima pars redit ad reges. Sin pro magno malo bellum habetur, huius multò maxima pars ad reges pertinet. Contrà priuatis, nisi ciuitas bellum commune susceperit, protinus liberum est quocunq; uoluerint proficisci, nihil formidantibus ne quis ipsos interficiat. Tyranni autè omnes quoquo se cõferant, quasi per hostilia castra proficiscuntur: eoq; necesse putant, ut & ipsi semper sint ar

mati, & alios armigeros iugiter secum circumferant. Præ-
 terea privati, etiam si quando proficiscantur in expeditio-
 nem, tamen simulatq; domū se receperint, existimant sibi
 res esse tutas. Cōtrā tyranni cum in suam peruenerint ur-
 bem, tum intelligūt sese inter hostes esse plurimos. Quod
 si qui potentiores alij ducant exercitum aduersus urbem,
 licet qui sunt extra mœnia quoniam sunt inferiores, in
 periculo uideantur esse, tamen simulac intra munitiones
 se receperint, omnes se credunt esse in tuto. At tyrannus
 ne tum quidem liber est à periculo, cum in domus suæ pe-
 netralia peruenerit, quin potius tum maximè putat es-
 se cauendum. Insuper priuatis, interim per foedera, inte-
 rim per pacem datur à bello requies: tyrannis autem nun-
 quam pax est cum his quos imperio premunt, neq; quis-
 quam tyrannus unquam foederibus possit fidere. Iam bel-
 la partim sunt quæ gerunt ciuitates, partim quæ tyran-
 ni cum his quos oppresserūt. Ex his sanè bellis quicquid
 est malorū, ea tyrannus cum ciuitatibus habet cōmunia,
 eò quod necesse sit & tyrannum & ciuitatem tum in ar-
 mis esse, tum excubias agere, tum periclitari: etsi quid tri-
 ste acciderit uictis, utriq; super hoc scrutiatur. Atq; ha-
 tenus quidem par est illis bellorū conditio. Ceterū quæ
 iucunda accidunt ciuitatibus, cum ciuitatibus bellū geren-
 tibus, ea tyranni non habent. Nam ciuitates profectò si
 quando deuicerint hostes, haud dictu facile sit quantā ca-
 piant uoluptatem, dum inimicos cogunt terga uertere,
 quantam dum fugientes insequuntur, quantam dum tru-
 cidant hostes: quæ uerò exultant ac gestūt de re præclare ge-
 sta, quàm illustrem referunt gloriam, quàm gaudent, arbi-
 trantes rempub. cōmodis auctam esse. Tum illorū quisq;
 iactat

iactat se & consilij fuisse participem, & quamplurimos
 dedisse neci. Difficile uerò reperias, ubi non etiam affin-
 gant aliquid, narrantes se plures occidisse, quàm reuera
 perierint: usque adeò res istis uidetur speciosa, quòd ciui-
 tas uicerit. At tyrannus ubi suspicatur, aut etiam re cõper-
 tum habet esse qui ipsi reluctantur, postquàm occiderit il-
 los, nouit nõ totam ciuitatem in ipsius partes accessuram,
 neq; nescit quòd iam paucioribus sit imperaturus: eoq;
 non potest hilarius esse, neq; se iactat de facinore, sed rem
 eleuat quantum potest, excusatq; sese simul hoc agens, ut
 ne per iniuriam fecisse uideatur. Adeò nec ipsi quod geri-
 tur honestum esse uidetur. Deinde occisis quos metuebat,
 nihilo magis ob id securus est, quin potius iam magis sibi
 cauet quàm antea. Actyrannus quidem tale bellum ha-
 bet perpetuò, quod ipse in me perspicuū facio. Nunc por-
 rò considera amicitias, quarum participes sunt tyranni.
 Primùm enim an magnum bonum hominibus sit amici-
 tia, hoc consideremus. Etenim quicumq; uidelicet diligi-
 tur ab aliquibus, amantes libenter hunc intuentur præ-
 sentem, libenter benefaciunt, & si quò discesserit, eius te-
 nentur desiderio, ac reuersum summa cum uoluptate ex-
 cipiunt, commodis amici gratulantur, & si quid secus e-
 uenerit, opitulantur. Nec hoc fallit ciuitates, amicitiam
 maximum esse bonum ciuitatibus, remq; iucundissimam
 mortalibus. Itaq; multæ respub. legem habent ac morem,
 ut solos adulteros liceat impunè occidere, idq; eò quòd
 existimēt illos esse corruptores amicitie, quæ uiris inter-
 cedit cum uxoribus. Nam quoties uxor per calamitatem
 aliquam coitum admittit, ob id nihilominus eas habent in
 precio uiri, si modò appareat amicitiam inuiolatam sym-

ceramq; manere. Ego sanè tam ingens bonum iudico amari, ut existimem reuera ei qui diligitur ultrò bona affluere tum à dijs, tum ab hominibus. Atque huius possessionis tam præclaræ minus habent tyranni, quàm aliorum quiscquam. Quòd si scire cupis, ò Simonides, me uera loqui, hoc modo considera. Firmissimæ uidentur amicitie, quas parentes habent erga liberos, ac liberi uicissim erga parentes: item quas fratres erga fratres, uxores erga maritos, deniq; sodales erga sodales. Quòd si uis animù aduertere, comperies priuatos ab his quos memorauì, potissimum amari, cum tyranni complures liberos suos occiderint, multi à liberis interfecti sint, cum multi fratres regnum ambientes, mutuo parricidio sese confecerint. Multos autem tyrannos comperies & ab uxoribus suis extinctos, & à sodalibus qui maxime uidebantur amici. Ergo qui ab his quos nature uis maxime propellit ad amandù, quos etiam huc compellit lex, usque ad eò habentur odio, qui fieri posse credis, ut ab alio quoquã consentaneù sit illos amari? Ad hæc, cui minimù habetur fidei, qui fieri potest ut non in magno bono cæteris sit inferior? Nam quæ tandem consuetudo iucunda est, si desit fides mutua? Aut quis conuictus uiro cum uxore possit esse iucundus, si neuter alteri fidat? Quis hero iucundus, si illi diffidat? At huius boni quo quis habet quibus fidat, minima portio reddit ad tyrannos: quando quidem ita uitam agunt, ut ne cibis quidem optimis fidat, sed hos priusquam hinc dijs libent, iubent prægustare ministros, haud dubium quin ob diffidentiam, ne quid uel in his etiã edant bibantue mali. Adde his, quòd cæteris hominibus patria sua cuiq; maxime conducibilis, eò quòd ciues absq; stipendio sese mutuo satellitio

tellitio protegunt aduersus seruos: protegunt autem & aduersus facinorosos, ne quis ciuium per uim occidatur. Ac eò custodiae progressi sunt, ut multorū legibus sancitū sit, nec eum esse purum, qui cum homicida cōmercium habeat. Vnde fit, ut per patrias unusquisq; ciuium tutò uiuat. Contrà tyrannis hoc quoq; uertitur in diuersum. Ciuitates enim non solum non efficiunt supplicio, sed magnifica præmia decreuerunt tyrannicidis. Cumq; eos è templis eiciant qui priuatos homines occiderunt, his qui tale quid patrarunt, respub. statuas ponit in templis. Iam si putes, quia tyranni plus habent opum, ob hoc illis magis delectari, ne id quidem uerum est, ô Simonides. Imò quemadmodum athletæ cū plebeios superant, non ideo sibi placent, uerū cū à plebeis superantur, hoc illos angit: itidem tyrannus non inde gaudet, quòd plura possidere uidetur priuatis, sed cū minus habet alijs tyrannis, tum discruciat, eò quòd hos arbitratur sibi in diuitijs æmulos esse & concertatores. Ac ne contingunt quidem citius tyranno quàm priuato quæ concupiscit, propterea quòd priuatus domū, aut agrum, aut famulum desiderat: tyrannus autem uel ciuitates, uel amplam regionem, uel portus, uel munitas arces concupiscit, quæ difficilius maioreq; cum periculo parantur, quàm ea quæ concupiscunt priuati. Quin inter plebeios, uix paucos inuenias tam egenos, quàm pleriq; sunt tyranni: neque enim multum & satis numero discernuntur, sed usu. Ita fit, ut multa sint quæ superant sufficientiam, pauca uerò quæ desunt usui. Tyranno itaq; quæ multis partibus superant aliorum facultates, ea minus sufficiunt ad necessarias impensas, quàm homini priuato, propterea quòd priuatis

liberum sit in dies impendia quomodocunq; uelint cōtra
 here, quod tyranno cōcessum non est. Nam maxima pars
 impendiorū, & maxime necessariorū, illis in corporis cu-
 stodes insumuntur. At quod illis datur, decurtare perni-
 tiosum uidetur. Iam qui quibus opus est iustè sibi parare
 possunt, quis eos cōmiseretur ut egenos? Sed qui per ege-
 statem huc compelluntur, ut malis acturpibus artibus si-
 bi comparent uictum, an non hos quis miseros & egenos
 optimo iure deputet? Tyranni uerò multa prædari cogū-
 tur, & à templis sacrilegio, & ab hominibus rapina, eò
 quòd nunquam illis sufficit pecunia ad sumptus necessa-
 rios. Perinde enim ac si bellū semper esset, coguntur aut
 exercitum alere, aut perire. Sed & aliam tyrannorū ca-
 lamitatē tibi dicam Simonides. Nouerūt nō minus quàm
 priuati, probos, sapientes, & iustos uiros: hos cū dilige-
 re debeant, metuunt: fortes quidem, ne quid audeant liber-
 tatis amore: sapientes, ne quid machinentur: iustos uerò,
 ne multitudo cupiat ab illis gubernari: quos posteaquàm
 ob metum clam sustulerūt, quinam fiunt illis reliqui, qui-
 bus nitantur, nisi uel iniusti, uel intemperantes, uel serui-
 les? Iniusti quidem habentur, quoniā metuunt quemadmo-
 dum & tyranni, ne quando ciuitates libertati reddite ip-
 sos opprimant. Intemperantes, ob præsentem ac tempo-
 rariam potentiam. Qui uerò seruili sunt ingenio, ob id,
 quòd ipsi ne cupiunt quidem esse liberi. Quapropter mi-
 hi quidem uidetur et hæc esse magna calamitas, cum alios
 ducamus bonos uiros, cogi ut alijs utamur. Accedit his,
 quòd tyrannum quoq; necesse est esse ciuitatis studiosum:
 siquidem absq; ciuiate nec incolumis esse possit, nec fe-
 lix. Contrà tyrannis ipsa compellit, ut propriā criminen-
 tur

tur patriam. Neq; enim fortes, neq; bellaces ciues sibi parare gaudent, sed potius hospites ac peregrinos ciuibus potentiores reddere, atque horum adhibent satellitium. Quinetiam cum annonæ benignior prouentus affert rerum ubertatem, ne tum quidem tyrannus quicq; remittit, arbitrans quòd illos hoc abiectiores sit habiturus, quanto fuerint pauperiores. Sed uis ne Simonides & illas uoluptates tibi cōmemorem, quibus ego usus cum essem priuatus, ijs me nunc spoliatū sentio posteaquam regnū adeptus sum? Ego quidem tum cum æqualibus agebam consuetudinem, gaudens illorum familiaritate, sicut & illi uicissim mea. Mecum etiam uiuebam, si quando quietem & otium desiderabam. Versabar autem in cōuiujs, frequenter eò, ut omnium obliuionem caperem, si quid molestiarum afferret humana uita, frequenter eousque, ut & cantilenis, & hilaritatibus, & choreis animum perungerem, frequenter ad communem quoque satietatem tum meam, tum eorum qui aderant. Nunc uerò nudatus sum his, quibus mea iucunda est consuetudo, eò quòd sodales habeo, pro amicis seruos. Quin et mihi facultas adempta est cum illis iucundè uiuendi, propterea quòd nullam illorum erga me perspiciam beneuolentiam. Vinolentiam uerò & somnum non aliter quàm insidias habeo suspecta. Iam uerò metuere turbam, metuere solitudinem, metuere satellitij absentiam, metuere ipsos etiam custodes ac nec inermes illos uelle habere apud sese, nec armatos uidere libenter, an non res est misera? Tum autem & peregrinis potius quàm ciuibus fidere, ac barbaris potius quàm Græcis? Postremò huc compelli, ut pro liberis habere cupias seruos, & ex seruis cogaris facere liberos? An non

hæc tibi uidentur argumenta animi terroribus attoniti perculsiq; ? Porro non solum ipse metus cum insedit animo molesta res est, sed dum nusquam non adest ac circumfertur, fit omnium iucundarum rerum corruptela. Quod si tu quoque Simonides non inexpertus es rei bellicæ, & aliquando aduersus hostilem phalangem in acie stitisti, recordare qualem cibum sumpseris id temporis, aut quem somnum dormieris. Quales igitur tum tibi erant molestiæ, tales sunt tyrannorum, & his etiam grauiores. Non enim ex aduerso tantum, sed undequaque se putant hostes aspicere tyranni. Hæc cum audisset Simonides, excipiens sermonem ita loquutus est: Nonnulla mihi uideris optimè dicere. Nam bellum sanè formidabilis res est. At tamen nos, Hieron, cum essemus in militia, prius delectis qui excubias agerent, secure tum cœnam, tum somnum capiebamus. Ad hæc Hieron: Sic habet per Iouem, ô Simonides. Nam illorum protectrices sunt leges, itaque & pro sese metuunt & pro uobis. Tyranni uerò mercede conductos habent satellites, non aliter quam messorum. At opus quidem esset, ut custodes nihil æquè præstare ualeant, quàm ut sint fideles. Cæterum multò difficilius est unum fidelem inuenire corporis custodem, quàm uehementer multos operarios cuiuscunq; uelis opificij, præsertim si pecuniæ causa adsint satellites, & liceat illis exiguo temporis spacio multò maius accipere præmium occiso tyranno, quàm accipiunt ab ipso ob diuinam custodiam. Alius uerò nos suspicit hoc nomine, quasi summa nobis facultas sit bene merendi de amicis, contra omnium maximè ualeamus inimicos lædere. Atqui ne id quidem uerum est. Qui nanque possis inducere animum, ut benefacias,

nefacias, cum certò scias, quòd ubi quis plurimum beneficiorum abs te receperit, libentissimè sese ut primùm licuerit, subducat ab oculis tuis? Siquidem ex his quæ data sunt à tyranno, nemo quicquam suum esse putat, priusquam illius potestatem exierit. Quo pacto autem dicere possis tyranno summam esse potestatem inimicis nocendi, cum certò sciat omnes sibi hostes esse, quoscunq; tyrannide subditos habet, quos omnes nec interficere, nec in uinacula conijcere potest, alioqui quibus deinde imperaturus sit? Verum cum sciat illos esse hostes, simul & ab illis sibi caueat oportet, & eosdem familiares habere cogitur. Quin & illud probè nosti Simonides, quòd tyranni ciues quos metuunt agrè conspiciunt uiuentes, rursum agrè interficiunt. Quemadmodum si quis equum habeat egregium quidem, sed tamen formidabilem, & unde periculum sit ne quod malum det immedicabile, ut grauatè occidit illum ob uirtutem, ita agrè potest illo uti, obseruans ac sollicitus ne quod in periculis afferat exitiale malum. Itidem & reliquæ possessiones quæ sic periculosæ sunt ut sint utiles, molestiam afferunt possidenti, rursum molestiam afferunt abijcienti. Hæc ubi ex eo audisset Simonides: Videtur, inquit, Hieron præclara quædam esse res honor, cuius amore mortales & laboris quiduis subeunt, & quoduis adeunt periculum. At cum ista tam multa cõiuncta sint tyrannidi mala quæ tu commemoras, tamen uos, ut apparet, propensis animis tenditis ad illam obtinendam, quòd sitis in honore: atq; inseruiunt uobis omnes citra excusationem ad imperata quælibet. Quin & suscipiunt uos cuncti, assurgunt omnes è sedibus, cedunt uobis de uia, denique uenerantur uos qui uobis semper adsunt

omnes, tum dictis, tum factis. Hæc sanè faciunt tyrannis qui sunt sub illius ditione, aut si quem alium fortè semper honore prosequuntur. Nam mihi quidem Hieron, hoc distare uidetur homo à brutis, quòd honoris est appetens: cum cibo, potu, somno & Venere, cuncta animantia similiter gaudere uideantur. Honorũ uerò cupiditas nec brutis animantibus instita est, nec omnibus inest hominibus. At quibuscũq; insita est honoris & laudis auuiditas, hi de mum sunt qui plurimũ absunt à pecudibus, pro uiris, ac iam non pro hominibus solũ habendi. Quapropter mihi quidem non abs re ista omnia sustinere uideamini, quæ fertis in tyrannide, propterea quòd supra ceteros homines honoramini. Nec enim ulla uoluptas humana propius ad Dei naturã uidetur accedere, quàm honore gaudere. Ad hæc Hieron: Atqui honores, inquit, ô Simonides, tyrannorum tales mihi uidentur esse, quales ego tibi uenereas illorum uoluptates esse iam exposui. Neq; enim obsequia ab his qui nõ amant mutuò, beneficia nobis esse uidebantur, neq; iucunda Venus quæ ui extorqueretur apparebat: consimiliter igitur obsequia quæ deferuntur ab his qui nos metuunt, honores non sunt. Quonam enim pacto dixerimus, uel eos qui coacti assurgunt de sedibus, hoc animo assurgere, ut honorent eos à quibus afficiuntur iniuria: uel eos qui decedunt de uia potentioribus, eò decedere, ut honorent lædentes? Ac pleriq; sanè munera quoq; dant his quos oderunt, idq; tum cum metuunt maxime, ne quid mali ab illis patiantur. At ista magis arbitrator seruilia facta esse iudicanda, cum honores mea quidem sententia, ex his rebus oriantur, quæ cum odio metuq; seruili pugnant. Etenim cum homines sic affecti sunt

ut

ut existiment uirum idoneũ qui possit benefacere, rati se illius frui bonis, postea hunc in ore habent uehentes laudibus, eumq; spectant nõ aliter quàm si suum quisq; bonum intueretur, ac spontè decedunt de uia, spontè assurgunt, amantes, non metuentes, coronantq; ob uirtutem ac benefacta erga rempub. muneribusq; honorare cupiunt: hi demum, hi mihi uidentur eum & honorare uerè, quicumq; talia præstant officia, & qui his se dignum reddidit, reuera uidetur honorari. Equidem eum qui sic honoratur felicem arbitror, sciens illum non insidijs appeti, sed alijs potius esse curæ, ne quid illi accidat: eoq; sine metu, sine inuidia, sine periculis, ac planè feliciter uitam agere. Contrà tyrannus, uelut ab hominibus ob iniurias condemnatus, ac morte dignus habeatur, ita mihi crede Simonides, noctes diesq; uitam degit. Hæc omnia cùm Simonides audisset illum commemorantem: Et quĩ sit, inquit Hieron, ut si adeò misera res est tyrannidem gerere, idq; te non fugit, nõ abicias tam ingens malũ? Neq; tu, neq; alius quisquã unquã lubens tyrannidem deposuit, ubi semel nactus est. Quoniam, inquit, õ Simonides, isto nomine miserrima est tyrannis, quòd ab ea nõ licet discedere. Quomodo enim quisquam tyrannus unquam suffecerit ad pecuniam rependendam ijs quos spoliauit? aut quomodo uincula repenset his quos detrusit in uincula? aut quomodo restituet tot animas extinctas his quos occidit? Sed si cuiquã alteri õ Simonides, expedit laqueo finire uitam, scito, inquit, me compertum habere, ut id faciat nulli magis expedire q̃ tyranno, quandoquidem huic uni mala nec retinere nec deponere expedit. Ad hæc Simonides: At nunc, õ Hieron, te malè animatũ esse erga tyrãnidem nihil minor. Nam cùm

amari cupias ab hominibus, tyrannidem tibi putas obstare quò minus hoc assequaris. Ego tamen uideor mihi posse docere te rationem, qua fiat ut non solum imperium nihil officiat quò minus ameris, uerum etiam hic superes statum uitæ priuatum. Hoc autem considerantes an ita res habeat, nondum illud consideremus, an quòd princeps potentior sit, ob id etiam plura largiri possit: sed si in largiendo paria faciant princeps ac priuatus, hic expende uter paribus beneficijs plus initurus sit gratiæ. Ordiam autem ab exemplis infimis. Primum conspectum salutatum obuium amicè, hinc princeps, hinc priuatus: hic utrius appellationem iucundio rem fore putas salutato? Iam nosti, si ambo laudarint eundem, utrius laudem existimes plus attulisse uoluptatis? Sacrificio peracto de uictima honoret eundem uterque, scis ab utro honor habitus uideatur gratior? Itidem laborantem æquè curent ambo. An non igitur perspicuum est, officia quæ præstantur à potentissimis, maximam item afferre uoluptatem? Iam ponatur officiorum æqualitas, an non hic perspicuum est, quòd dimidium beneficiæ à potentissimis profectum plus ualeat, quàm totum à priuato profectum? Ad hæc mihi quidem uidetur, etiam à dijs honos quidam & gratia comes addita uiro principi. Non solum enim formosiorè reddit uirum principatus, uerum etiam eundem hunc pulchriorem uidemus cum principatum gerit, quàm cum agit priuatum. Quin & colloqui gaudemus cum his qui honore præcellunt, magis quàm cum æqualibus nobis. Iam & iuuenum pusiones, quo nomine tu quoque maximè tyrannidem incusabas, minimè principis senectutem fastidiunt, minimequè turpe ducunt, si cum quocunq; habeant fami-

familiaritatem. Quin potius hoc maximo est ornamento à principe magnifieri. Ita fit ut regnum & quæ molesta sunt auferat, & quæ honesta, magis illustret. Itaq; cum paribus officijs uos plus ineatis gratiæ, cumq; uos longè plura præstare ualeatis iuuandis alijs, multoq; plura donandi facultatem habeatis, quomodo nõ consentaneũ est uos magis etiam amari quàm nos priuatos? Ad hæc protinus Hieron ita respondit: Quoniam, ô Simonides, cogimur etiam magis quàm homines priuati ad negocia, ob quæ nos inuisos habent homines, exigendæ sunt pecuniæ si uolumus habere quæ suppetant nobis in sumptus necessarios. Neesse est etiam seruare quæcunq; requirit corporis custodia. Ad hæc plectendi sunt qui ledunt, prohibendi qui uim parant. Deinde si quando subitò tempus urgens postulat, ut uel terra, uel mari sit expeditio faciendâ, res nõ est cõmittenda temerarijs. Adde his, quòd homini principatum gerenti, etiam conductitio milite opus est: qua qui dem re nõ alia est sarcina ciuibus grauior. Non enim hos putant æquari tyrannis honore, sed rapinæ causa credũt ali. His ita respondit Simonides: Atenim non dico, ô Hieron, harum omnium rerum curam non esse habendam, attamen functiones mihi uidentur aliæ prorsus in odium adducere, aliæ rursus cum gratia beneuolentiãq; peragi. Itaq; docere quæ sunt optima, & eos qui ea pulcherrimè præstant, laudibus & honoribus afficere, hæc quidem functio cum beneuolentiã coniuncta est. Cæterum qui secus quàm oportet agit quippiam, hunc conuicijs afficere, cogere, multam dicere, punireq;: hæc uerò neesse est cum odio maleuolentiãq; cõiuncta esse. Censeo itaq; uiro principi sic agendum, ut si quis eget coactione, hunc alijs pu-

niendum tradat: cæterum cum præmia reddenda sunt his
 qui rem bene gesserunt, id per seipsum faciat. Quod autem
 hæc rectè habent, testatur publica cõsuetudo. Quoties uo-
 lumus nobis musicũ certamen exhiberi, præmia quidem
 proponit princeps. Cæterum eos congregandi negotium
 datur choragis: quemadmodum alijs iniungitur, & docen-
 di uimq; adhibendi eis qui minus rectè se gerunt, partes de-
 legantur. Ita fit protinus, ut in his quod gratiosum est, per
 principem sit factum: quod uerò contrà, per alios. Quid
 igitur uetat & alias functiones, quæ ad prohibendos ho-
 mines pertinent, simili modo peragi? Nam res publicæ om-
 nes diuise sunt, aliæ per tribus, aliæ per classes, aliæ per
 manipulos: principes autem singulis partibus præsentent.
 Itaq; si quis quemadmodum fit in choris, ita his quoq; pro-
 ponat præmia, tum ob egregiam armaturã, tum ob pul-
 chre seruatam ordinem, tum ob equitandi peritiam, tum
 ob uirtutem in bello præstantem, tum ob iustitiam in con-
 uentis, uerisimile est hæc quoq; cuncta acrius exercenda
 si adsit contentio, uincendiq; studiũ. Ac meherle citius im-
 pelluntur quocunq; opus est, qui honoris sunt auidi: ci-
 tiusq; cõferent pecuniam, si quando pecuniam exigat oc-
 casio. Et quod est omnium utilissimũ, id minime tamen u-
 sitatum est, ut per contentionem agatur. Hæc nimirum
 est agricultura, cui multũ accesserit, si quis per agros ac-
 uicos præmia constituat his qui quamoptime terram ex-
 coluerint, ijsq; qui ex ciuibus maxime in hanc rem incu-
 buerint, is multa bona reipublicæ præstiterit: quando-
 quidem & crescent reipub. prouentus, & sobrietas occu-
 patos magis comitabitur, & operi intentis minus orietur
 scelerum. Quod si quid etiã negociatio cõducit reipub.
 honos

bonos habitus ei qui hanc potissimum exercuerit, efficiet
 ut plures affluant qui merces importent. Iam si & illi ho-
 nos habeatur, qui reipublicæ utilitatem quampiam citra
 cuiusquam dolorem excogitarit, ne hæc quidem cura ces-
 saret. Atque ut sermonem in pauca conferam, si cunctis
 esset perspicuum, non cariturum præmio, quisquis boni
 quippiam inuenerit reipublicæ, plurimos ea res excita-
 ret ad studium inueniendi quippiam boni. Sanè cum mul-
 tis curæ est ciuitatis utilitas, fieri non potest quin & plu-
 ra reperiantur ingenio, & obeantur functione. Quòd si
 metuis, ô Hieron, ne si multorum nomine præmia propo-
 nantur, multi sumptus existant: cogita nullam mercem
 esse magis uilem, quàm quæ ab hominibus præmijs emi-
 tur. Vides in equestribus ac gymnicijs certaminibus, ut
 exigua præmia ad magnos sumptus, ad magnos labores,
 multumq; studium proliciunt homines. Tum Hieron:
 Ista quidem, inquit, ô Simonides, mihi uideris rectè di-
 cere. Cæterum habes ne quicquam quod dicas de stipen-
 diatis, quò minus habeamur ob illos odio? an dices, prin-
 cipi qui parauit ciuium beneuolentiam, nihil iam opus
 fore satellitio? At hercle, inquit Simonides, opus tamè fue-
 rit. Nosti siquidem, quod in equis accidere solet, idem u-
 su uenire in quibusdam hominibus, ut quò copiosius ipsis
 suppetunt necessaria, hoc euadant ferociores. Tales igitur
 magis reddit sobrios metus, quem adferunt satellites.
 Honestis uerò ac bonis, nulla ex re mihi uideris tantum
 utilitatum præstare, quantum præstas ex satellitio. Nam
 alis haud dubiè tu quidem illos tibi ipsi custodes. At iam
 heri complures à seruis suis interempti sunt. Quòd si u-
 num illud in primis præceptum fuerit satellitibus, ut per

inde quasi essent omnium satellites ciuium, ita omnibus essent auxilio, si quid tale senserint ciues (sunt autem, quemadmodum scimus omnes, aliqui facinorosi in ciuitatibus) si igitur fuerit imperatum, ut satellites etiam illos seruent, in hoc quoque ciues intelligent illos sibi esse utiles. Præterea & his qui in agris operantur, & iumentis, hi nimirum, ut est probabile, tum securitatem, tum fiduciam præstare possent, simul & tuis, & ijs qui in ditione tua sunt operarijs. Nimirum sufficiunt & ad ocium præstandum priuatis ciuibus, & illorum curandis negocijs, si ad omnem occasionem aduigilarint. Ad hæc, ad hostium occultas subitasq; insidias uel præsentendas, uel arceudas, qui paratiores esse possint ijs qui semper armati sunt, & in acie compositi? Iam & in militia quid est ciuibus utilius mercenario milite? Siquidem uerisimile est, hos esse promptissimos ad finitimas ciuitates, tum labore, tum periculis, tum custodia sua tuendas non coactos, propterea quòd quum semper sint in armis, pacem maximè exoptant. Nam qui ad pugnam instructi sunt, & amicorum tueri fortunas, & hostium res atterere possunt maximè. Ergo simulatque ciues perspexerint satellites neminem lædere innocentem, sed eos qui malè facere conantur, cohibere: insuper & his qui per iniuriam læsi sunt opitulari: demum prospicere, ut suo periculo ciues protegant: quò fieri poterit, ut in hos non etiam pecuniam impendant libentissimè, cum adhibeant ad ea quæ minoris quàm hæc sunt momenti custodes? Oportet autem, ô Hieron, ne de tuis quidem priuatis facultatibus grauatim impendere commodis reipublicæ. Nam mihi quidem uidetur ea quæ impenduntur reipublicæ, rectius collocari, quàm

quàm quæ priuatim insumuntur homini principatum gerenti. Hoc per singulas res consideremus. Vtrum existimas domum immenso sumptu magnificè extructam tibi plus addere ornamenti, an totam ciuitatem, muris, templis, porticibus, foris, portibus instructam? Vtrum autem ipse armis maximè formidabilibus exornatus, terribilior uidereris hostibus, an si tota ciuitas tibi sit pulchrè armata? Porro census utro modo credis uberiores fieri, si tuos duntaxat in ope detineas, an si studio effeceris ut omnes ciues sint in opere? Quandoquidem uerò exercitium omnium pulcherrimum existimamus, studium equos alendi, currusq; parandi, utrum putas tibi maiori futurum ornamento, si ipse quamplurimos currus alas, mittasq; ad publica certamina, an si inter ciues tuos plurimi fuerint qui equos alant, plurimi qui in certamen eant? Vtram porro uictoriam pulchriorem esse iudicas, eam ne quam ex laude currus, an quam è republica cui præsidet felicitate? Nam ego sanè ne conuenire quidem arbitror, uiro principi cum priuatis decertare: qui si uicerit, tantum abest ut sit admirationi, ut magis sibi conflet inuidiam, ut qui ex multorū domibus faciat impendia. Cæterum si uictus fuerit, omnium maximè deridetur. Verum hæc mea est, ô Hieron, sententia, tibi cum alijs ciuitatum præfectis certamen esse: quos si superaris, tuam ciuitatem cui præsidet, quam felicissimam reddendo, illud certum scias, te in longè pulcherrimo inter homines magnificentissimoq; certamine uictorem fore. Atq; in primis quidem illud effeceris, ut ameris ab his quibus imperas: cuius sanè rei tu percupidus es: tum uerò uictoriæ tuæ non unum habiturus es præconē, sed omnes homines laudibus uehent uir-

tutem tuam. Insuper omnibus suspiciendus, non tantum à priuatis, uerum etiã à multis ciuitatibus diligeris: nec priuatim modò futurus es admirabilis, sed & publicè apud omnes. Actutum tibi erit si quò uoles ad spectaculũ proficisci: licebit et hac ipsa in urbe manenti spectaculis frui: semper enim apud te fuerit cõuentus eorum qui cupiunt ostentare, si quis quid pulchri boniue habeat, & id desiderantibus inseruire. Præterea quisquis adfuerit tibi, tuarum partium erit: rursus qui abest, te uidere concupiscet, ut non solum diligaris ab omnibus, uerum etiam amaris. Porrò formosos non oportebit abs te tentari, sed ipsi tibi à formosis ambiri, ferendum erit. Metũ autem adeò nullum habiturus es, ut alijs potius metum ac sollicitudinem iniecturus sis, ne quid tibi accidat quod nolint. Quin & habiturus es tuos ultrò parentes imperatis, uidebisq; illos ex animo tui curam gerere. Quòd si quid inciderit periculi, non solum uidebis illos pugne socios, uerum etiam propugnatores. Multis quidẽ muneribus honoraberis, neque uerò tibi deerit cui tibi beneuolenti ea impertias, cum omnes habiturus sis tibi de tuis bonis gratulantes, omnes item non aliter pro tuis priuatis commodis quàm pro suis proprijs decertantes. In tuis quidem thesauris habebis quicquid est opum penes amicos. Agè Hieron ditā fidenter amicos, sic enim ditabis te ipsum. Auge rempublicam, sic enim tibi ipsi potentiam adiunges. Para rei publicæ belli socios, puta patriam esse domũ tuam, ciues uerò sodales, amicos tuos ipsius liberos, filios uerò non aliter habeas quàm animam tuam, huc interim adnitens, ut hos omnes beneficentia superes. Etenim si amicos feceris tuos benefaciendo, haudquaquam tibi poterunt obistere inimici.

inimici. Hæc omnia si præstiteris, illud certum habeto, te tibi paraturum, quo non alia inter homines possessio uel pulchrior, uel beator: quandoquidem & felix eris, & tamen tibi nullus inuidebit.

NOBILI ET GENEROSO VI-
RO IOANNI COIONAEO MON-
tisricherij domino clementissimo,

Ioannes Ribittus S.D.



Vm typographus Basiliensis diligentissimus, & utilitatis publicæ studiosissimus, Michaël Ifingrinus, Xenophōtem totum latinis auribus tradere constituisset, & pauca quædam è græco conuerterenda restare sciret, nempe rempublicam Atheniensium, Poros, Symposium, & Hipparchicum, rogauit Conradum Gernerum uirum doctissimum, eam rem ut perficiendam curaret. quam prouinciam feliciter obire Conradus ipse potuisset: sed alijs implicitus, eam ut suscipere hortatus est, uel ut uerius dicam, Ifingrini esflagitatione suscipere me coëgit. quæ ita à me administrata est, ut mihi ipse satisfacere nullo modo possim. Qui enim aliquid perfectum dem in tanta uetustate, rerum obscuritate, codicum deprauatione, & hac mea uotiusq; linguæ notitia perexigua? ut uerendum mihi sit, ne illud in me iactetur, me quasi Phormionem quendam de armis sermonem habere: quod uehementer reprehendendum Hannibal putauit. Illud certò scio, me illam iucunditatem in affectatam assecutum non esse, quam rectè Fabius Quintilianus neminem assequi posse asserit. Hoc affirmare audeo, à me elaboratum esse ut autoris sententiam eruere & exprimere aliqua ratione possem: quod si non sum assecutus, tamen posthac leuius fore onus credo, si quis denuò uel interpretanda uel limanda illa Xenophontea suscipiat: & nos aliquando, Deo uolente, limatiora & politiora edemus. De cæteris fortassis alijs, nunc de Hipparchico illud breuiter habeto

tius equestris disciplinæ ueteris rationem in eo confine-
 ri: siquidem primò, quoniam sint ad usum belli cōmodi
 equi aut incōmodi, docet: equitū deinde iaculationem,
 assiduam exercitationem & obedientiam pulchrè sub-
 iungit: de præmijs insuper proponendis, ut exercitatio-
 nis labores alacrius obeant: de simulachris belli, de pro-
 grediendi ratione, de præcurforibus, quid in pace magi-
 stro equitū agendum, de exploratorū generibus, de ho-
 stium fallendorum ratione, de concilianda equitum be-
 neuolentia, de laude uirtutis bellicæ, de ratione adorien-
 di hostes, & postremò de diuino auxilio suppliciter im-
 plorando, non minus scitè quàm piè disserit. Quæ ra-
 tio tametsi cum nostri temporis equestris disciplina om-
 ni ex parte nō conuenit, tamen iucundum erit illam ue-
 tustissimam cum nostra comparare, ut utriusq; rationi-
 bus collatis, quid melius posteriores inuenerint, quid
 immutarint, quid deniq; retinendum censuerint, eluce-
 scat. Conscire etiam licebit, quid ad normam illius hoc
 tempore corrigi utiliter possit. Nam in reliquis artibus
 omnibus, aliquid ad uetustatis regulam emendatū esse
 hac ætate, tam perspicuum est, ut frustra quis probare
 contendat. Sed cum Hipparchicum hunc nostrum nol-
 lem sine patrociniò in manus hominum uenire, unum
 te uir generosissime & eruditissime reperiēbam, qui ad-
 uersus importunos literarum uituperatores defendere
 non modò posses, sed etiam uelles: doctos autem horta-
 ri, ut rempub. iuuare conantium adiutores esse mallent
 quàm obtrẽctatores: unū enim te uidebam qui cum ge-
 neris claritate, literarum scientiam non uulgarem con-
 iunxisses. Atq; tuorum studiorū & diligentia testis est
 Dola, testis Lutetia, testis deniq; Pictonum ciuitas: qui-
 bus in locis quātos progressus feceris, facilè uident om-
 nes, qui hanc tibi laudem tribuunt, ut in nobilitate infe-
 riores multos, per paucos tibi pares faciant, in literis ue-
 rò omnibus te generosis anteponant. Illud ipsum tui ci-
 ues Lausannenses uno ore confitent: idem de te testimo-
 nium Bibiscum, idem Morgienses cōfirmant. De me ue-
 rò quid dicam? quem tanta humanitate iam inde à pri-
 mò cum Bibiscum peruenissem complexus es, ut ab il-
 lis disse-

lis dissentire nequaquam possim: cur igitur dubitem quin benignè perlibenterque hunc libellum suscepturus, & tua autoritate sartum tectum (ut aiunt) ab omni detrimento periculoque conseruaturus sis, non uideo. Nam quantum fauere soleas tum studiosis, tum studijs ipsis, breui epistola explicari non potest. Atque huius tui in literas literatosque propensi animi magnū est argumentū, quod prudentissimī Senatus Bernensis linguarū gymnasijs excitandis institutum, crebris sermonibus iactare, inque cælū usque euehere soleas: nec meherclè immeritò, cum non obscuro Senatusconsulto linguarum professoribus amplissima decreta sint stipendia: quo nomine patriæ uestræ tum ipse, tum clariss. uir Hubertus Ludouicus, qui primus ad græcarū literarū studia in Rupensi schola me excitauit, gratulari libenter soletis. Vale uir generosissime, atque hunc primū conatum nostrum boni consule. Lausannæ VIII. Idus Feb. anno 1545.

Xenophontis

HIPPARCHICVS, SEV DE MAGISTRI EQVITVM OFFICIO,
Ioanne Ribitto interprete.



PRIMUM precandum est à dijs, faciendis sacrificijs, ut illud tibi largiantur, ea ut sentias, loquaris & agas, quæ gratissima ipsis sint: tibi autem, amicis ac reipublicæ minimè molesta, summeque gloriosa ac utilia. Placatis uerò dijs curandum tibi est, ut equites producas & recenseas, tum ut numerus legitimus expleatur, tum ne quid de equitatus superioris numero detrahatur. Quòd si non producti fuerint equites, semper pauciores erunt, quòd alios senio

defatigari, alios etiam deficere necesse sit. Ac expleto quidem equitatu, diligentia adhibenda est, ut equi qui labores perferre possint, alantur: qui enim laboribus succumbunt, hi neque equitem ferre, neque effugere omnino possunt. Danda est etiam opera ut commodos & faciles habeas equos, quod cōtumaces hostibus magis quam nostris sunt auxilio. Calcitrosi item & sternaces qui sunt, cum conscensu fuerint, ab usu belli remouendi, cum præsertim tales sæpe nobis plus calamitatis, quam ipsi hostes inferant. Curandi uerò pedes sunt, ut per loca etiam aspera ingredi possint, cum illud notum sit, equos incitatos inutiles esse ubicumque cum dolore ingredi coguntur. Equis igitur sicuti decet constitutis, rursus equites exercendi sunt, ac primū ut in equos insilire possint: multi enim iam hac ratione salutem consecuti sunt. Deinde illud curandum, ut in omni genere locorum uehere equitem possint: etenim hostes aliās in alijs cōsistunt locis. Cumque iam satis exercitati fuerint, rursus uidendum est ut ex equis scientissimè iaculari possint, & alia exequi, quæ peritos equites scire decet. Post armandi sunt tum equites tum equi, ut quæminimū ipsi uulnerentur, hostes autem quæmaximis afficere possint incommodis. Postea efficiendum est, ut milites dicto sint audientes, cum præsertim sine his neque equi boni, neque equites exercitati, neque arma concinna, quicquam prodesse possint. Atque his quidem uniuersis magister equitum præesse debere uidetur, ut pulchrè cuncta componantur. Quoniam autem nostra ciuitas difficile esse iudicauit, ut hæc uniuersa unus cum esset Magister equitum exequeretur, delectos ei tribunos adiutores addendos putauit: senatui autem mandauit, ut unā cum illis equitatus curam susciperet,

peret, illud mihi uidetur utile esse, ut Tribunos sic tractes & præpares, ut tecū, quæ sint equitatu honesta & decen-
tia, conquirant. In Senatu autem commodos habeas ora-
tores, qui equites oratione perterrefaciant (quia terri-
tiores meliores euadent) & Senatum, si quid importunè succen-
seat, mitigent. Atq; hæc quidem eorum quæ tibi curanda
sunt, commentaria sunt. Quemadmodum autem singu-
la quamoptimè perficiantur, id iam dicere aggrediar.
Equites igitur ex lege conficiendi sunt, qui re & corpo-
ris uiribus plurimum possunt: quos uel in iudicium uoca-
bis, uel oratione persuadendo cōmonebis. Equidem illos
in iudicium adducendos arbitror, quos si non adduxeris,
quæstus causa id fecisse uideri possis: minus enim poten-
tes statim se uerterint persuasi, si prius potētissimos coë-
geris. Iam uerò mihi uideris iuuenes ad cupiditatem equi-
tandi dicendo & equitatus splendorem cōmemorando al-
licere posse, eosq; in quorum sunt potestate, minus resi-
stentes efficere, si hac apud illos utaris oratione, fore ut co-
gantur equos alere, si non sub te, at sub alio, propter eas
quæ ipsis suppetunt facultates. Quòd si sub te conscende-
rint, dices te abducturum pueros illorū à magni precij et
insanis equorum emptionibus, curaturumq; ut q̄ primum
periti euadant equites. Atq; is qui hæc dicat, ea etiā præ-
stare & efficere conetur. Senatus si prædicat, qui equum
habeat qui sequi nō possit, eum coactū iri ad duplam equi-
tationem, & eius equum repudiatum iri, illud effecturus
esse uidetur, ut equi melius alantur, & in posterum dili-
gentius curentur. Illud quoq; utile est, ut uoce præconis
significetur, equos ferocios repudiatum iri: hæc enim mi-
næ & ad tales uendendū magis incitabūt, & ad emendū

moderatus. Vtile est etiam, ut qui in decursione equestrī calcitrant, repudiatū iri prædicetur, cū præsertim qui tales sunt, nunq̄ in acie instrui & consistere possint: sed si quò in hostes irruptio facienda est, postremos omnium sequi necesse est: itaq; propter equi uitium inutilis quoq; reddetur eques. Quemadmodum autem fiant pedes equorum robustissimi, si quis habet faciliorem & promptiorem exercitationem, eam sequatur: sin minus, illud usu doctus faciendum suadeo, ut cōiectis confuse ex uia lapidibus plus minus unius libræ, hīc collocetur equus interim dum fricatur à præsepi solutus: ingredi enim per lapides illos equus nō desistet, neq; cūm detergetur, neq; cūm calcaribus additis incitabitur. Qui autem periculum fecerit, ijs quæ à me dicuntur fidem habebit, equiq; pedes rotundos effectos animaduertet. Cūm autem equi tales fuerint, quales maximè requirimus, iam quemadmodū præstantissimi fiant equites, nobis est explicandum. Ac iuuenes quidem, ut in equos asilire discant, persuadendi sunt. si uerò magistrū qui eos instituat adhibueris, iure optimo laudem cōsequere. Maiores autem natu si Persarū more assuefeceris, ut alij alios uicissim in equos imponant, hos quoq; multū iuueris. Ut autem in omni locorum genere periti & idonei sint equites, crebrò educere, nullo imminēte bello, fortasse molestum sit: sed reprehensa equitū negligentia, ut se exerceant, & in agrum aliquò excurrant, celeri utentes incitatione per omne locorum genus consulere debebis: hoc enim æquè utile est ac si educas, nō tamē æquè molestum. Nec uerò intempestiuū est, ut equites admoneantur, cui uita tem nostram equitatus nomine sumptus magnos, talentorum circiter quadraginta, in annos singulos tolerare, ne

tum equitatū requirat, cū bellum ingruerit, sed in pro-
 cinctu habeat, & parato utatur: hæc enim si secum re-
 tabiant, illud accidet, ut magis ac magis in re & disciplina
 equestri sese exerceant, ut si bellum excitatum fuerit, pro
 patria, pro gloria, & deniq; pro salute uti liceat nō in-
 exercitatis. Etiam illud utile est, ut equitibus præsignifices,
 te tandem & per omne locorū genus ducturū: ac in exer-
 citationibus decursionū militariū in alium atq; alium lo-
 cum educere nō inutile est, & ipsis equis longē utilissimū,
 iaculari ex equis. Sic rursus q̄ plurimi uidentur mihi mili-
 taturi esse, si tribunis præsignificabis futurū esse necesse,
 ut suæ tribus iaculatores ad iaculationem educant: pro se
 enim quisq; q̄ plurimos reipub. iaculatores exhibere con-
 tendet. Quinetiam ut honestè armati sint equites, tribuni
 ipsi uidentur plurimum adiuuenti afferre posse. Itaq; in
 eam opinionem adducendi sunt, ut in conspectu totius ci-
 uitatis tribus splendore ornari multò gloriosius esse du-
 cant, quàm si solū suo ipsorū uestitu cōspicerentur indu-
 ti. Credibile autem est non difficulter credituros hæc ita
 habere eos quidem, qui gloriæ & honoris cupiditate im-
 pulsī cōcupierint Tribunatū. Possunt etiam ex legis præ-
 scriptione se armare, ita ut nullū de suo stipendio sumptū
 facientes, cogant etiā alios ex eodem legis præscripto ar-
 mari. Porro autem ut dicto sint audiētes equites, utile est
 quæ in rectè parendo cōmoda insint, oratione explicare.
 Re ipsa etiam ut lex præscribit declarandum est, ut qui se
 composirè & obedienter gerunt, augeantur, & meliore
 sint conditione: qui autem non paruerint, deiciantur, de-
 terioreq; sint conditione in rebus omnibus. Vehementissi-
 ma illa mihi uidetur esse Tribunorum ad honoris cupidi

tatem incitatio, ut ex ijs qui bene sunt instituti & preparati, dux suæ quisque tribui præficiatur: ac præcursores qui tibi adstant armis decorabis quam ornatisissimis: utq; quam diligentissimè iaculando se exerceant coges, eosq; optimè exercitatos ad iaculationem ipse educes. Quòd si quis præmia proponere possit eorum omnium, quæ honestè solent ab equitatu in spectaculis exerceri, hoc ipso omnes Athenienses ad contentionem & exercitationis laborem incitatum iri crediderim. Perspicuum est enim hoc in choris, quàm multi labores multiq; sumptus suscipiuntur præmiorum causa exiguorum. Tales autem querendi sunt certaminum iudices, ut uictores maxima afficiant lætitia & gloria. Iam igitur equites, si in his omnibus probè exercitati fuerint, ordinem profectò quendam scire necesse est: ac deinceps magnificè sacrorum pompas dijs exhibebunt, ac scientissimè uehentur equis: fortissimeq;, si erit opus, præliabuntur: facillimeq; & sine ulla perturbatione progredientes ordinem in uia tenebunt: ac si quod flumen fuerit traiciendum, traicient. Quo autè ordine utentes hæc optimè effici possint, deinceps explanare tentabo. Cùm igitur tribus sint in nostra ciuitate distinctæ, earum decuriones primū existimo quosq; ex Tribunorum sententia, ex iuuenibus & ætate uigentibus, & rerum honestarum cupidis creari oportere, eosq; in prima acie collocari. Post parem his maximorum natu & prudentissimorum numerum eligere conuenit, qui sint in decurijs nouissimi. Si enim licet comparare, sic ferrum maxime secatur ferrū, si & illud quod primū est, & hoc quod est in medio positum, robustum fuerit, & quod impellit fuerit idoneum. Eos autem qui sunt inter primos & postremos, posteaq;

decu-

decuriones epistatas delegerint qui proximè à tergo sequantur, aliq; idem fecerint, uerisimile est singulis singulos epistatas fidelissimos fore. Ducem uerò omni ex parte perfectum maximeq; idoneum constituere debemus. Idoneus autem si erit; siue irruptio facienda est in hostes, hortatu eos qui sunt in prima acie animabit: siue contrà retrocedendum esse tempus postulabit, prudenter ducens facilius arbitror tribules suos conseruabit. Decuriones uerò si pares fuerint, plures exhibebunt partes æquales distinguendas, quàm si essent impares. Atque hæc instruendæ aciei ratio mihi probatur et placet, propter eas quas explicaturus sum causas. Ac primùm, quòd omnes qui in prima stant acie, principes sunt, & magistratu funguntur. Omnes autem cum magistratum gerūt, magis se decere putant ut aliquid honestè gerant, quàm si priuati forent. Deinde, si quid agendum sit, mandatum quod datur non priuatis, sed magistratibus, efficacius esse consueuit. Atq; illis in hunc modum instructis, ut magister equitum Tribunis stationem in qua cuiq; sequendum sit, prædicet & assignabit: sic Tribuni decurionibus, quemadmodum cuique sit proficiscendum, mandabunt. Nam his ita præmonstratis multò melior conseruabitur ordo, quàm in theatro, ubi qui exeunt temerè & sine ordine, sibi alijs molestias exhibent. Et cupidius solent pugnare primi, si quid à fronte ingruat, quòd sciant eam stationē esse suam. Itemq; nouissimi, si quid à tergo inferatur, quòd ordinem deserere turpe esse nō ignorent. Inordinati autē se ipsi impediunt & perturbant, tum in angustijs uijs, tum in fluminū traiectionibus: & aduersus hostes nemo se sua sponte ac sine ductore instruit ad præliandum. Atq; hæc

quidem sunt quæ meditata & exercitata habere decet equites, si modò uelint nihil detrectantes & prætexentes imperatori adiutores esse. Iam illa curare debet equitum magister, primùm ut pro equitatu dijs litet: deinde, ut pompas in festis spectatu dignas exhibeat: præterea alia quæ ciuibus edenda sunt, ea quam magnificentissima efficiat & præstet, tum quæ in Academia, tum quæ in Lycio, tum quæ Phaleris, tum quæ in curriculo edi consueuerunt. Atque hæc sint altera commentaria. Quemadmodum autem singula ornatissimè perficiantur, ea iam deinceps explicabo. Ac pompas quidem & dijs & spectatoribus fore gratissimas arbitror, si ab ijs initio ducto, quorum templa & simulachra sunt in foro, à Mercurij statuis in orbem circum forum perequitabunt & templa, deos uenerantes: ac præterea si Liberalibus chori qui cum alijs dijs, tum illis duodecim tripudient, exhibebuntur. Rursus postquam ad statuas Mercurij obequitarint, illud mihi spectatu iucundum uidetur, ut tributim ad celerem decursionem laxent equis habenas Eleusinium usque. Ne illud quidem prætermittendum existimo, ut hastas ita teneant, ne aliæ alijs incumbât, sed suam quisq; hastam inter aures equi gestet, si terribiles et ordinatas, ac in speciem multas uideri uelit hastas. Postquã celeris decursionis finem fecerint, honestum est & aliam rursus decursionem cõposito gradu & tardo instaurare, ac in templa eadem uia qua paulò antè decurrerât, reuerti: uidendũq; est, ut quæ sunt in equo sessorem uehere assueti, & dijs & hominibus omnia ostententur. Scio nostros equites istis non esse assuefactos, ea tamen utilia & honesta esse iudico, & spectatoribus nõ iniucunda. Audio etiam & alia quaedam

quædam certamina recens equites instituisse, postquam magistri equitum quicquid libéret persuadere potuerūt. Verùm cum priusquam iaculentur, in Lycio decurrant, iucundū est spectatu utrasq; quinq; tribus quasi ad prælium in fronte decurrere, ductore magistro equitum & Tribunis, eo ordine seruato, ut curriculi latitudo cōpleatur: cumq; caput ex aduersa fronte positi theatri superauerint, decorum arbitror uisum iri, si aliquot equites per locū leniter decliuem celeriter posse decurrere ostentes: nec dubito, si credant se posse celeriter decurrere, quin id sint facturi per libenter. Sin autem in exercitati fuerint, uidentur ne ab hostibus istud ipsum facere cogantur. Ac in probatione quidem qui sit ad pulcherrimè equitandū ordo seruandus, explicatum est hæctenus. Sed si fortem equum habebit imperator, extra ordinem semper obequitabit, semperq; celeritate equitandi utetur. Idem planè facturi sunt, qui cum illo fuerint: itaq; Senatus semper celerem decursionem spectabit, nec equi per uices quiescendo fatigabuntur. Cum tamen in curriculo exercitatio erit, tum utile est sic primū instrui, ut in fronte completo equis curriculo, in eos qui erunt in medio in festo cursu ferantur. Illud etiam iucundum est spectaculum, cum in contraria equitatione & decursione tribus aliæ alias fugiūt, & celeriter persequūtur: cumq; magistri equitū quinq; tribus ducunt, utrasque tribuum partes transire & percurrere alteras: in hoc enim spectaculo illud terribile est, cum hi qui ex aduersa fronte stant, alij in alios faciunt incursiones: & maiestatis plenum, cum per medium curriculum percurrunt, & rursus ex aduerso alij alijs resistunt, & ad tubæ cantum cum celeriter iterum decurrūt:

id uerò spectatu iucundū est. cumq; constiterint, iam rursus tertium ad tubæ signum summa celeritate in festo cursu alij in alios inuehi debetis, ac cum peruerperitis, usq; ad eum finem dum fessi sitis, iam phalange instructa uniuersi, quem admodum cōsueuistis, in curiam decurretis. Hæc mihi quidem & bellicosiora, & nouitate ipsa iucundiora fore uidentur. Tardius autē quā tribuni decurrant, decurrere, & eodem cum illis modo equitare, id equitum præfectura uidetur indignum. Cū autem in Academiæ circo equitandum erit, ne excutiantur ab equis, ut supinantes sese & reflectentes cursum ineant, admonitos uelim. Ne autem ipsi cadant equi, in flexu frænū attrahendum est: in recto autem cursu laxis habenis semper celeriter decurrendū: isto enim pacto tutam & iucundam rem spectabit Senatus. Illud semper curare debet Magister equitum, in itineribus ne uel equi uel equites fatigantur. Non fatigabuntur autē equi, si seffores aliquando descendant, & nonnullam itinerum partem pedibus conficiant: quæ ratio mediocritatis, ipsos quoque equites defatigari non sinet: nam mediocritatem sequens nunquam erraueris. Vtriusq; autem modus est (quod facile singuli iudicare poterunt) qui citra fatigationem consistit. Cū autem per huiusmodi loca progredieris ubi metuendum sit ne in hostes incidas, tum uicissim & per partes exercitum reficiendū curabis: nimis enim periculosum foret, si hostes accederēt ubi omnes ab equis descendissent. Ac si per angustas uias agmen ducendū erit, tum imperio per manus tradito, in cornu ducere oportebit. Sin autē in latas uias incidaris, rursus edicto occulto frōs cuiusq; tribus erit dilatanda. Quod si in planitiem uentū erit, in phalangem
singulæ

singule tribus erunt instruendæ: hoc enim uel exercita-
 tionis causa utile est: incundiusq; est, cōfectis itineribus,
 progrediendi rationem equitum ordinibus uariare. At
 eum extra uiam in locis difficilibus ducetur agmen, peru-
 tile est tum in hostico, tum in pacato, ut ante signa euehan-
 tur cohortis cuiusq; ministri aliquot: qui si in locos transi-
 tu difficiles inciderint, ad transitu faciles accedent, equi-
 tibusq; quæ progredi possint, ne uniuersi fallantur ordi-
 nes, indicabunt. Sin in periculis uersetur equitatus, pru-
 dentis est Hipparchi ut antecursoribus alij antecursores
 res hostium inspecturi uiam præeant, hostesq; anteuer-
 tant. Utile est etiam tum ad impetum faciendum, tum ad
 uitandum, tum uerò ad expectandum in traiectionibus,
 ne in extremo agmine ducem persequentes, equi concidant.
 Atq; hæc quidem omnes ferè norunt, sed nō ita mul-
 ti adhibita diligentia perferre uolunt. Est etiam equitum
 præfecti, in pace dare operam, ut & pacatorum & ho-
 stium loca regionesq; non ignoret. Sin autem ipse impe-
 ritus fuerit, alios saltem locorū peritissimos singulorum
 adhibere debet: multum enim interest inter ducem lo-
 corum peritum & imperitum. Ac qui insidias hostibus
 fruit, si gnarus uiarum sit, multis partibus uincit igna-
 rum. Videndū etiam est antequàm bellum ingruat, ut spe-
 culatores paratos & exercitatos habeat, tum ex ciuitati-
 bus, quæ utrisq; sint amicæ, tum ex mercatoribus: semper
 enim ciuitates, qui aliquid ad se important, eos tanquam
 sibi beneuolose excipiunt humaniter. Falsi item transfugæ
 interdum magnas præbent utilitates. Nec eousq; fiden-
 dum exploratoribus, ut uigiliæ & præsidia negligantur:
 sed semper ita nos paratos esse oportebit, ac si hostes uer-

turos esse nunciatū esset. Nam tametsi sunt fideles exploratores, tamen in tempore renunciare perdifficile est, cum præsertim multa soleant in bellis impedimenta interuenire. Hostes autem minus sentient cum educetur equitatus, si istud clandestino potius fiat imperio, quam uel per præconem, uel per præscriptionē. Atq; ut hac imperandi ratione educatur equitatus, utile erit decuriones cōstitui, & cum decurionibus quincuriones, ut quam paucissimis enuncient singuli: & ut frontem efficiant longiorem sine tumultu & cōfusione ipsi quincuriones, qui ab latitudine in longitudinem ordines porrò agant, occasione id postulante. Quòd si cauendū erit & metuendū, præsidium adhibendū est. Equidem clandestinas explorationes & præsidia semper laudo: sit enim isto modo ut simul & amicis nostris præsidium imponatur, simul & hostibus insidiæ cōparentur: atq; nostri cum sint occulti, minus sint insidijs opportuni, & hostibus ipsis magis formidolosi: nam alicubi esse præsidia scire, sed ubi & quàm numerosa sint nescire, id ipsum hostes non sinit confidere, & omnia loca suspecta habere cogit. Præsidia autem non occulta, aperte aut timiditatem aut audaciam arguūt. Licebit etiā in occulto collocatis insidijs, paucos ante insidias præmittere, qui hostes tentent, & in insidias alliciant & attrahant. Illud etiam ad captandos hostes ualet, ut post occultas insidias alij nō occultè uigilias interdū agere uideantur: hoc enim ipsum æquè fallit hostes, ac illa quæ prius cōmemorauimus. Verū illud est prudentis imperatoris, ut periculis nunq̄ se ultrò offerat, nisi cum satis exploratū habebit se fore superiores, & aliquid hostibus detracturū: nam subseruire uoluptatibus hostium, id magis sociorum
 proditio

proditio iudicari debet, quæ fortitudo. Prudentis etiã est in eam partem hostium impetũ facere, quæ sit infirmissima, etiamsi fuerit remotissima. Sin hostes aliquousq; intra munitiones pacatorũ & amicorũ ingressi fuerint, quibus sint multò præstantiores, utile erit illinc maximè inuadere hostes, unde illi minimè sperabant. Nec uerò inutile fuerit simul utring;: cum enim alteri retrocedũt, qui deinde subsequentes in alteram partem impetũ facient, & hostes perturbabunt, & suos cõseruabunt. Ac prodesse quidem, per speculatores hostiũ res & statũ cognoscere, iandudũ opinio inualuit. Ego uerò illud omnino optimũ arbitror esse, ut idem tentemus, sicunde ex tuto res hostium spectari & considerari, ac si quid illi peccarint, cognosci possit. Quòd si quid surripi potest, mittendi qui ad surripiendũ sint apti: eosq; ubi rapere conceditur, qui rapiant erunt mittedi. Quòd si dum aliquò proficiscũtur hostes, aliquid propter imbecillitatẽ uirium relictũ ab eis sit, aut aliqui cõfidentia freti disspalati fuerint, ne hæc quidem ignorare debemus: robustiori etenim id quod imbecillius est semper insidiatur. Facile uerò hæc intelligere potest qui modò animaduuerterit: nam & animantia quæ minus quàm homines consilio & intelligentia ualent, ut milui, possunt, si quid nõ custoditum fuerit, & rapere, & cum rapuerint, in tutum aliquem locum secedere, priusquàm deprehendantur. Similiter lupi, quæ custode carent, prædantur, & uel ea quæ sunt in occultis locis, rapiunt: ac si quis accurrat canis, si inferior uideatur, lupus in eum impetum facit: sin superior, pecude, quãcunq; tandem tulerit, interfecta recedit. At certè si præsidium custodiamq; contempserint, ita se ipsi instruunt, ut alij custodes depellant, alij pe-

cudes rapiant, sicq; sibi illi necessaria parant. Cum igitur
 animantia & feræ tam prudenter possint ista prædari,
 quid est quamobrem credamus hominem non posse uide-
 ri sapientio rem ipsi sibi animalibus, quæ arte humana ca-
 piuntur? Illud uerò scire debet equestris disciplinæ stu-
 diosus, è quâto spacio eques peditem assequatur, item ex
 quàm lōginquo spacio tardi à celerioribus distantes equi,
 eos effugere possint. Est etiam illud equestris disciplinæ,
 ut loca cognoscantur, ubi à peditibus facile superentur e-
 quites, & contrà ab equitibus facile pedites uincantur.
 Oportet etiam ut talis sit artifex, qui, cum multi fuerint
 equites, in speciem paucos ostentare possit: cōtraq; si pau-
 ci fuerint, multi esse uideantur: item ut præsens cum sit,
 abesse, & absens adesse uideatur. Nec uerò solum hostes
 sciet fallere, sed etiam equites quibus præsit fallens, præ-
 ter expectationem in hostes impetum faciet. Illud quoque
 est artis non uulgaris, cum se hostibus impar em & infir-
 miorem sentiet, ut à prælio abstineant terrorem inferre:
 cum uerò fortiorem exercitū se habere putabit, fiduciam
 illis ingenerare, ut manus conserant: sic enim ipse in cala-
 mitates & offensiones minimè incidet, & hostes impar a-
 tos maxime & errantes opprimes. Sed ne quæ fieri non
 possunt, præcipere uidear: quemadmodum fieri possint
 quæ ex illis uideantur difficillima, hinc scribere incipiã.
 Itaq; ut non fallatur qui persequi aut retrocedere aggre-
 ditur, id præstat exercitatio, & uirtus equi. Quo autem
 modo peritiam & usum habeat? si in decursionibus ami-
 cis & belli simulachris animum aduertat, quæ ipse fiunt
 tum persequendo, tum refugiendo. Cum autē efficere uo-
 les ut multi equites esse uideantur, unum illud primū po-
 natur,

natur, si liceat, ut procul ab hostibus fallacia comparetur: nam tutius est procul, & aptius ad fallendum. Deinde autem illud intelligendum est, equos confertos in speciem multos uideri propter animatis magnitudinē, dispersos autem facile numerari posse. Præterea maior uidebitur quàm sit equitatus, si inter equites equisones interlijciantur, maximè si hastas aut aliquid hastis simile tenebunt: atq; id siue stantem equitatū, siue incedentem ostentes: ordinis enim speciem ista ratione & maiorem & densiorem uideri necesse est. Sin uerò multos paucorū speciē gerere uideri uolemus, si talia erunt loca ut equitatū occultare possint, nimirū alijs in aperto loco, alijs in occulto collocatis, equites furtim habere & occultè poteris. At si totus locus erit apertus & patens, illud faciendum est, ut decuriæ ordine incedentes inter se disiunctæ interiecto interuallo progrediantur, ac cuiusq; decuriæ equites qui in conspectu hostium fuerint rectas teneant hastas: alij autem humi abiectas, nec conspicuas, ac ita ut ab illis uideri nequeant. Porro autē falsis insidijs, auxilijs falsis, falsisq; rumoribus terrere hostes licebit. Tum autem maximè fiduciam sumunt hostes, cū res aduersariorum laborare audiunt & impeditas esse. His autem ita descriptis, equitum præfectus conabitur ut in præsens semper fallat hostes: nam profectò fallendi arte nihil utilius est in bello: cū enim uel pueri in suis lusibus quæ possunt ad fallendum prætendant, ut cū paucos habeant, multos habere uideantur: & contrà cū multos prætendant, paucos uideantur habere, cur tandem uiri, si in fraudibus & fallacijs studium ponant, non possint ista eadem machinari? Nam si uictorias quæ bellis obtinentur consideremus,

plurimas & maximas arte & fallacijs partas esse repēriemus. Quas ob res aut ab initio magistratus appetēdus non est, aut à dijs petendum, ut huic officio satisfaciamus omni apparatu instructi, ac ipsi etiā, quantū in nobis est, moliamur. Quibus autem mare est aptum ad insidias struendas, hi naues paratas habebūt, sed rem prelio terrestri gerent, ac simulantes se terra insidiari uelle, prelio nauali hostes aggredientur. Nec uerò illud alienum est ab equestri disciplina, ut magister equitum ciuitatem doceat, imbellem esse equitatum nullo peditatu comitatum. Est etiam præfecti equitum, pedites sibi adiungere, eisq; uti posse. Licet etiam pedites nō solū inter equites, sed etiā post equitatū occultare, cū præsertim pedite longè maior sit eques. Atq; hæc omnia ego, & quæcunq; præterea quis machinabitur ut uel ui uel arte capiantur hostes, uolens Deo fauente facere cōsulo, ut fortunā etiā collaudet, dijs propitijs. Interdū uerò & illud ad fallendum ualet, si simularit se diligenter cauere, minimeq; se periculis obiecerit: hoc enim sæpe hostes inuitat, et efficit ut incautiores peccent. Quòd si uel semel quis periculorū cōtemptor uisus fuerit, licet ei uel in ocio, si modò aliquid se facturū simulet, molestias hostibus exhibere. Verū nullus quicq; fingere possit, quale uult, nisi eorum quæ finguntur adhibita sit præparatio talis, ut artificis uoluntati obtemperetur: neq; enim ex militibus ulli sic parati erūt ut præfecti sui amore prosequātur, & seipsis prudentiorē ipsum existiment in certaminib. & prælijs quæ cum hostibus comitantur, nisi id deo uolente cōtingat. Ac eorū quibus præsit, sibi hisce rebus beneuolentiā, ut opinor, cōciliabit præfectus equitū, si humaniter cum illis agere, illisq; prospicere

cere & cōsulere uideatur ut frumēto abundant, & in tu-
 tum aliquem locū faciēlem receptū habeant, positis & col-
 locatis uigilijs, ut reficiantur, & quieti se tradant. In præ-
 sidijs autē dare debet operam præfectus, ut necessariarū
 rerum, ut pabuli, ut tabernaculorū, ut aquæ, ut excubiarum
 curam gerere uideatur: prouidere item, & ad eorū
 utilitatem quibus præsit uigilare, ac si re quapiam abund-
 dabit, impertire honestū est. Atq; ut summatim dicā, minī
 mē contemnetur præfectus, si quæ alios facere uelit, ipse
 eadem melius quā illi facere uideatur. Initium igitur ca-
 piet à conscensu equi, ac omnia quæ ad disciplinam eque-
 strem pertinent, meditata habere debet præfectus, ut ui-
 deant ipsum principem sedentem in equo posse & fossas
 transilire, & munitiones superare, & ex locis difficilibus
 euadere, & sciēter iaculari: singula enim hæc aliquid pro-
 ficiunt, ut magister equitū ne cōtemnatur. Quòd si etiam
 intellexerint, eum & scire & posse efficere ut hostes uin-
 cantur: ad hæc si illud animo cōceperint, cum neq; teme-
 rē, neq; cōtra deorū uoluntatem, neq; repugnantibus au-
 spicijs, in hostes proficisci & bellum mouere: hæc omnia
 milites duci parentiores, dictoq; magis audientes reddūt.
 Ac principem quidem omnem decet maximē prudentia.
 Atheniensis autē equitū præfectus cæteris debet antecel-
 lere tum cultu deorū, tum scientia rei militaris: cui quidē
 sunt finitimi aduersarij, et equites multitudine suppare,
 & grauis armaturæ milites permulti: ac si conetur in ho-
 stilem agrū irruptionē facere, sine cæteris ciuibus aduer-
 sus utrosq; istos cum solis equitib. periculis se obiecturus
 est. At si hostes in agrum Atticū impetum fecerint, nō ali-
 ter uenturi sunt quā cum alijs equitibus sibi coniunctis,

Et præterea cum grauis armaturæ militibus tam numerosis, ut uniuersos Athenienses ipsorum impetum sustinere non posse putent. At qui aduersus tam multos hostes si modò ciuitas uniuersa copias eduxerit, ut regioni Atticæ succurrat, spes optima est: nam et equites meliores erunt, Deo iuuante, si quis eorum talem curam gerat, qualem decet: et grauis armaturæ milites non erunt inferiores, aut pauciores, nec corporibus deterioribus, et animis honorum appetentioribus, si modò recta exercitatione fuerint infuturi. Nec uerò Athenienses minorem causam de maioribus gloriandi quam Bœoti habent. Sin ciuitas ad nauales copias se conuertat, eiq; satis sit hostem mœnibus prohibere: ut cum Lacedæmonij cum uniuersis Græcis irruptionem fecerunt: equites autem dignos censeat, qui, quæ sunt extra munitiones, omnia tueantur, soli q; illi periculis se offerant contra hostes, tum demum pro socijs fortissimis primum dis sunt optandi, deinde Hipparchum decet uirum esse per se actum, et usum militarem habere: magna enim opus est prudentia aduersus eos qui longè numero uincunt, et audacia, si occasio inciderit hanc requirens. Debet etiam, ut mea quidem fert opinio, idoneus esse ad perferendos labores. Nam aduersus talem exercitum periculum adiens, cui ne tota quidem ciuitas possit resistere, profectò patietur quicquid illi à superioribus impositum fuerit, nihil autem in illos statuere possit. Quòd si ea quæ sunt extra munitiones tuebitur, id eo numero effici possit, qui et hostes obseruare, et in tutum, quoties res postulabit, se recipere tempestiuissimè possit. Possunt etiã nihilo minus prouidere pauci, quam multi, ac custodire, rebusq; amicorum receptum dare non intempestiuè, qui neq; sibi, neq; equis fidunt: opti-

mus enim est custos metus. Qui igitur ex his custodes effecerit, fortassis rectè cōsulat. Ex his autem qui custodiæ adhibiti nō fuerint, si quis exercitum se habere putabit, exiguus ipsi uidebitur: integro enim & perfectō destitutus exercitu, apertè se in periculum cōiecturus est. at si quasi latronibus uti uelit, satis magnā ad id efficiendū manū, ut uerisimile est, habebit. Debet etiam, ut mihi quidem uidetur, equitum magister paratos semper milites habere, quasi aliquid faciat, & in occulto se tenere, ut si quid exercitus hostilis peccet, obseruare possit. Solent enim milites, quantò plures fuerint, tantò plura peccare & errare: aut enim ad necessaria quærenda studio disperguntur milites, aut dum progrediuntur inordinata sunt omnia, alijs præcedentibus, alijs à tergo diutius quàm conuenit subsistentibus. Atque huiusmodi delicta impune nō sunt prætermittenda. Sin secus, tota regio complebitur exercitu militū. Illud summè prouidendum est, ut si quid facere anteoccuparit, in tutum prius se recipiat, quàm aliquod superueniat maius auxiliū. Sæpe autem cū progreditur exercitus, accidit ut in eius generis uias incidat, ubi nō plus possint plurimi quàm paucissimi. Cū autē hostes traducunt flumina, si diligenter obserues, & cautè sequaris, id consequi possis, ut cum quantolibet hostium numero confligas. Est etiam aliquoties utile adoriri & castrametantes, prandentes, cœnantes, cubitu surgentes, quòd in his omnibus milites arma ponere soleāt, pedites quidem ad breue tempus, equites ad longius spacium. Exploratoribus quidem & primis excubitoribus continenter insidiæ struendæ sunt, cū & pauci esse soleant, & aliquoties à munitionibus procul abesse. Cū uerò hæc hostes diligen

ter custodiunt, utile est Deo placato & approbante, clam in hosticum proficisci: sed summa adhibita diligentia, ut qui ubicunq; & in qua regionis parte primi excubias agunt, cognoscas. Nulla est enim tam gloriosa praeda, atq; excubiarum & uigiliarum, si deprehensæ teneantur. Et sanè opportuni sunt fallacijs custodes: persequitur enim minima quæque, quòd id sibi imperatum esse arbitrantur. Considerare tamen debemus, quòd possimus receptum habere, ne sit è regione eorum, qui nobis succurrere debent. Porro qui fortissimū exercitum tutò & sine calamitate sua maleficio aliquo afficere possunt, eos necesse est sic excellere, ut exercitati in rebus bellicis, hostes autem cum his comparati, idiotæ omninoq; imperiti esse uideantur. Primū autem illud adesse debet, ut prædaturi sint exercitati in transuersionibus & decursionibus, quòd labores possint perferre militares: nam harum rerū imperiti seu equi seu milites, iure optimo quasi mulieres cum uiris decertare uidebuntur. At instituti & assuefacti transiliendis fossis, & munitioibus superandis, locis præruptis scandendis, quiq; ex altis & præruptis se demittere & librare assuefacti sunt, & per decliua celeriter uectari, hi uerò tantò præstant in exercitatis & horū imperitis, quantum aëria & pennigera animantia terrestribus. Rursus autem qui pedibus sunt exercitatis, tantū eis antecellunt qui sunt ad asperitates uiarum in exercitati, quantum claudis integri. Ac locorum periti tantum in progressionem & regressionem præstant imperitis, quantum cæcis, qui aspectu utuntur cōmodè. Ne illud quidem equestri disciplina peritum fugere debet, equos bene habitos, non autem saginatos ad suffocationem usq; laboribus sustinendis utilissimos

lissimos esse. Et quoniam freno & ephippia è loro suspen-
 sa utilia sunt, magistro equitū curandum est, ut illis nun-
 quam careat, cū præsertim parua impensa eos qui illis
 careant, utiles & ad præliū habiles efficere possit. Si quis
 autem est qui multū inesse negocij existimet, si ista ratione
 ars equestris sit exercenda, is cogitare debebit, qui ad gy-
 mnicos ludos exercentur, eos multò pluribus & molestio-
 ribus urgeri molestijs, quàm qui summa diligentia eque-
 stem exercent disciplinam: illi enim se plurimū cum su-
 dore ad gymnasticen exercent: in equestri autem exerci-
 tatione plurima sunt plena uoluptatis. Nam si quis opta-
 ret uolucer fieri, nullum est ex humanis operibus, quod
 uolatu magis, quàm equitatus, simile esse uideatur. Iam
 uerò potiri uictoria in bello, gloriosius est multò quàm in
 pugilatu, quòd istius gloriæ respub. particeps fieri soleat.
 Adeò uerò sæpe in belli uictoria dii ciuitates etiam ipsas
 beatitate coronant, ut haud sciam an quicquam aliud uti-
 lius sit, quàm rei militaris disciplinam artemq; exerceri.
 Etiam cogitare debemus, piratas laboribus exercitatos,
 posse uel à multò superioribus & præstantioribus uictum
 sibi parare. Conuenit et ijs qui in terra sua ipsi percipiūt,
 sed cibarijs carent, prædari: aut enim opus faciendū, aut
 ab elaboratis & opere confectis alimenta sumenda: aliter
 uerò nō facile est neq; uitā ducere, neq; pacem habere. Il-
 lud etiam meminisse debet, ut nunq̄ in eos impetū facien-
 dum putet, quos superiores euasuros arbitretur, maximè
 si erit à tergo locus equis transitu difficilis, cū non sit
 idem erratū fugientis & persequentis. Iam uerò illud mo-
 nendum puto, ut illud quoq; caueatur: sunt enim quidam
 qui cū in eos impetum facturi sint, quibus se superiores

fore putant omnino, parua manu inuadunt, ut sepe illis acciderint, quæ ipsi in alios se illaturos confidebant. Cum uerò in eos quibus se certò sciūt inferiores esse, quicquid copiarum habuerint, educunt. Ego uerò contrà omnino fieri oportere arbitror: ac cum te uictoria potiturū existimabis, cōpijs quas habeas parcere non debes: nam multis partibus uicisse, neminem unquam pœnituit. Cum uerò cum multò superioribus congregiendum est, & præsentias, etiam si omnia quæ possis feceris, tamen fugiendum esse, in his melius esse paucos, quàm omnes educi iudico: strenuissimis tamen tum uiris, tum equis ad id exequendum delectus: qui si tales erunt, & inuadere & retrocedere tutius poterunt. Quòd si in fortiorem & superiorem exercitū omnes copias eduxerit Hipparchus, & retrocedere uoluerit, qui in tardissimis equis sederint, ut capiantur necesse est: alij quòd equitandi arte careant, de equis cadent, alij propter locorū angustias intercipientur: non enim facile est ex animi uoto satis locorū reperire: præ multitudine autem & cōcident, & inuicem impediētes alij alios lædēt multis modis. At generosi equi equitesq; possunt ex illis aufugere, præsertim si quis persequentib. moliatur terrorem inferre equitū simulatorū multitudine. Profunt hīc etiā simulatæ insidiæ. Vtile & illud inuenire, unde amici & socij ex tuto & munito se proferentes, efficiant ut qui nostros insequentur, tardiores reddantur. Quinetiā illud perspicuū est, facilius à paucis multos, quàm à multis paucos tum laboribus, tum celeritatibus superatū iri. Nec illud dico, quia pauci sint, ideo posse tum magis laborare, tum celeriores esse: sed quia facilius est inuenire paucos, quàm multos, qui et equos ut decet curēt,
& se

& se in arte equestri prudenter gerant. Sin interdū con-
 tingat ut cum equitibus cominus decertandum sit, equi-
 dem arbitror optimū fore, si ex una tribu cōstituantur
 ordines duo, quorū alteri præsit tribunus, alteri uerò ut
 quisq; ei muneri uisus fuerit aptissimus: qui quidem inte-
 rea à tergo eius agminis, cui præsit tribunus, sequetur.
 Cū uerò hostes appropinquarint, ex imperio occulto
 irruet in illos: sic enim arbitror nostros hostibus uisum iri
 & terribiliores, & debellatu difficiliores. Quòd si pedi-
 tes utriq; habuerint, hiq; qui post equites occultati fue-
 rint si de improviso sese ostendant, & simul adorian-
 tur, uidentur facillè uictoriam obtinere posse: uideo enim ho-
 mines rebus inexpectatis, si bonæ & iucundæ fuerint, ue-
 hementius delectari: sin malæ & incōmodæ, multò ma-
 gis perterreri. Hæc autem cognoscere licebit ei, qui secū
 reputarit, quàm obstupescant & perterreantur qui in in-
 sidias incidunt, etiā si numero insidiatores longè uincant:
 & cū hostes sibi ex aduerso consident, quantò magis à
 primo alij alijs terrori sint. Sed hæc describere nō est ad-
 modum difficile: inuenire autem qui prudenter, fideliter,
 alacriter, & animose in hostes irruptionem faciant, hoc
 demum est optimi equitum præfecti officium: oportet
 enim eum dicendi facultate ualere, ac ea agere, ex quibus
 hi quibus præsit, intelligant sibiipsis utile esse, & parère,
 & comitari, & simul in hostes impetum facere, concu-
 piscantq; aliquid honestum audire, quæq; cognorint, ea
 ut patienter perferre possint. Si quando autem uel pha-
 langibus instructis, uel agris inter utrosq; equites inter-
 missis, equitibus potestas sit ut leuibus prælijs inter se con-
 fligant, tum persequentes tum se recepui dantes solent

plurimum in tali rerum statu tardè incitari utrinq; locū autem medium celerrimè decurrere. Si quis autem cum sic præmonstrarit & facturum significarit, postea tamen celeriter persequatur, simulq; in tutum se recipiat leui prælio factò, maxima hostibus inferet detrimenta: & ut opinor, istud tutissimè consequetur, cum celeritate persequens, interea dum prope suorum munitionem fuerit: ac eadem utens celeritate, dum hostium munitionem uitat. Quòd si fieri posset ut clàm cuiusq; agminis strenuissimū uiri & equi, quatuor uel quinq; relinquerentur, & cupidiissimè in hostes reuertentes irruerent. Hæc autem uel raro legere satis est, faciendum autem semper ut se illi occasio obtulerit: & consideratis ijs, quæ sunt ante oculos, in utili elaborandum. Nam mandare literis quæ faciendæ sunt omnia, non magis facillè est, quàm omnia futura scire. Omnium autem præceptorum illud mihi quidem uidetur præclarissimū, ut quæ noris utilia esse, ea cures etiam conficienda. Quæ autem recta iudicantur, neq; in agricultura, neq; in arte nauicularia, neq; in magistratu gerendo fructum afferunt ullum, nisi quis ut ea perficiantur curet. Existimo autem hæc dijs iuuantibus, & totum equitatum citius expletum iri ad mille equites, multoq; ciuibus fore facilius, si ex peregrinis ducentos ad equum rescribant, equitesq; conficiant. Videntur enim illi adiuncti & fideliozem equitatum omnem effecturi, & laudis uirtutis bellicæ inter se cupidiozem. Ac apud Lacedæmonios quidem equitatum tum demū celebrari coepisse scio, cum peregrinos equites adiunxissent. Et in alijs ciuitatibus ubiq; peregrinos uideo probari, magnamq; laudem consequi: necessitas enim maximā affert alacritatem. Ad cõmendos

mendos equos pecunias suppeditatum iri arbitror ab ijs qui magnopere ab equitando abstinent: quando & hi qui bus equitandi munus conuenit & assignatur, pecuniam solent pendere ut eo munere liberentur. A diuitibus quidem illis, sed corpore imbecillis, suppeditabuntur: à pupillis etiam, opinor, qui potentes habent familias. Extituros præterea puto incolas, qui in ordinem equestrem cooptari expetant. Video enim & aliarum rerum magnarum & honestarum, quas impertiunt illis ciues, cupidè nonnullos curationem administrare solere, imperataque facere. Peditatus uerò cum equis coniunctus uidetur multa efficere posse, si ex ijs constituitur, qui hostibus maximè sint infensi. Atque hæc omnia dijs approbantibus fieri debebunt. Quòd si quis miratur sæpe à me illud scriptum esse, Fauete Deo agendum: is sciat, si in periculis sæpe uersabitur, se minus hoc miraturum: ac si secum reputabit, hostes tempore belli sibi alios alijs insidias ponere, rarò autè ubi lateant & abstrusæ sint, sciri posse. Atqui in istis nemo sine consilio ualet, ut quomodo cõsulendum sit sciat, exceptis dijs, qui omnia sciunt, & præsignificant tum hostijs, tum augurijs, tum rumoribus, tum somnijs. Credibile est autem, deos hac in re magis cõsulturos ijs, qui non solum cum plurimum iuuet. Quos Deus ut
 ipse gent, oracula petunt, ut quid sit faciendum
 sciant, sed etiam rebus prosperis eos
 uenerantur & colunt.

XENOPHONTIS · HIPPAR-
 CHICI FINIS.

Xenophontis

DE RE EQVESTRI LIBELLVS,

IOACHIMO CAMERARIO

interprete.



VIA, cū ita acciderit longo ut tempore in re equestri uersaremur, aliquē usum nos illius habere existimamus, uisum est adolescentibus amicis nostris rationem exponere, quam secutos, illos

in optimos equites euasuros esse arbitramur. Extāt quidem Simonis quoq; de re equestri scripta, à quo etiam æneus equus Athenis in Eleusinio positus est, & in basi cælata opera & facta ipsius. Cuius cum sententia quòd quibusdam in rebus nostram fortè cōuenire animaduertissemus, nō ideo omittere neq; inducere hac in parte scripturam uoluimus, ac potius eò studiosius persecuti sumus, quòd speraremus maiorem fidem inuentura ea esse, quæ tradidisset similiter & ille rei equestris peritus habitus. Si qua uerò hic prætermisit, nos explicare conabimur. Ac primū ostendemus, quid contra uenditorū imposturas sit obseruandum. Nam equi nondum domiti corpus modò diligenter explorandum est, quòd animi haud satis claras significationes dare soleat equus, qui nondum conscenditur. Sed in corpore prima erit pedum consideratio. Ut enim, quamuis bene superioribus sui partibus ædificata domus, si non subiecta sint conuenientia fundamenta, nulli usui fuerit, ita & bellator equus nulli usui fuerit, si maxime omnibus alijs dotibus, cum malis tamen pedibus, abundet: talis enim nullis suis dotibus uti possit.

Equi pedes primum cōsiderandi.

In explorandis igitur pedibus, primum ungula consideranda. Spissa enim ad pedum bonitatem longè differt à tenui. Deinde cognoscendum, utrum ungule sint arduæ, an tam priore parte quàm posteriore depresso siue humiles. Nam arduæ suprâ altius à solo testudinè, quam uocant, elatam habent: at depresso sic gradiuntur, pedis ut molliores & duriores partes æquabiliter fulciant incessum: ut fit in hominibus quoque, quorum crura distorta sunt, qui ualgi uocantur. Rectè etiam Simon scripsit, sonitu deprehendi pedum bonitatem. Non secus enim ardua ungula quàm cymbalū resonat. Ac nos hinc orsi, nūc deinde ad reliquas partes superiores corporis ueniamus. Ossa quæ sunt supra unguam infra talos, qua parte ut in caninis pedibus callus subest, *λευκόπυλος* dixere, neque erunt proceras, ut caprarū: cum enim succussatione equitem affligunt, tum ipsa facile crura huiusmodi inflammantur. neq; uerò depresso, sic enim deglubi isti & exulcerari calli solent, seu per glebas siue per lapides agatur equus. Crurum ossa sint spissa: hæc enim sunt corporis totius stabilimenta: sed spissitudo non erit uenarum neque carniū, nam hoc pacto quum per aspera agitur equus, impleri hæc sanguine necesse est, & existere nodos, inflariq; crura, & cutem rescindi, qua laxata sæpe commissuræ discedunt, & equus claudicat. Genua si pulvis lubrico flexu moueat ingrediens, coniecturam ex hoc facere possis, in equitatione crura similiter lubricum motum habitura esse: lubricitas enim in flectendis genibus, & procedente tempore maior, & meritò fit maximi. Nam in hac minus & offendit equus & laborat, quàm in rigiditate. Femur sub armis si crassum sit, habet, ut in

uirili corpore, non solum robur, sed etiam uenustatem. Pectus autem amplum idoneum est & ad formam & ad robur, & ad longiores gressus, ubi non implicentur crura. Iam de pectore non oriatur ceruix tanquam hirci pro-na, sed eminens pertineat ad uerticem ut gallinacei, curuetur autem in flexu. At caput osseum sit, cum paruis maxillis: ita collum fuerit ante equitem, oculi autem spectabunt ante pedes. Atque huiusmodi equus minime uolentus in summa animositate esse poterit. Violentiam enim usurpant equi non inflectentes collum & caput, sed extendentes. Considerandum & hoc, utrum buccae sint tenerae an asperae, an uerò inaequales. Nam imparitas harum facit, plerunque duri & contumacis ut oris equi reddantur. Extantes oculi uigilantiores putandi, quam profundi: horum etiam prospectus longius penetrauerit. Nares patulae multò quam conniuentes, & apertiores meatus habent animae, & faciunt uideri equum terribiliorem. Nam & irascens equus equo, & inter agitandum ferociens, diducere uehementius nares consueuit. Ipse uertex si fuerit grandior, aures uerò minutae, magis ita caput equinum uidebitur. Spina dorsi supra arcos paulò elatior, praebet opportunius sedile equiti: & arci ac reliquum corpus firmiter compinguntur, si illa duplex fuerit: tum etiam & eques residebit mollius, & forma delectabilior erit. Latera demissiora sunt praeterquam; aluum turgidiuscula, & residendi melius, & maioris roboris, & melioris de pastu succi commoditatem ferè habent. Lumbi quò erunt latiores & minus prolixi, hoc facilius attollet priores pedes equus, & posterioribus subsequetur: ita etiam ilia esse minima uidebuntur,

buntur, quæ uasitate sua partim deformant, partim etiã debilitant & grauant equos. Coxas esse & latas & carnosas oportet, ut consentaneæ sint cum pectore & lateribus. Soliditas membrorum omnium: ea uerò cum ad cursum celeriore, tum acriore equum reddit. Femina quidem sub cauda si latioris interualli linea distinxerit, hoc pacto, quia crura posteriora spaciosius attrahentur, ideo & successio ac equitatio erit terribilior & firmior, & quàm aliter essent, meliora omnia. Hoc de homine potest intelligi. Nam sublaturi aliquid de terra, in eo diuacatis, non compressis cruribus annituntur. Testiculi equini grandes esse non debent: sed in pullo hoc notari non potest. De posteriorũ pedum talis seu tibijs, deq; ijs, quos *λυώνια* uocari diximus, & de unguis, eadem quæ de prioribus pedibus tradita sunt, perhibemus. Nunc scribam, quid secutus in æstimãda magnitudine futura minime decipiaris. Nam pullus cuius à primo statim ortu altiores tibiæ fuerint, is maximus futurus est. Omniũ enim quadrupedum tibiæ processu temporis minime crescunt altitudine, secundum has uerò consentiente magnitudine corpus reliquũ augetur. Atq; hæc in pullis eligendis qui obseruare uoluerint, eos adepturos puto optimis pedibus & robore ac carne bona, tum uero pulchritudine & magnitudine præditos equos. Sin augefcentes aliqui mutati fuerint, nos tamẽ audacter in electionib. ea, quæ præcepimus, sequemur: multò enim certè plures laudabiles de turpibus, quàm de huiusmodi turpes extiterunt. Nunc de inceptis de educendis pullis præcipiendũ duximus. Ac in urbibus quidem equestris ordo constitui solet eorum, qui & satis opulenti sint, & in reipub. parte nequaquam po-

Equi augmentũ
unde æstimandum.

strenua uersentur. Longè autè satius, cum adolescenti corporis & uirium suarum & equitationū curam gerere, aut perito iam equitandi sese exercere, quàm occupari in pullis domandis, tum senioribus familiam, amicos, rempublicā in pace & bello cōplecti studio & respectu suo, quàm educendis pullis incumbere. Quare ille equester, ut mea fert de pullis educendis ratio, tradet pullum suum domitori, sic tamē, ut non secus ac si filium magistro erudiendum traderet, conscribat quomodo instructum reddi uelit. Hinc enim quasi indicem accipiet domitor eorū, quibus pullum, si mercedem auferre uoluerit, instituentum esse sibi sciat. Providebitur autem, ut accipiat domitor pullum mansuetum, & manuum patientem, atque amantem hominum, quæ pleraq; domi à curatoribus illorum efficiuntur, qui norint cum famem atque sitim, tum irascentiā pulli ad silentia & solitudines relegare, contra uero cibum & potum & depulsiones offensarū per homines procurare: his enim custoditis non solum diligenti à pullis homines, sed requiri etiam necesse est. Cōtrectandæ etiam eæ partes corporis, quas maximè tangi equus gaudet. Hæ sunt densissimæ pilis, & à quibus molesta depellere ipse nequit. Iubeatur & curator pullum cum traducere per turbam, tum uarias ad species & uoces admo- uere. Ex his si quid fortè illum perculerit, ostēdere oportebit placando, non sæuiendo, terribile non esse. De pullo- rum igitur institutione hactenus præcipere imperitioribus satis futurum statui. Post hæc subiiciemus ea, quæ tenere debeat, si quis equum iam uectorem parare cogitat, ne circumueniatur à uenditore. Ac primùm ætas igno- randa non est. Cui enim dens, qui ætatem notat, Græci

Ætatis nota.

γυμνασια uocant, excidit, neq; delectat spe, neq; reuendibilis est. Sed perspecta etate, tum uidebimus & lupos quo pacto ore, & uerticale lorum quo pacto ad aures admittat. Hæc minimè erunt obscura, si coram emptore & applicatum frenum & detractum fuerit. Mox animaduertendum, quo pacto suscipiat dorso conscensorem: multi enim equi refutant ea, quæ laborem sibi allatura esse intelligunt. Obseruabitur & hoc, utrum cum equite non recuset ab alijs equis digredi: aut, si fortè propè adsint, an ad hos sese efferre soleat. Reperiuntur etiam qui de mala educatione ex equitationibus recurrunt ad domesticos secessus. Duri quidem oris equos prodit non solum equitatio illa quasi catenata, quæ *τὸ δὲ* dicitur, sed euidentius etiam mutata subito equitatio. Nam pleriq; nolunt excurrere, nisi ita flexus eueniat, ut improbior maxilla domum, & ad reditum conuertatur. Neque fugere nos par fuerit, an etiam instigatus ad celeritatem equus citò sustineri, & libenter reuerti soleat. Prodest etiam hoc scire, utrum extimulatus etiam obtemperet equus. Nam inutilis profectò & famulus & exercitus immorigerus: at equus immorigerus nõ est inutilis tantummodo, sed sæpenumero proditoris uicem obtinet. Quoniam uerò proposuimus bellatoris equi comparationem, faciendum periculum omnium, quæ in bello obijci consueuerunt, quæ sunt, fossam transilire, superare uallum, in collem erumpere, de colle desilire. Tentabimus & in cliuos sursum, & per decliua, & in obliquum agitare equum: ex his enim omnibus deprehenditur & animi fortitudo, & corporis sanitas. Non tamè, si quis fortè in his minus placeat, ideo repudiari debebit: multi enim

quia in exercitati sunt, non quia parum ualeant, in illis deficiunt, quos si quis instituat, & assuefaciat atq; exerceat, iam & ipsi hæc præstiterint, si quidem sani, & non ignaui fuerint. Suspecti igitur prætereantur: qui enim formidolosi sunt, non sinunt à se malum dari hostibus, quin etiã equitem sepe frustrati in maximas difficultates conijciunt. Sæuitiã etiam equi nouisse debemus, si qua illius uel erga homines, uel alios equos, itemq; num implacabilis sit: omnia enim hæc dominis aduersantur. De re clatiões autem frenationum & conscensionum, & si qua alia renuat equus, multò melius comperiet, qui post defatigationem iterum illa experiri uoluerit, quæ ante equitationem fecerat. Sanè qui post exhaustum laborem non recusant laborare, certum argumentum hi dant præclarissimi. Atque ut dicam breuiter, equus cum bonis pedibus, mansuetus, satisq; uelox, qui laborare & possit, neq; nolit, in primis quidem morigerus, is scilicet & minimè noxius, & maxime salutis autor in bello equiti futurus est. Verùm quibus aut propter ignauiam crebra agitatione, aut propter animositatem blandimentis multis atq; cura opus est, hi primùm equitis manibus assiduam negocium faciunt, deinde in periculis animum perturbant. Cùm uerò probatum equum emerit aliquis, domumq; deduxerit, eo loci stabulum ædificatũ habere expedit, ut quam frequentissimè ob oculos domini equus uersetur. Ipsius equi ueluti conclaue ita construi optimum, ut nõ magis pabulum de præsepi, quàm cibus domini de penu furto subduci possit. Qui quidem in hoc negligens est, is seipsum, ut ego opinor, negligit: manifestum enim est, in periculis equum corpus domini accipere tanquam depositum. Neque

que ille locus ideo solùm cōmuniendus est, ne furtò pabulum diminuat, sed quia etiam, si fortè effundatur ab equo, ita cognoscitur. Quod ubi fuerit deprehensum, intelligi potest uel curatione indigere corpus propter humoris abundantiam, aut defessa membra quiete, uel surrepere crithiasin, aut alium quempiam morbum. Sunt autem initio omnia similiter in equo, ut in homine sanabiliora, quàm cum induruerit, & per errorem neglecta sunt. Sed quemadmodùm in equis, ualetudinis causa, cibi & exercitiorũ diligens habenda est ratio, ita & pedes confirmandi sunt. Stabula quidem humida & leuia, etiam præclaras ungulas corrumpūt. Illa igitur defluxum habebunt, ne humida sint. Leuitas autem emendabitur defossis coniunctim lapidibus, quorum magnitudo sit ungulis par. Nam inter standum quoq; talia stabula pedes equorum consolidant. Post hæc curator equum educet, ubi destringat. Resoluetur autem de præsepi post matutinum pabulum equus, ut sit uestertinũ illi iucundius. Exteriores quidem parte sui stabulum ita rectissimè se habebit, & pedes Stabulum. equi ampliabit, si rotunda saxa palmari magnitudine, pondere libræ, quàm multa quatuor aut quinque plaustra uehere possint, effuse deiciantur, & ferro includantur, ne à se discedant. Ac super hæc inductus equus quasi in lapidosa uia singulis diebus aliquantisper gradiatur. Nam siue destringatur, seu à muscis pungatur, uti ungulis illum non secus, quàm si uadat necesse est. Etiam testudinem pedis hoc modo effusi lapides solidant. Sicuti uerò firmitatis unguularũ, ita & teneritatis oris ratio habenda est. Eadem autem res & hominis carnem & equorum ora molliunt. Mihi etiam hoc uidetur equestris uiri esse

officium, docere curatorē, quomodo equū tractari oporteat. Primum igitur debet scire, nunquam esse lori eius, quo ad præsepe alligatur equus, astringendum nodum, ea parte capitis, in quam uerticale freni applicatur. Cum enim crebro ad præsepe caput equus moueat, nisi fuerit circa aures uerticale innoxium, sæpenumero ulceris causa existit: his igitur exulceratis, & destructioni & frenationi equus refragabitur. Vtile etiam imperari curatori, ut quotidie stercus equinū & stramenta in unum locum exportet: hoc enim factō & ipse minus laborabit, & equo consulet. Sciet etiam curator accommodare equo capistrum, quoties uel ad destructionem, uel ad uolutabrum educere uolet. Deniq; quocunq; sine freno ducendus erit, capistrum induetur. Nam hoc respirationem non impedit, & morsibus tamen obstat, atq; subitas inuasiones equorum coerces. Alligari equū à capite supernè rectum est: quicquid enim os illius offendit, declinare solet elato capite equus. Id cum facit ita alligatus, magis laxantur, quam dirumpuntur uincula. In destringendo ordiemur à capite & iuba. Nam frustra inferiora nitentur repurgare, si superiora immunda fuerint. Atq; ita deinceps per totum corpus, cunctis ijs, quæ ad repurgandos equos cōparata sunt, utemur, ad pilos erigendos, & expellendum puluerem secundum pilorum situm. Sed curator spinæ pilos ne quo attingito, nisi manu, qua illos premat & mulceat sequens situm eorum, quo enati sunt: sic enim quasi sedili in equo minimè nocuerit. Caput aqua eluito. Nam cum offeum sit, si ferro aut ligno perstringat, molestiam equo obiecerit. Iubam uerticalē & ipsam humectare debet. Prolixitas enim horum pilorum non prohibet a spicere

cere equum, ac repellit ea ab oculis, quæ molestiam equis afferent. Deos quoque immortales uerisimile sit hos pilos esse equis largitos longarum aurium loco, quas ad defensionem oculorum contulere asinis & mulis. Deinde incrementa caudæ & colli pilis procurabuntur, quò longius pertingere cauda, & molesta sibi repellere, quoq; plenius adminiculum conscensor habere possit. Contulere autem diu uenustatis quoque gratia equis colli & uerticis iubas, itemq; caudam: cuius hoc est argumentum, quòd gregales equæ non facillè sustinent congressum asinorũ dum coma adest. Itaque omnes hi, quibus asinos his admouere cura est, comam equarum detondent. Crura lauari nobis non placet: nam cum nullam habeat utilitatem, damnosa interim est unguis quotidiana humectatio. Minus etiam sæpe inferius aluum repurgari oportet, quòd & in primis hoc sit molestum equo, & quò fuerit illa pars mundior, eò plura quæ molestiam exhibeant equo ipsa colligat. Præterea quamuis in hoc elabores, uix eduxeris equum, & mox similis est ijs futurus, quos repurgauerit nemo: quapropter hæc omittentur. Crura autem manibus destringi satis fuerit. Hoc demonstrabimus, quemadmodum cum minimo aliquis discrimine suo, & equi præcipuo commodo, facturus esse uideatur. Nam si quis detergere uelit tali situ, ut oculos habeat uersos in eam partem, in quam spectat equus, in periculo uersabitur ne in faciem sibi equi cum genu tum ungula incutiat. Sin contrà equum propter crus exterius iuxta scapulam procumbens defricauerit, neque ipse affligi, & sic cauum pedis, id est, testudinem ungula explicata, repurgare poterit. Atque similiter & posteriora crura

repurgantor. Hoc meminerit equi curator, & hæc & alia quibus opus factis, nequaquam ita fieri debere, ut uel contra faciem, uel contra caudam equi accedatur, ideo quòd equus, si uim facere conetur, utraque illarum partium sui hominis uires uincit. Ad latera uerò adiens maximè & sibi cauerit, & equum prolixè tractare poterit. Cùm produci equum oportebit, sic duci illum, ut sequatur, hac de causa improbatur nobis, quòd hoc pacto ductor sibi minimè prospicere, equus autem omnia patra re possit, quæ uoluerit. Neque ita placet duci, ut longo loro alligatum sibi illum succedere ductor assuefaciat, propterea quòd equus in utrumcunque latus obuertere queat improbitatem suam, & conuertere se aduersus ductorem suum. Iam plures si unà ducantur hoc modo equi, quomodo abstineant mutuis iniurijs? A latere uerò duci assuefactus equus, neque homines, neque alios equos facile læserit, & rectissimè præparatus fuerit ad conscendendum, si quando hoc celeriter fieri oportuerit. Vt autem rectè etiam infrenetur equus, accedito curator primùm ad leuum latus illius, deinde habenas ob caput in summis armis deponat, uerticale autem attollens in dextra teneat, ac lupos sinistra admoueat: quos si equus admiserit, applicanda scilicet erunt freni lora. Sin equus os non aperiat, tenens frenum propinquum dentibus, maximum digitum sinistra manus inserito maxillis, quo factò plerique os pandunt. Sed si ne sic quidem frenum receperit equus, tum labrum ille urgeat ante dentem qui caninus appellatur, ac paucissimi, cùm hoc fit, non admittunt frenum. Præcipiatur & hoc curatori, primùm, ne unquam habenis attrahat equum, ita enim durum os redditur.

redditur. Deinde ut à buccis conueniente spacio distet frenum. Nam quum illas premit, callum solet obducere, ita sensus retunditur. Quum autem longius dependet usque ad summum os, potestas tum fit equo, si frenum morderit, minus parendi domino. In his acrem esse curatorem non minus quàm ulla in alia re elaborare conuenit. Tantum enim momenti in hoc est situm, libenter ut equus frenum admittat, ut si quis omnino reiiciat, is nulli usui esse censendus sit. Quòd si curator non solum quum ad laborem equus, sed etiam cum ad pabulum ducetur, & de agitatione domum reducetur, frenum illi induerit, nimirum iam ultrò appetet statim ubi hoc offerri sibi uiderit. Bonum & hoc, tenere curatorem imponendi in equum sessoris Persicum morem, ut quum ipse dominus in morbo & senectâ habeat à quo in equum facile imponatur, tum alteri, cui gratificari uoluerit, copiam illius facere possit. Ne autem iracundè tractetur equus, utilissima est doctrina atque institutio in re equestri. Nam ira nihil prouidet. Itaque ea designat plerumque, quorum pœnitentia necessariò est comes. Equus si
 Iræ comes pœnitentia.
 quid fortè suspicatus accedere aliquopiam nolet, demonstrandum illi, quòd ea, quæ auersetur, fugienda non sint: hoc quidem planè equo animoso. Sin erit timidior, contrectabimus id, quod ei horribile apparet, & leniter eòdem ipsum adducemus. Qui uerò uerberibus adigunt, plus timoris incutiunt equis. Nam quia tum malè mulentantur, huius etiam ea, quæ suspicione sua refugiunt, causam esse arbitrantur. Postquàm curator ad sessorem adduxerit equum, ita illum scire summittere, ut facilis sit consensio, haud reprehendimus: ipsi tamen equi

ti hoc agendum esse censemus, etiam equo se nō præben-
 te, ut possit conscendere. Sæpe enim alienus equus obijci-
 tur, & idem minister sæpenumero diuersis inseruit. Vbi
 uerò equum conscendendum acceperit eques, nunc dein-
 ceptus perscribemus, quid facere ille debeat, ut maximè tam
 sibi, quàm equo in re equestri consulat. Primum de freni
 parte inferiore, seu etiam de annulo bullæ huius religa-
 tum lorum ductorium, *ῥυταγωγὸς* uno uerbo Græcis est,
 aptè sinistra manu prehendet, ea laxitate, ut neq; si insur-
 gens, pilisq; auribus uicinis inhærens, neq; si de hasta sal-
 tu conscensurus est, conuellat equum. Dextra capiet habe-
 nas depositas in summis armis unà cum iuba, ne scilicet
 ullo pacto conuellat habenis os equi. Postquàm se alleua-
 rit ad conscensionem, tum igitur sinistra quidem librato
 corpus, dextra uerò intensa subleuet ipse sese. Huiusmo-
 di conscensio etiam à tergo omnem deformitatis aspectū
 excludet. Conscendet autem crure incuruato, neq; genu
 dorso equi impinget, sed in latus dextrum tibiam traij-
 ciet. Vbi uerò iam circumactum pedem applicuerit, tum
 deinde & natibus resideat super equo. Quòd si fortè e-
 ques sinistra manu ducet equum cum gestet dextra hastā,
 equidem censeo utile esse, usum ille sibi ut paret etiā à de-
 xtro latere conscendendi. Neq; ulla alia ad hoc scientia o-
 pus, quàm quæ dextra paulò antè exequebatur, ea ut si-
 nistra agat: & contrà, quæ sinistra, ut tum dextra. Hæc
 ideo laudatur à nobis conscendendi ratio, quòd simulac
 conscenderit eques, paratus mox est ad omnia, si quod
 fortè ingruat subitum certamen hostibus irruentibus. Ve-
 rùm ubi iam resederit, siue super nudo equo, seu etiam in
 ephippio, non laudatur quasi curulis quædam sessio, sed
 ut cru-

ut cruribus diuaticatis maximè reſtitudo cuſtodiatuꝛ: ſic enim & feminibus firmitus adheſerit equo, ac erectus ualidius & coniecerit iaculum, & ictum, ſi res poſcat, intulerit ab equo. Hoc etiam ſtudentum, tibiæ unà cum pedibus ut remiſſæ ſub genibus dependeant: in rigiditate enim ſi crus aliquopiam impegerit, non abſuturum ſit periculum ne frangatur: fluxa uerò tibia facile ceſſerit offendentibus, neque femur tamen demutauerit. Curabit & hoc eques, ut truncus quoque, id eſt, ea corporis pars, quæ eſt ſupra coxas, quaſi ad fluxum quendam agilitatis compoſita ſit: hoc enim modo & efficacior fuerit, & minus, ſi quis detrahare aut impellere conetur, ſubſultarit. Cùm iam reſederit, ut tum conſiſtat placidè equus, inſtitutus eſſe debet, dum attrahat eques, ſi quid fortè oportet, & habenas coæquet, & haſtam adaptet. Tum deinde brachium læuum lateri adponito, qui habitus equitis eſt elegantiffimus, & robur manui addit. Habentæ laudantur æquales, non fragiles, neque lubricæ, neque craſſæ: etiam haſta illa manu, ſi opus ſit, comprehendit ut queat. Signo dato ut equus progrediatuꝛ, fiat hoc initio pedetentim, ita minimè turbabitur. Habentæ, ſi flexibilior fuerit equus, attolluntor manibus paulò altius: ſin caput protendit, premuntor: ſic enim forma reddetur ueniſſima. Poſt hæc ſi ſuo proprio grefſu perget, abſq; minima moleſtia corpus quaſi lenteſcet, & equus libentiſſimè ad curſuram conuertetur atq; incitabitur. Hic cùm opinio ſit à læua parte initium facere pulchrius eſſe, ita hinc poſtiſſimum incipietur, ſi grefſum poſt conſenſionem dextrum mouente equo, tunc ſignum detur ad curſuram: ita enim ille ſublaturus læuum, ab eo principium fecerit

cursus. Cumq; ad sinistram conuertetur, sic etiam flexu-
 ram incipiet. Fit enim ut equus si conuertatur in dextrã,
 dextris etiam partibus procedat, in sinistram uerò laeuis.
 Agitationem autem in primis probamus eam, quæ *widua*
 appellatur, quoniam ambas buccas ad conuersionem af-
 suefacit. Est & hoc bonum, agitationem ipsam mutare,
 ut equi buccæ in utrisque exæquentur. Nos etiam exten-
 siorem illam catenam agitationis, *grata* præferimus:
 nam in hac libentius & conuerti se equus satur iam pro-
 cursus, & simul ad directum cursum, simul ad flexus
 assuescitur. Sed in flexibus attrahendi equi sunt:
 neq; enim facile est, neq; periculo caret, equum concita-
 tum statim circumagere, præsertim loco salebroso aut lu-
 brico. Cùm autem attraxerit quantum fieri potest bre-
 uissimè, eques non tam se quàm equum freno obliquabit:
 sin aliter fecerit, sciat leuissima de causa fieri posse, ut
 unà cum equo corruat. Verùm ubi iam post flexum di-
 rectè prospiciet equus, ibi ad celeritatem instigandus e-
 rit. Nam obscurum non est, in prælijs quoque flexus
 usurpari, cùm insequendi hostem, tum se recipiendi
 gratia: quare expedit ad celeritatem post flexum af-
 suefacere equos. Iam uerò posteaquàm satis esse exer-
 citij uidebitur, profuerit tum & post quietem repen-
 tē incitare equum, cùm auersum ab alijs equis, tum ad
 illos conuersum: itemq; de celeritate statim reprime-
 re, necnon consistere cum pati, & mox flectere ac in-
 citare: non enim dubium, quin uenturum tempus sit,
 quo ambobus illis opus fuerit. Cùm descendendum e-
 rit, cauebitur ne hoc fiat uel inter equos, uel in homi-
 num coetu, uel extra agitationis spacia: sed quo in loco
 defati-

defatigari cogitur, eo scilicet in loco & requies equo contingat. Quoniã autem accidit, ut interdum equo currendum sit per loca decliuia, & montana atq; deuexa, alicubi etiam transilire, alicunde exilire, aliquò desilire equũ ut oporteat, ideo ad illa prorsus omnia cum se eques, tum equum instituet ac assuefaciet: hoc enim pacto alter alteri & salutis & usui fuerit. Quòd si quis eadem iterũ commemorare nos arbitratur, qui ante dicta repetamus, is intelligat non esse in his, ut ita appellem, biloquium: supra enim in emptione præcepimus de periculo faciendo, utrũ hæc facere equus sciret: nunc dicimus, quòd suum quisq; equũ illa docere debeat, & quæ in eo ipso sequenda sint perscribimus. Qui igitur nactus est equum omnino imperitum saltuum, is uacuum illum prehensio loro ductorio transgressus fossam prior attrahito ad saltum. Quòd si ille renitatur, à tergo aliquis flagrum aut uirgam summis uiribus incutiat, ita transiliet non solũ illud spaciũ, sed longius etiam quàm debuisset, & in posterũ non expectabit uerbera, sed ubi senserit modò ponè accedere aliquẽ, statim saliet. Cũ uacuum assuefeceris, ita etiam agitabis conscensum, primũ quidem trans minores fossas, mox etiam latiores. In conatu autem saliendo subdes calcaria, itidemq; & cũ subilire & cũ desilire uolueris calcaria subdito: toto enim corpore in omnibus his annitens equus, faciet illa ita, magis ut cũ ipse, tum eques in tuto sint, quàm si posteriore parte sui quasi deficeret, uel in transiliendo, uel in erumpendo, uel in desiliendo. Ad decliuia primũ leuiori in solo equos assuefieri conuenit. Ita tandem assuefacti libentius per decliuia, quàm recto cursu ferentur. Nam quòd quidam uerentur, ne si per de

liuia incitentur equi, armos rumpant, neminem debet
 terrere, qui cognouerit & Persas & uniuersos Odryssas
 cursu per decliua certantes, nihilo minus habere sanos
 equos, quàm Græcos. Neq; omitemus perscribere, quem
 se ad hæc omnia sessor præbere debeat. Ad primū enim
 ille equi impetum proclinator, ita minimè equus tergi-
 uersabitur, aut eques succutietur: statimq; reprimens e-
 quum, resupinator, ita minimè ipse iactabitur. In traiectu
 fossæ, & cliui ascensu, non fuerit incongruum iubam te-
 nere, ne simul & loco & freno grauetur equus. Sin per
 decliue agetur, & resupinator eques, & equum sustine-
 to freno, ne præceps uterque deorsum feratur. Præterea
 danda opera, ut alijs atq; alijs in locis, itemq; modò lon-
 gæ, modò breues equitationes ut fiant: minus enim hæc
 odiosa equis sunt, quàm si semper iisdem locis, & eodem
 modo agerentur. Sed quia & diuersa per loca equitem
 incitato cursu ruentem, continere equum, & ex equo ar-
 mis commodè uti posse decet, sicubi idonea regio & fe-
 rarum copia fuerit, non reprehenditur exercitatio uena-
 tionum. Sed ubi hæc desiderantur, utile exercitiū & hoc,
 si duo equites ex conuento inter se per diuersa loca fu-
 giant ac persequantur, ita ut fugiens auersam hastam te-
 neat, persequens uerò rotundatis iaculis & similis modi
 hasta instet: & de spacio, quod iaculo satis, iaculum in il-
 lum conijciat: deq; eo, quod haste satis sit, hasta feriat.
 In conflictibus prodest attractum aduersarium derepen-
 tē protrudere: hæc enim ratio prosternendi. Sed & hoc
 rectè fit, equum contra attrahentem instigare: hoc enim
 pacto is, quem alius diripere conatur, illum citius deiece-
 rit, quàm ipse deciderit. Iam si accidat ut collatis castris

cum hostibus, alteri alteros quidem usq; ad hostium stationes insequantur, refugiant autem inde usq; ad suas: hic scire atque meminisse proderit, cum hostes fugiant, & inter suos aliquis insequatur, tum ut conuerso equo precipitem in cursum in primis suorum urgeat hostes, & laudari & periculo carere. Vbi uerò ad ipsos uentū fuerit, ibi ut in potestate equū habeat: nam hoc pacto, id quod res docet, maximis damnis hostes quisque suos affecerit, ipse ab illis cumminimè lædi possit. Ac dii quidē hoc concessere hominibus, alios ut doceant oratione, quo factō opus sit: at equum oratione quidem instruxerit nemo: sin cū ille sese ex animi tui sententiā gesserit, uicissim ei gratificere, in detrectantem uerò imperiū animaduertas, facile didicerit, facere quæ debeat, ea facere ad arbitrium tuum. Atq; hoc quidem dicitur paucis uerbis, sed tota in re equestri præstari oportet. Nam & frena libentius admittet is, cui post frenationem bene aliquid feceris: & transiliet & exultabit, inq; alijs omnibus obsequetur, si postquā fecerit imperata, sperabit requietē. Atq; hætenus quidem ea exposuimus, quibus obseruatis non facile decipiatur neq; pulli neq; equi emptor. Itemq; in usu nō corrupatur equus: tum si producendus ille sit, ita ut producat, ne desit quicquā, quo in bello opus equiti esse uideatur. Nunc uerò tempus, ut opinor, fuerit demonstrare, si cui fortè oblati sit ferocior aut ignauior iusto equus, quo pacto utroq; rectè uti queat. Primū igitur sciendum, ferociā in equo similem esse iracundiæ hominū. Ut igitur non irritantur facile, quibus nihil neq; dicitur neq; fit, quo offendantur: ita & ferociorem equum minimè commouerit is, qui nō læserit. Quapropter statim in conscens

dendo providendū, ne conscensor molestus sit equo. Cū autem in equo cōfessum fuerit, acquiescendū plusculum temporis q̄ alioquin fieri solet, atque ita agendus equus quam blandissimo imperio: ac mox lentissimis à gradibus initio factō, ad celeritatē adigetur: inter quæ uix sentiet ille incitationē. Imperio autē repentino equus ferocior, itidem ut homo perturbatur animo, siue quid tum aspexit subitō, seu audiuit, seu etiam patitur. Quare hoc nō ignorabimus, repentina omnia in equis perturbationes efficere. Verū si incitatum ad celeritatem cōtineri ferociorem in cursu uolueris, nō attrahes derepentē, sed placidē adduces frenum, ut inuites, non cogas ad consistendum. Placantur etiam equi longioribus spacijs magis, quàm si crebrō conuertantur: atq; lenta diu mites & placidos præstant, neq; ferociam equorum suscitant. Quòd si quis sperat, si diu & celeriter agitet equū, defatigatum fore mansuetiorem, diuersum sentit atq; accidere consuevit. Nam hæc inter, feroces magis uiolentiam usurpare, inq; ira, quemadmodum homines iracundi, sæpe & se & sessionem indignis modis tractare solent. Proinde ad celeritatem summam equos feroces non facillē incitabimus. Nequaquam autem adigemus ad alios equos: nam fermè improbißimi quiq; ferocissimi sunt. His aptiores freni quoque læues quàm asperi. Si quando tamen asperos indiderimus, laxando ut læues uideantur efficiemus. Prodest etiam ut session assuefaciat sese ad talem in equo potissimū feroce collocationem, qua & ipse minimè cōmoueatur, & nulla ferè alia parte equum contingat, quàm ubi sessionis firmæ causa contingi illum necesse fuerit. Neque hoc ignorandum, præcipi *ωππνοῦμῃ*, id est, cū labris compressis

compressis acutior quidam sonus oris editur, tum igitur doceri sciendum, equos mitigari: *καὶ ὠρυμῶ* uerò, qui sonitus fuerit palati et gutturis, incitari. At si quis in itinere equo offerat gratiora cum clogmo, contraria autem cum poppismo, citò ille didicerit poppismo iam incitari, mitigari uerò clogmo. Atq; similiter inter clamores ac tubas ca uendum, ne equo formido aliqua nostra appareat, neue illi hoc tempore turbulētum aliquid obijciatur: sed quantum fieri poterit, quietem tum conciliare equo studebimus, & si admittat, matutina aut uespertina pabula præbeimus. Hoc autem consilium præclarissimum fuerit, ne quis sibi equum ferocem ad bellum parare uelit. Verum de ignauis tantum scripsisse satis fuerit, in his omnia contraria exercenda, quàm de ferocibus dicta sint. Iam si quando lubeat idoneo bellis equo uti ad agitationem magnificam & speciosam, omnino ab eo, quod plerique faciunt in opinione præclare equitationis, abstinendum, os ut frenis laceremus, itemq; calcaria ut subdamus, & incutiamus scuticas. Nam ita diuersa omnia accident ab ijs, quæ expetuntur, cum & figurã quandam arduam equi habenis arreptis efficiētes, qui debuerat prospicere, eum occæcant, & calcaribus atq; flagris equum territant, ut nō sine periculo perturbetur. Hæc autem sunt quæ faciūt hi equi, quibus agitatio molesta est maximè, atq; in turpitudine quidem, non cum honestate. Sed equus si didicerit agitari frenis laxioribus, & ceruicem attollere, eandemq; à capite recuruare, ita faciliè præstabit ea, quibus ipse potissimum delectatur & sibi placet. Hæc autem esse quæ diximus, uel hoc argumēto intelligi poterit, quòd equus quoties festinat ad alios equos, sed ad equas in pri-

mis, tum & attollit cervicem q̄altissimè, & caput maximè proclinat truci cum specie, tum crurum mollitudinem fert sublimem, & caudam sursum intendit. Qui igitur ad talem formam composuerit equum, qualem ipse effingit quoties pulcherrimus uideri cupit, is hoc consequetur, ut & de agitatione uoluptatem equus capiat, & magnificus atque terribilis ac spectabilis sit. Quæ quidem qua ratione obtineri posse credamus, nunc deinceps conabimur exponere. Primùm igitur non pauciora frena duobus parabimus, quorum unum leuius orbes habeat grandiores, alterum eosdem cum graues tum depressos. Echini autè, id est, clausuræ, erunt acutiores, ut cum istud prehenderit offensus equus asperitate mox dimittat: cum autem lenius illi inditum fuerit, tum gaudens huius quidem lenitate, alia nihilominus ad quæ asperiore freno instructus fuerat, sub leni quoq; exequatur. Sin lenitate cõtempa in hoc penitus incumbere uolet, cogent scilicet illum, hanc ob causam subiecti grandiores orbes, os pandere, atque ita admittere lupos. Poterit autem asperius frenum uariari cum implicatione quadam, tum extensione. Ceterùm cuiuscunq; modi fuerint frena, sunt mollia omnia. Nam rigidum quauis parte sui prehensum retinet equus totū inter maxillas, perinde ac uerū ubilibetprehendas totum sustuleris. Alterum uerò non aliter quàm catena, ea parte tantūmodo qua tenetur, non flectitur. Aliæ pendent, quas elabètes dum captat equus, lupos interea amittit de maxillis. Hanc ob causam & inseruntur medijs axibus annuli, ut hos lingua atq; dentibus prensans, omittat

Frena quæ mol correptionem intra maxillas freni. Perscribemus autem lia, quæ rigida. & quæ frena mollia, & quæ rigida sint, si quis hoc forte ignoret.

ignoret. Molle enim est, cum axes commissuras habent laeues atq; latas, ut facile flecti possint. Itemq; omnia quae axibus accommodantur, cum sunt ampla et minus densa, mollius frenū existimandū. In quo uerò omnes particulae freni grauiter discurrunt atq; colliduntur, illud frenū rigidū erit. Sed quaecunq; cōtigerit frenum, cum hoc, cuncta ea quae subijcientur, praestabit is qui uoluerit formā equi efficere eam, quam supra diximus. Os igitur equi concutientum, neq; ita uehementer equus ut refugiat, neq; ita placide ut nō persentiscat. Atq; iam post cōcussionem ubi equus ceruicem attollet, statim freno indulgendum, itemq; alia oportebit: id quod monere nō cessamus, dum scitè obsecundarit, uicissim illi gratificari. Cumq; animaduersum fuerit delectari equum elatione ceruicis & habenarū laxitate, tum cauebitur ne quid illo tempore huic molestiae obijciatur, quasi ad laborem equum adigere uelimus, sed blandimentis tum equum demerebimur, ut speret requietem: ita enim magis prompto animo ad celeritatem agitationis deueniet. Iam uerò celeritate etiā gaudere equos, satis argumenti est, quòd liberatus pedetentim nullus abit, sed aufugit: haec enim certè est uoluptas equorū, nisi fortè ad cursuram importunius fuerint incitati. Vnde quidem opportunitas abest, id quodcunq; est, iucundū esse nequit tam homini quàm equo. Sed cum inter agendum equus exultabit, scilicet edoctus iam priore agitatione fuit de flexibus ad celeritatem incitari: quod cum facere sciuerit, si quis tum illum adductis habenis retineat, & signum aliquod det concitationū, coërcitus hic frenis, imperio concitationis cōmouetur, & pectus effert, & iratus protollit crura altius, non mollia tamen haec, quippe in offensis

iam nō magis mollibus cruribus utuntur equi. Sic igitur exardescente equo, si frenis indulgeas, ibi præ gaudio, quòd in laxitate se freno liberatum putet, exultabundo habitu, mollibusq; cruribus elatè sese inferet, planè repressentans pulchritudinem qua componere se equi solent festinantes ad alios equos. Quiq; hoc cernūt, talem equum appellant liberalem, & uoluntarium, & equitorem, & ferocem, & superbum, simulq; & iucundum & terribilem aspectu. Atq; hæc quidem, ijs qui talia fortè ambierint, hætenus nos perscripsisse satis esto. De equis autem ad pompam idoneis, quiq; sese erigere, & præclari uideri soleant, si quis tales requirit, is sciat non cuiusuis equi hæc esse opera, sed eorum qui sint animis ingentibus, & ualidis corporibus præditi. Quòd autem nonnulli arbitrantur, cum mollitudine crurum coniunctam esse erigendi facultatem, id uerum nō est: sed lumbi (lumbos nunc appello non quà caudam uersus, sed quà infra latera & coxas ad ilia tendunt) quibus sunt molles & succincti atq; robusti, poterūt spaciose prioribus cruribus subijcere posteriora. Hoc cum acciderit, tum si quis freno cōcutiat eos equi, fit ut posteriores in talos ille reflectatur atq; subsidat, erigat autem superiores corporis partes, sic aspicientibus contrà aluus & inguen ut appareat. Ibi igitur frenis indulgendum, uti equus, quod pulcherrimū est in hoc genere, faciat libens, itaq; hoc spectatoribus facere uideatur. Ad hæc etiā aliqui erudiunt equos, quorū hi uirga talos pulsant, illi baculo iubent prætercurrere qui coxas uerberet. Nobis uerò hæc uidetur institutio optima, si, id quod semper dicimus, nō omittatur unquā, equo ut quies cōtingat, postquā uoluntati agitatoris obtemperauerit.

Quic-

Quicquid enim necessitate facit equus, quemadmodum
 & Simon ait, neq; scit facere, neq; decet, non magis pro-
 fectò, quàm si histrio ad actionem flagris atq; stimulis in-
 citetur. Nam multò plura turpiter quàm laudabiliter de-
 signauerit inter hæc tam equus quàm homo: proinde cõ-
 positum undiq; equum ad uenustatem & splendorem ma-
 ximum, signis quibusdam ad ostentationes excitabimus.
 Quòd si post equitationem, & copiosum sudorem, nec-
 non cùm se scitè erexerit, statim sessore ac frenis releue-
 tur equus, non dubitandum quin sua uoluntate postea ad
 erectiones peruenturus sit. Super huiusmodi iam quidem
 agitationi idoneis equis residentes, & dii pinguntur, &
 heroës: hominesq; in usu horũ decente, magnifici uiden-
 tur. Usqueadè uerò equus qui sese erigit, uel pulchra,
 uel admirabilis, uel etiam expetenda res est, ut omnium ocu-
 los spectantium in se conuersos teneat, tam iuuenũ quàm
 seniorum. Nemo quippe est qui uel discedat, uel defatige-
 tur omni illo spectaculo præclaræ ostentationis. Verum-
 enim uerò si fortè contingat, ut talis equi domino, aut tur-
 ma, aut agmen ducendum sit, non par fuerit hoc eum stu-
 dere, solus ut ipse clarus, sed potius ut uniuersi sequentes
 conspicui sint. Si igitur præcesserit eo habitu, qui talium
 equorum in primis prædicatur, aliquis erigens in solidi-
 tate corpus altissimè, ac creberrimè, minimumq; progre-
 diens, alij equi sequètur pedetètim, id quod aspectu præ-
 clarum esse nequit. Sin ductor equum excitatum agita-
 rit, neq; celerrimè, neq; segnissimè, atq; ita ut sequentes
 equi reddantur ex hoc animosi ac truces maximè, & in
 labore minimè turpi forma appareant, tum uerò & fre-
 mitus, & spiritus equorũ consequetur, atq; non ipse mo-

dò, sed uniuersus comitatus conspicuus erit. Quicumque sanè feliciter emerit equum, sicq; illum eduxerit sufferre laborem ut ualeat, siq; utatur hoc rectè cùm in bellicis exercitationibus, tum in ostentanda equitatione, tum uerò & in prælijs certaminum, quid obsecro huic obstiterit, quo minus reddat preciosiorem equum quàm ad se peruenit, & quin probatos equos possideat, ac ipse equitationis gloriam obtineat, nisi diuina uis prohibuerit? Libet etiam perscribere quibus armis instructum esse oportet eum, qui in equo periculum adire uoluerit. Primum

Quibus armis
eques instruendus.

igitur moneo, ut talis induatur thorax siue lorica, quæ corpori accommodata sit: nam conuenientem quidem, totum corpus gestat: nimis uerò laxum, humeri soli sustinent. Iam angustior, uinculum est, non armatura. Quia uerò ceruix uitalium partium & ipsa est, ideo censemus de ipso thorace educendum ad hanc comparatum tegmen: hoc enim & equitem exornare, & si debito modo fabricatum sit, illius totam faciem, si uideatur, usq; ad nasum includere poterit. Galeam maximè laudamus Bœotij operis: huiusmodi enim & quicquid extra thoracem de corpore eminet, rectissimè protexerit, nec impedierit prospectum. Ipse thorax ita esto elaboratus, ne uel sessione uel reclamationi obstet. Ad inguen & uerenda, circumq; hæc, pinnae applicentur totæ & tales, quæ illas partes obtegant. Verum cùm sinistra quoque manu afflicta, inutilis eques reddatur, ideo ad hanc muniendam repperitam armaturam probamus, quam uocant Manum: ea enim cùm humerum quoque obducit, & lacertum ac cubitum, ipsosq; digitos, quibus habentæ tenentur, tum extenditur & comprimitur, tum uerò partem sub alis thora-

race

race minus de fensam ipsa protegit. Dextram necesse est
 attolli, siue iaculum conijcere, siue plagam inferre eques
 uoluerit. Ab hac igitur remouebitur quicquid in thora-
 ce impedire illam posset, & huius loco in nexibus appli-
 catiles erunt pinnae, quae intensa cum manu quasi excur-
 rant, reductaq; cum illa rursus iungantur. Lacerto uelut
 ti ocrea quaedam ut apponatur satius fuerit, quam de ar-
 matura ut religetur. Quam partem sublata dextra nu-
 dat, eam iuxta thoracem munire studebimus, aut loreo aut
 aereo integumento: sin aliter, maxime uitalem partem ne-
 glexerimus. Quandoquidem uero leso equo, et eques in
 summo discrimine uersetur, muniendus est equus frontali
 & pectorali & lateralibus: haec etenim simul & ascenso-
 ri pro femoralibus erunt. In primis uero ilia equi comu-
 nientur: horum enim & letalia maxime uulnera, & ipsa
 tenerrima sunt. Poterunt autem cum ephippio muniri,
 quod ea parte sui, qua equo insternitur, ita consutum esse
 debebit, ut & firmiter eques resideat, nec ipsius equi uelut
 ti sedile uitietur. Aliorum quidem membrorum tam equi
 quam equitis haec armatura fuerit. At tibiae ac pedes pro-
 pendeant scilicet infra femoralia: communiri autem & ipsi
 ambo poterunt, si calcei fuerint facti de corio, quod soleis
 aptum habetur, ita enim simul armatae tibiae, simul calcea-
 ti pedes erunt. Atque haec arma equestris sunt, quibus a
 corpore, dijs propitijs, propulsari uis omnis posse uidea-
 tur. Sed ad hanc hostibus inferendam, nostra sententia me-
 lior erit machera quam ensis, quod de sublimi uiolentior
 sit plaga *Leonida*, quod genus est gladij ad ictus caesim
 inferendos idonei, quam ensis. Camacinæ hastae, hoc est,
 hastae perticae loco, quae & fragiles & graues, proba-

tur nobis si gestentur cornæ, quæ uibratiles magis sunt: nam alteram harum cōiungere simul peritus poterit, utiq; reliqua tam sursum quam latera uersus, atq; etiam prorsus: simul hæ sunt hastarū robustiores atq; expeditiores. Iaculum autem eijci longissimo spacio optimū putamus, ita enim cū auertere, tum mutare telum tempus magis permittet. Breuiter quidem & hoc perscribemus, quæ

Iaculandi ratio iaculandi ratio præstantissima uideatur. Si enim protensus sinistris partibus, & reductis dextris de femore insurgens, paulum anteriore parte arrectam cuspidem emiserit eques, hoc pacto longissimo spacio iaculū feretur, ictu cum uehementissimo atq; etiam certissimo, si cuspis semper id spectet, quò contenditur: id est quasi signum, grecis *συνόπης* est. Atq; hæc tradita à nobis præcepta, & ista doctrina præscripta, demonstratusq; usus esto equiti priuato. Quæ autem tenere atq; exequi ductorem conueniat, alio libro expositum est.

XENOPHONTIS DE RE
EQVESTRI FINIS.

Xenophontis

387

CONVIVIUM, IOANNE RIBITTO INTERPRETE.



IRORVM bonorum facta, non modo seria, uerumetiam iocosa, mihi memoratu digna esse uidentur. Cur autem ita sentiam, deinceps exponam. Panathenæis magnis, ludi Circenses agebantur. Callias autem Hipponici filius amabat Autolyceū adhuc puerū, quem uictorem in Pancratio ad spectandum ducebat. Ut autē ludi peracti sunt, Autolycum ipsum eiusq; patrem, domū, quam in Piræo habebat, deducebat. Comitabatur autem illi Niceratus: sed cū uidisset Socratem, Critobulum, Hermogenem, Antisthenem, & Charmidem unā esse, mandauit uni ex suis, ut Autolycum & eos qui cum eo essent, domum duceret. Ipse igitur accessit ad Socratem & reliquos, quos sic affatus est: Opportunè sanè occurritis: constitui enim Autolycum & patrem eius conuiuio excipere. Spero igitur apparatus splendidiorem uisum iri, si uiris præclaris animi dotibus præditis, quales uos estis, conuiuium decoratum fuerit, ac multò magis quàm si Imperatores, Equitum magistri, deniq; quàm si magistratuum appetentes adhibiti essent. Tum Socrates: Semper, inquit, tu contemptim scommata in nos iacis, quia ipse sapientiæ adipiscendæ causa grandem pecuniam Protagoræ, Gorgiæ, Prodico, alijsq; compluribus dedisti, & animaduertis nos nostra sponte sine doctore philosophari. Tum Callias: Antea quidem celauit uos, inquit, cū multa, eaq; sapientiā plena habere, quæ pro-

ferre possem: nunc uerò si apud me fueritis, mei specimen uobis præbebo, ac ostendam me hominem esse quanti uis precij. Socrates igitur & illius familiares, primū (ut assollet) laudata illa inuitatione recusarūt ad coenam uenire. Sed cum uehemēter dolere uideretur, si nō comitarentur, morē eius uoluntati gesserunt. Deinde partim quidem in gymnasio exercitati & uncti, partim loti ad illum accesserunt: ac Autolycus quidem apud patrem assedit, alij etiā pro more accubuerūt. Principiō igitur, postquā quæ fierent animaduertisset, tale induxit exordiū, ut diceret formam naturæ esse quiddam regale, præsertim si cum pudore & temperantia cōiunctam, quemadmodū tum Autolycus, eam quis adeptus esset. Primū enim, ut cum lux aliquò noctu affulserit in omnium oculos incurrit, sic tunc Autolicus forma pulchritudinēq; sua omnium oculos in se cōuertebat: nemoq; fuit eorum qui spectarent, qui nō aliquantum animo cōmoueretur, uel secum tacitus, uel etiam gestu aliquo immutatus. Ac omnes quidem alicuius deorum numine afflati spectatu digni esse uidentur: qui autē aliorum numine instructi sunt, tum truculentiores uisu, tum terribiliores, ac in loquendo uehementiores esse dicuntur. At qui casto amore diuinoq; instinctu afflati, hi & oculos amabiliore habent, & uocem mittunt leniorē, & gestus agunt liberalius. Quæ quidem Callias tum amore incitatus faciens, dignus spectatu ijs uidebatur, qui ei Deo initia ti essent. Illi itaq; taciti coenabant, quasi id illis à magistro aliquo præscriptum esset. Philippus autem sannio accessit ad ianuam, pulsauit, iussit ministro renunciaret qui esset, & quam ob causam se introduci uellet, dicebatq; se paratum esse & instructū ijs omnibus, quibus opus esset ad
coenan-

cœnādum de alieno: & puerū admodum premi, & quòd nihil afferret, et quòd imprāsus esset. Cū igitur hæc Callias audiuiſſet: Turpe est, inquit, ò uiri tectum quidem ei negare: introëat igitur. Et simul oculos cōuertit in ipsum Autolycum, cōsiderans uidelicet quale uideretur ei scōma illud. Cumq; uenisset in cubiculum in quo conuiuium agitabatur, in hunc modum loqui cœpit: Sannionem me esse nemo uestrūm ignorat. Audacter autē huc ueni, quòd existimarem ridiculosus fore, si inuocatus ad conuiuium uenissē. Accumbe igitur, inquit Callias: etenim hi omnes seria agunt, ut uides: risum autem fortassis requirūt. Cœnantibus illis, Philippus ridiculum quiddam statim aggreſſus est dicere, ut nimirum ea exequeretur, propter quæ semper ad cōuiuia uocari soleret: cū autem risum non moueret, tum quidem ægrè ferre uidebatur. Rursus paulò pōst, aliud quiddam ridiculum dicere cupiebat: at cū ne tum quidem risissent propter illius dicta, finem fecit cœnādi, seq; obtegens procumbebat. Et Callias, Quid istud est Philippe? inquit: an te dolor parientis cepit? Qui suspirans respondit: Certè quidem, ò Callia, & quidem magnus: quoniam enim risus ex hominum cœtu perit, actum est de rebus meis: quandoquidem ob eam causam antea ad conuiuia uocabar, ut cōuiuæ ridiculis meis exhilararentur: nunc uerò cuius causa me uocet quisquæ? Nam equidem seria tractare nō magis possum, quàm immortalitatem consequi: nec item me quisquam uocat, quasi uicissim à me uocandus? nam sciunt omnes non esse moris, ut domi meæ conuiuia agitentur. Cumq; hæc diceret, emungebat, & uoce fletum imitabatur. Omnes igitur conuiuæ consolari hominem cœperunt, signi-

ficantes se rursus risuros, & ut cœnaret hortabantur. In
 qua etiam commiseratione Critobulus risum sustulit. At-
 que ille ut risum sensit, ea quibus tectus erat reiecit, seq̄;
 ipse, sperans futuras cōgressiones, exhortatur ut confidē
 ret, iterumq̄; cœnaret. Sublatis autem mensis cūm libas-
 sent cecinissentq̄;, uenit quidam Syracusanus post cœnæ
 tempus comessatū. Is secum habebat tibicinam doctam et
 saltatricem, & prestigiorū effectricem: unā sequebatur
 puer admodū formosus, saltator, & peritissimus citharæ
 dus. Hæc autem ostendebat, ut propter rei admirationem
 pecuniam exigeret. Dum autem tibicina tibia cecinisset,
 & puer fidibus usus esset, uiderenturq̄; ambo satis conui-
 uas oblectasse, Profectò, inquit Socrates, magnificè nos ex-
 cipis Callia: non enim solūm cœnam nobis apposuisti ma-
 gno apparatu, sed etiam spectacula & acroamata præ-
 bes iucundissima. Tum ille: Quid igitur, inquit, si etiam
 unguentum nobis afferatur, ut bona quoq; fragrantia sa-
 tiemur? Minimè decet, inquit Socrates: ut enim cultus
 alius mulieri, alius uiro honestus est, sic & odor alius ui-
 rum, alius mulierem decet. Unguento certè uiri uirorum
 causa non utuntur, sed mulieres, præsertim cūm sponse
 sunt, ut filiæ Nicerati & Critobuli, unguentum requi-
 runt, quod istæ maximè olent: sed olei gymnastici odor
 & præsens suauior, quàm unguenti, mulieribus, & ab-
 sens magis expetitur. Nam unguento delibuti seruus &
 liber, statim utrique eodem olent modo. At odores qui
 sunt ex liberalibus exercitationibus, & industriam re-
 quirunt & tempus, si modò futuri sunt suaues, & li-
 bero homine digni. Tum Lycon: Ergo, inquit, sibi ista
 habeant iuuenes: sed nos, qui iam non in gymnasijs
 exerce-

Gratiarū actio
 nis post sumptū
 cibū uetus mos.

exercemur, quid olere decebit? Probitatem, inquit Socrates. At unde istud unguentum accipias? Certè, inquit, non ab unguentarijs: sed unde, docet Theognis his uerbis:

Iusta docent iusti: prauis conuixeris, antè

Quæ fuerat probitas protinus aufugiet.

Et Lycon: Fili, inquit, audis hæc? Certè, inquit Socrates, & quidem utitur. Quoniã igitur cupit uictor Pancratij esse, ubi tecum considerarit, qui sit ad eam rem docendam aptissimus, eius consuetudine utendum sibi putabit. Idem igitur ferè omnes dixerūt. Vnus autem ex illis: Vbi ergo, inquit, reperiat qui eam artem doceat? Alius ex eo coetu eam rem ne cadere quidem sub doctrinam dicebat. Alius uerò, istud, si quid aliud, discendū esse. At Socrates: Quandoquidem, inquit, res est ambigua, in aliud reijciamus tempus: nunc autem propositum exequamur: uideo enim tibicinam adstantem, & aliquem orbes ei afferentem. Ex illo igitur tibia canebat ei altera, & adstans quidam orbes circiter duodecim afferebat: illa accipiens simul saltabat, et sursum uoluendo iactabat, facile cõiectans in quantum altitudinem iacere oporteret, ut decenter cõpositeq; excipere posset. Tum Socrates: Cùm in multis, uiri, inquit, tum in his quæ puella hæc agit, perspicuum est muliebri ingenium non deterius esse uirili, sed consilium & robur desiderare. Quare si quis uestrūm uxorem habet, magna cum spe doceat quicquid uolet, ea perita usus. Et Antisthenes: Cur ergo, inquit, ô Socrates, cùm sic sentias, nõ instituis Xanthippen, sed uteris uxore earū quæ sunt, quæ fuerunt, & futuræ sunt, molestissima? Quòd, inquit, uideam, qui equitandi peritissimi cupiunt esse, nõ eos qui libentissimè parent, sed ferocissimos equos com-

parare: arbitrantur enim si tales possint coercere, facilio-
 ribus alijs se uiros esse. Ego igitur cum uellem cum ho-
 minibus congregari, eorumque consuetudine uti, hanc com-
 paravi, probe sciens futurum, ut si eam tulissem, facile
 & comode cum omnibus hominibus uersaturum. Atque ea
 oratio minime absurda uisa est. Postea allatus est orbis gla-
 diorum plenus rectorum, per quos saltatrix saliebat & exi-
 liebat, ut spectatores metuerent ne quid illi accideret. Il-
 la uero audacter tutoque haec omnia faciebat. Et Socrates,
 uocato Antisthene: Non, inquit, spectatores arbitror ne-
 gaturus, quin & fortitudo & periculorum contemptio ca-
 dat sub doctrinam: quando haec, mulier cum sit, non dubi-
 tanter per gladios gradiatur. Tum Antisthenes: An igitur
 huic Syracusano utilissimum esset, ut cum ostenderit ci-
 uitati suam saltatricem, dicat Atheniensibus, si pecuniam
 dederint, se effecturum omnes Athenienses audaces, adeo
 ut simul per lanceas ingredi audeant? Certum, inquit Phi-
 lippus. Atqui libenter equidem spectarem Pisandrum con-
 cionatorem, cum didicerit saltare per gladios, qui nunc,
 cum non possit ne aspectum quidem ferre lancearum, ne
 militare quidem uult omnino. Ac tum puer saltare coepit.
 In quo Socrates: Vidistis, inquit, quam esset puer formo-
 sus, tamen gestum agens multo formosior uidetur, quam
 cum quiescit? Tum Charmides: Mihi uideris, inquit, salta-
 tionis magistrum laudare. Maxime, inquit Socrates. Ete-
 nim aliud quiddam obseruauimus, nihil ociosum esse in cor-
 pore saltantis, sed simul & collum & manus exerceri, ut
 necesse sit saltare uolentem habere corpus quamagillimum.
 Ac ualde, inquit, libenter ex te Syracusane discere uellens
 saltandi artem. At ille: Cui usui tibi erit, inquit? Saltabo ue-
 ro.

rò. Hic nimirum omnes risere. At Socrates ualde se uero uultu: An, inquit, me ridetis? Vtrū ob id quòd uelim propter exercitationē melius ualere, uel iucundius cibum sumere & somnū, quòd tales exercitationes appeto non ut cursores qui sunt cruribus crassis, humeris autē tenuibus: nec ut pugillatores, quorum humeri crassi sunt, & crura tenuia, sed totum exercens corpus, totum æquali pondere degrauetur? An ridetis, quòd non necesse futurum sit ut socium exercitationis mihi queram? neque cū senex sim in turba exuar, sed contentus futurus sim ædibus septem lectos continentibus, quemadmodum & huic puero satis fuit hoc cubiculum ad sudandum: ac hyeme quidem super tecto, cū autem uehementior æstus fuerit, in umbra exercebor? An hoc ridetis, quòd cū maiorem, quā par sit uentrem habeam, ad mediocritatem studeam redigere? An nescitis quemadmodū nuper Charmides manē hic saltantem me offenderit? Certè, inquit Charmides: ac primū quidem obstupui, ueritusq; sum ne insanires. Vbi autem eadem quæ nunc dicis audiui, cū me domum recepissē, ipse non saltari quidem (nunq̄ enim illud didiceram) sed manibus gesticulatus sum, cū essem eius rei peritus. Ita est, inquit Philippus: etenim sic crura uideris æqualis cum humeris molis habere, ut mihi uidearis, etiā si apud mercatus præfectos ponderanda sint, quemadmodum panes ab imo ad summum, nullum damnū facturus. Tum Callias: O Socrates, inquit, aduoca me cū saltandi artem uoles discere, ut cōmilito & cōdiscipulus sim. Agè uerò, inquit Philippus, mihi etiam tibia canat, ut ipse saltem. Simul autem ac surrexit, pueri puellæq; saltationem in medio imitari cœpit. Ac primū quòd puerum

laudassent gestus agentem formosiores uideri, contra ille quicquid sui corporis moueret, efficit ut id magis ridiculum esse uideretur, quàm esset natura. Quòd autem puella reflexa retrorsum orbis imitaretur, ille eadē antrorsum se flectens orbis imitari conabatur. Ad extremū autem, quòd puerū in saltatione totum corpus exercere laudassent, cum iussisset tibicinam celerius numerū percurrere, simul uniuersa & manus & caput & crura iactabat. Defessus autem recubuit, ac dixit: Magnum est argumentū, o uiri, meas quoque saltationes exercere corpus, cum praesertim sitian. Puer infundat mihi magnū poculū. Et nobis quoque, inquit Callias: nam & nos te ridendo sitimus. Rursus Socrates: Quin, inquit, mihi quoque, o uiri, ut bibatur ualde placet: uinum enim animos rigans, tristitias & dolores quemadmodum mandragoras sopit: & hilaritatem, quemadmodum oleum flammam, excitat. Itaque uiorum conuiujs eadem accidunt, quae ijs quae ex terra nascuntur: etenim illa, cum Deus nimio imbre irrigat, recta stare non possunt, nec auris perflari: at cum quantum requirunt, tantū biberint, tum & recta augetur, florent, ad frugemque perueniunt. Eodem modo & nos, si nimio uino nos ingurgitauerimus, statim tum corpora, tum mentes cōcidunt, nec respirare, nedum loqui possumus. Quòd si ministri minuta pocula rorantiaque crebro ministrarint, ut ego Gorgiae uerbis utar, sic nō uiolati uino, ut ebrii simus, sed incitati, ad puerilia ludicra descendimus. Haec omnibus ita uisa sunt. Illud adiecit Philippus, ministros poculorum debere imitari bonos aurigas, ut celeriter circunducant pocula. Ministri igitur sic faciebant. Postea autem cum puer lyram ad rationem tibiae accommodauisset,

set, fidibus utens canebat. Tum uniuersi laudabant. Charmides uerò: At mihi uidetur, inquit, ut Socrates de uino dixit, sic & ipsa temperatio formæ puerorū & sonorū, dolores consopire, sed uenerem excitare. Post illa rursus Socrates: Isti nimirū uidentur idonei, qui nos delectatione teneant: sed illud certò scio, nos arbitrari esse istis multò meliores. Nónne igitur turpe erit, si ne conemur quidem alij alios uel iuuare uel delectare? Hic multi, Tu igitur, inquit, expone nobis qua oratione utentes, hæc maximè præstare possimus. Atqui, inquit Socrates, libentissimè uellem promissi Calliæ fructum capere: pollicitus est enim omnino si secum cœnarem, suam se sapientiam ostensurū. Et ostendam sanè, inquit, si & uos singuli in medium, quicquid scitis optimum, afferatis. Sed nemo tibi negat, quin diciturus sit, quod se quisq; existimat præclarissimū scire. Ego igitur rursus dicam uobis, quare plurimum gloriari possim. Arbitror enim me idoneum esse, qui homines efficiam meliores. Tum Antisthenes: Virū, inquit, artem aliquam sordidam, an probitatem docens? Probitatem, inquit Callias. Sed probitas, est ne iustitia? Certè, inquit Antisthenes, quæ quidem minimè est ambigua, & incerta: quoniam fortitudo & sapientia aliquando & ciuitati & amicis nocent: at iustitia ne minima quidem parte attingit iniustitiam. Cùm igitur unusquisq; uerū quod habet utile, dixerit, tum ego artem, per quam istud efficiam, explicare non grauabor. Sed tu uicissimè dic, inquit, Nicerate, qua maximè arte fretus, sic magnificè de te sentis? Tum ille: Pater meus, inquit, quum daret operam ut in bonum uirum euaderem, omnia Homerici carmina ediscere coëgit: ac nūc totam Iliada & Odyf-

scam memoriter pronunciare possim. An illud, inquit Antisthenes, ignoras, Rhapsodos omnes ac alienorū carminum recitatores ista omnia tenere? Quī, inquit, ignorem, cum ferè quotidie istos audiam? Nosti ne igitur ullam gentem stultiorem, quàm rhapsodorum? Minimè uerò, inquit Niceratus: mihi quidem non ita uidetur. Est enim perspicuum, inquit Socrates, sententias ab istis non intelligi? Tu uerò Stesimbrotō Anaximandroq; multisq; alijs magnam dedisti pecuniam, quare nihil te rerum magnarum latet. Quid tu, inquit, ò Critobule, quare confisus tibi multum tribuis? Forma, inquit. Vtrum igitur, Socrates inquit, poteris dicere de tua forma & pulchritudine efficere posse, ut simus meliores? sin secus, me improbum uisum iri perspicuum est. Quid, inquit, qua maximè re sisus Antisthenes te effers? Diuitijs, inquit. Hermogenes igitur rogauit, an multum ei esset pecuniæ. At ille ne obolum quidem se habere iurauit. At multum agri possides? inquit Hermogenes. Fortassis, inquit, quantum Autolyco huic satis sit ad puluere se inspergendum. Tu etiam audiendus es. Quid tu, inquit, ò Charmides, quare gloriaris maximè? Paupertate, inquit ille. Certè, inquit Socrates, rem dicis iucundam maximè: hæc enim est minimè inuidiosa, minimeq; pugnarum effeatrix, quæq; sine presidio seruetur, ac si negligatur, magis corroborari solet. Iam uerò, inquit Callias, quare sisus, ò Socrates, magnificè de te sentis? Tum ille uultu ad summam grauitatem composito, lenocinio, inquit. Cum risissent omnes, Vos ridetis, inquit: ego uerò illud certò scio me maximum quæstum facere posse, si ea arte uti uellem. Tu certè, inquit Lycon (Philippum autem ostendebat) gloriaris

riaris te artem risus concitandi nosse. Certè, inquit, iustius, ut arbitror, quàm Callippides histrio, qui mirificè se perbit, quòd multitudinem plorantem efficere possit. An nò tu quoq; , ô Lycon, inquit Antisthenes, dices quare glorieris? Et ille: Nónne uos omnes scitis, inquit, hoc meo filio me gloriari? Hic autem unus ex conuiujs, inquit, perspicuè gloriatur in eo quòd uictoriam reportarit. Tum Autolyceus erubescès: Minimè uerò, inquit, uictor sum. Postquam autem omnes ipsum cum magna uoluptate audissent loquentem, ac in eum oculos conuertissent, rogauit eum aliquis: At tu Autolyce qua tandem re? At ille, Patre, inquit, ac simul ad eum sese acclinauit. Et Callias intuitus: Nescis, inquit, ô Lycon, te esse omniù hominum ditissimũ? Certè quidem, inquit, istud ignoro. At illud nò intelligis, te præ filio omnes illius regis copias repudiaturũ? Hic, inquit, quasi in ipso facinore deprehensus sum, nimirum omniù hominũ ditissimus. Tu uerò Hermogenes, inquit Niceratus, quare maximè gloriaris? Tum ille, amicorum, inquit, uirtute & potentia, quodq; tales cum sint, mei curam habent. Tum igitur in eum oculos conuerterrunt omnes, multiq; simul rogant, an sibi uelit, qui essent significare. Ille autem, Non grauabor, inquit. Deinceps Socrates: Superest, inquit, quæ quisq; nostrũ pollicitus est eximia memoratuq; digna, ea ut ostendat. Audietis me primũ, inquit Callias: ego enim quo tempore uos audio, quid sit ius & æquitas dubitantes, in eo ipso homines efficio iustiores. Et Socrates: Quo tandem modo, optime ur? inquit: Data nimirum pecunia. Tum Antisthenes surgit, & acriter coarguens interrogat Calliam hoc modo: Vtrum, inquit, homines in animis, an in crumena tibi

ius habere uidentur? In animis, inquit ille. Et tu in crumena nam data pecunia, animos iurisperitos efficis? Maximè. Quo tandem modo? Propterea quòd sciunt sibi nò deesse unde necessaria emant, pro maleficijs se in pericula conijcere nolunt. An tibi quæ ipsi abs te acceperint, reddere solent? Non sanè, inquit. Quid uerò, an pro pecunia gratias? Certè, inquit, ne hoc quidem: imò uerò sunt, qui et iniuciores sunt quàm antea, cum nullas accepissent pecunias. Mirifica sanè ista, inquit Antisthenes: simul intuens et reprehendens illū, si ut in alios sint iusti efficere potes, ut in te sint, nò potes? Quid mirū, inquit Callias? an nò multotum fabros, tum ædificatores uides domos alijs ædificare, sibi ædificare nò posse, sed mercede conducere? Patere te esse uictum Sophista. Patiatur sanè, inquit Socrates: nam et uates quidem alijs futura prædicere dicuntur, sibi autè quod impendet, nò præuidere. Sic igitur sermo hunc finem habuit. Deinceps autè Niceratus: Ex me, inquit, audire potestis, quibus meliores efficiemini, si mea utemini cōsuetudine. Certò enim scitis, Homerū ferè de rebus omnibus humanis in suo poemate sapientissimè cōscripsisse: quisquis ergo ex uobis fieri uolet uel pater familiàs peritus, uel orator popularis, uel imperatoriæ disciplinæ nò ignarus, uel similis Achilli, aut Aiaci, aut Nestori, aut Ulyssi, me frequentet et colat: hæc enim omnia scire me profiteor. An etiā regnandi artem, inquit Antisthenes, te scire profiteris, quòd scias eum laudasse Agamemnonem ut bonū regem fortemque bellatorem? Ego uerò illud etiam, inquit, scio, oportere aurigam ad stipitem inflectere:

Se curru inclinet dextro, laxentur habenæ

Alipedi, stimulis illum et clamoribus altis

Ire iube, læuum modera.

Præter hæc noui & aliud quiddam, quod iam probare uos ipsi potestis. Dixit enim alicubi Homerus, Cepa potum condit. Si quis igitur attulerit cepam, statim hanc utilitatem capietis, ut iucundius bibatis. Et Charmenides inquit: Niceratus cepas olens cupit domum reuerti, ut uxor eius credat non solum neminem ipsum osculatum esse, sed ne cogitasse quidem. Aliam autem fortassis opinio nem ridiculam addere posse uidemur: Obsonium enim tale uidetur esse, ut non solum cibum, sed etiam potionem cepa condiat, iucundior emque reddat. Sed quid si illam post cœnam edemus, ne quis nos ad Calliam uoluptatis causa iuisse dicat? Nequaquam, inquit Socrates: nam ei qui ad pugnam incitatur, conuenit cepearum esus: ut nonnulli cum allio gallos pauerint, eos ad pugnam committere dicuntur. Nos certe de osculo magis quam de prælio deliberamus. Atque hoc quodam modo finem habuit oratio. Critobulus autem, Ego uicissim dicam, inquit, quamobrem forma gloriæ mea. Dic inquit. Si igitur non sum formosus, sicut mea fert opinio, uos optima iure fallaciæ culpam sustinebitis: semper enim iurciurando affirmatis me formosum esse, iusiurandum exigente nemine. Et certe uobis assentior, cum præsertim bonos & honestos uiros uos esse arbitrer. Quod si uere pulcher sum, & idem uobis à me accidit, quod mihi ab eo quem formosum putem, per deos omnes iuro, me, quod formosus sim, Persarum imperio anteponere. Nunc enim Cliniam libentius, quam omnes alias res humanas specto: malimque ceterarum rerum omnium, quam illius unius aspectu carere: atque noctem & somnum accuso.

Cepearum esus
conuenit pugna
turis.

quòd illum non uideam: luci autem & Soli gratiam habeo maximam, quòd mihi Cliniam ostendant. Illud certè magnū est ob quod gloriari possint formosi, quòd robustum necesse sit laborare, si bona acquirere uelit, fortem periculis se obijcere, sapientem oratione uti: at formosus uel in summo ocio omnia conficit. Nam tametsi intelligo pecuniam rem esse iucūdiſsimam, meam tamen libentius darem Cliniae, quàm ab alijs acciperem. Libentiusq; serui rem, quàm liber essem, si mihi Clinias imperare uellet: etenim facilius laborem illi, quàm quiescam: & pericula libentius ad eam illius causa, quàm sine periculo uitam degam. Quare si tu Callia hoc nomine te amas, quòd potes efficere iustiores, ego facilius quàm tu possum homines ad omnem uirtutem incitare & ducere: quia formosi nescio quid inspiramus amori deditis, ut eos in largitionibus liber aliores, in periculis magis industrios, & honesti appetentiores efficiamus: & praeterea tum ueracundiores tum continentiores, qui quidem uel ea quae maximè desiderant, eloqui uerentur: ac insaniunt, nisi formosos duces nati fuerint. Itaq; ego cum Clinia uel per ignem incederē, ac scio uos quoq; mecū ingressuros. Quare noli amplius Socrates dubitare, quin forma hominibus proſit. Nec uerò hac ratione uituperanda forma est, quòd citò deflorescat: nam ut puer est formosus, sic etiā adolescens, sic uir, sic senex. Hoc declarant Mineruae βαλλοφόροι (ramigeros uocare possumus) qui semper eliguntur formosi senes, tanquam quos per omnis aetatis gradus forma sit comitata. Quòd si iucundum est ab nō inuitis impetrare posse quae expetas, persuasum habeo me nunc facilius uel tacendo huic puero & puella persuadere posse, ut me osculetur,

quàm

quàm te Socrates, etiam si admodum multa, eaq; docta dixeris. Quid istud est? inquit Socrates: nam quasi me sis formosior, hæc iactas. Certè, inquit Critobulus, alioqui omnibus Silenis Satyricorum longè essem deformior. Socrates autem his erat assimilis. Agedum, inquit Socrates, uide memineris de forma iudiciū factum iri, postquā instituti sermones finem habuerint. Hanc autem nostram causam disceptet nō Alexāder Priami filius, sed ipsi illi quos te cupere osculari putas. Tum ille: Hoc iudicium Socrates Clinix non permittes? Tum Socrates: Non desines, inquit, Clinix mentionem facere? Quòd si non omnino, putas propterea me minus meminisse? Nescis me sic clarum eius simulachrum in animo ferre, ut si essem fictor, uel pictor, nihilo deterius ex illo simulachro, quàm si præsentem intuerer, simile illius efficerem? Tum Socrates respondit: Cur igitur, cum tam simile illi simulachrum gestas, facis mihi negociū, meq; in eum locum, ubi spectare possis, ducis? Quòd, ô Socrates, aspectus eius uoluptate afficere potest: at simulachrū nullam affert uoluptatem, desiderium autem ingenerat. Tum Hermogenes: At ego, inquit, ô Socrates, ne tua quidem causa facio, ut cōtemnam Critobulum sic amore obstupefactum. An existimas, inquit Socrates, eum ex quo mecum uersari cœpit, sic affectum esse? at quando tandem? nō uides huic ad aures iam lanuginem serpere, Clinix autem retrò iam succrescere? Hic igitur in eundem cum illo ludum itans adeò uehementer exarsit. Quam rem cum sensisset pater, eum mihi tradidit, si quid prodesse & emendare possem. Et certè iam multò melius habet: antea enim, ut qui Gorgonem uiderint, in saxi morem oculos figebat in illum,

& tanquam saxum nusquam ab illo dimouebat: nunc uerò iam ipsum conuiuentem crebrò animaduerti: quanquā, per deos, mihi quidem uidetur, inquit (ut hoc apud uos dicatur) & deosculatus esse Cliniam, cuius amore nullus est æstus uehementior : est enim inexplebilis, & spem habet dulcem. Fortasse autē propterea, quòd solum omnium opus, quo corpora se mutuò contrectant, homonymū, & idem cum amicorū osculis, præstabilius est: ob quam causam abstinendū esse dico à formosorū osculis ei, qui uelit cōtinenter et pudicè uiuere. Tum Charmides: Sed cur tandem, inquit, sic nos amicos deterres à formosis? Ego uerò te ipsum, inquit, uidi profectò apud grāmatisiam, cum in eodem libro coniunctis capitib. aliquid ambo quereretis, et humerū nudū humero Critobuli hærentē. Et Socrates: Papæ, inquit, hæc igitur, quasi à bestia aliqua morsus humerū amplius quinque diebus fricauerunt, & in corde quasi pruritū quendam habere uidebar. Sed nunc quid tibi, inquit, Critobule uidetur? Coram tot testibus prohibeo ne me tangas, priusquam mentū eodem modo, quo caput, pilis uestiatur. Atque illi quidem iocosa seriaque uicissim tractabant. At Callias: Tuæ, inquit, partes sunt, Charmidem alioquens, ut dicas, cur paupertate glorieris? An non hoc constat, inquit, præstantius esse fidere, quam metuere? ac liberū esse magis, quam seruire? & coli, quam colere? & eum esse cui patria fidē habeat magis, quā cui diffidat? Ego igitur cum in hac ciuitate diues essem, primū metuebam ne quis pariete diruto res meas diriperet, ac me ipsum aliquo incōmodo afficeret, maleque tractaret. Deinde etiā colendi mihi erant sycophantæ: intelligebam enim mihi facilius ab illis malū accidere posse, quā illis à me: semper enim

ciuitas

ciuitas mihi sumptus imperabat, nec peregrinari usquam licebat. Nunc uerò cum bonis longinquis carcam, & suburbana nulla percipiã, domestica uendita sint, porrectus dormio iucundè. Apud ciues autoritate ualeo, nec iam quisquã mihi minatur, sed alijs ipse minitor, & tanq̃ libero mihi licet & peregrinari, & in patria uersari: quia & suis sedibus mihi cedunt, & de uia diuites decedunt: sumq̃; tyranno nunc similis: tunc autem apertè seruus eram, qui & tributum pendebam populo, at nunc ciuitas pendit, ac me alit. Quinetiam tunc cum diues essem conuiciũ mihi faciebant, quòd Socratis consuetudine uterer. Postquã autem ad paupertatem sum redactus, iam ne curat quidem quisquam. Iam uerò cum multa possiderem, aliquid semper auferebat uel respub. uel fortuna. Nunc autem nihil deperdo, cum nihil habeam, sed semper accepturum me spero. An etiam, inquit Callias, optas ut nunq̃ diues fias? & si quod faustum somnium uideres, dijs qui mala auertunt sacrificares? Minimè, inquit, istud facerem: sed uehementer periculose expecto sicunde quid me accepturum spero. Agè igitur, inquit Socrates, tu rursus dic Antisthenes, cur cum tam pauca possideas, tam magnificè de te propter opulentiam sentis? Quòd existimem, inquit, hominum diuitias aut paupertatem non in domibus esse, sed in animis. Video enim multos idiotas, qui cum multa admodũ possideant, ita tamen se pauperes putant, quòd suas augeant opes, & plura acquirant, ut quemuis laborem ac quoduis periculum subeant. Noui etiam fratres, quorum patrimonia essent paria, alterum quæ satis essent habere, præterq̃; sumptus superare: alterum uerò omnium egere. Sentio etiam tyrannos quosdam sic esse

Diuitias ac paupertatem in animis consistere.

rire diuitias, ut multa moliantur indigniora quàm egen-
 tissimi. Nam propter indigētiā alij furantur, alij parie-
 tes diruūt, alij plagiarij sunt, liberosq; pro mancipijs uen-
 dunt: suntq; nonnulli tyranni, qui totas domos euertunt,
 complures occidunt, sepe etiam totas ciuitates in seruitu-
 tem redigunt causa pecuniæ: quorum, quia graui morbo
 laborant, magnopere me miseret. Similiter enim eis acci-
 dit, ut si quis cum multa possideat, multaq; edat, nun-
 quam tamen expleatur. Ego uerò tam multa habeo, ut ea
 uix ipse reperiam, tamē satis mihi est cum edo ad famem
 explendam, & cum bibo ad sitim restringendam, & ad
 corpus contegendum, ut foris nihilo plus quàm Callias
 iste ditissimus frigeam, & cum domi sum parietes mei mi-
 hi calidæ tunicæ, & tecta crassæ admodum uestes esse
 uidentur. Stratum autem meum ita mihi est satis, ut diffi-
 cile sit me uel è somno excitari. Quòd si corpus res uene-
 reas requirit, sic mihi quod adest, satis est, ut eæ quibus
 cum congregior, supra modum complectantur, propte-
 rea quòd alius adire uelit nemo. Ac omnia hæc sic mihi iu-
 cunda esse uidentur, ut in singulis horū maior em nō desi-
 derem uoluptatem. Sed mihi uidentur nonnulla horū mi-
 nus iucunda esse, quàm utile sit. Maximum autem in meis
 diuitijs illud esse arbitror, quòd si quis quæ nunc habeo
 auferat, nullam arbitror tantam accidere posse calamita-
 tem, quæ cibo parabili me priuare possit: etenim cum uo-
 luptati me dare cupio, non ea quæ sunt in foro maximi
 precij emo, sunt enim nimis cara, sed ex animo meo pro-
 mo. Multoq; plus confert ad uoluptatē, si expectato ap-
 petitu sumam, quàm si magno precio emptis utar: ut
 nunc cum in Thasium uinum inciderim, non sitiens bi-
 bo.

bo. Quinetiã multò iustiores esse par est eos qui uilitatem
annonæ magis quàm caritatẽ spectant: quibus enim quæ
adsunt maximè sufficiunt, hi aliena minimè appetunt. Il
lud etiam dignũ est ut consideremus, tales diuitias liberos
efficere solere. Etenim Socrates hic à quo has opes sum cõ
secutus, neq; numero, neq; pondere mihi suppeditabat,
sed quantum ferre ualebam, tantũ mihi largiebatur. Nec
cuiquam nunc inuideo, sed omnibus amicis & ostendo a-
bundantiam, & animi opes uolentibus cõmunico. Vide-
tis etiam iucundissimam ocij possessionem semper adesse,
ut res magnas & spectare & audire liceat: & quod plu-
rimi facio, licet cum Socrate in ocio totos dies consumere.
Nec uerò eos qui plurimũ auri possident admiratur, sed
qui placuerint, cum his perpetuò uersatur. Atq; is locu-
tus est ad hunc modum. Callias autem, per Iunonem, in-
quit, cum ob alias causas admiror tuas diuitias, tum quòd
ciuitas neq; tibi præscribens tanquam seruo te utitur, nec
homines, quòd non des mutuuum, tibi irascuntur. At Nice-
ratus: Noli, inquit, mirari: ego enim accedam ut id ab illo
mutuer, ne ulla re egeã, sic ab Homero numerare doctus:

Septenos tripodas, auri quoq; dena talenta,

Iliad. 7.

Vigintiq; lebetas, bis senosq; caballos.

Pondere & numero quamplurimas diuitias cõcupiscere
nõ desisto, ex quo fortassis etiã auarior quibusdam uideri
possim. Tum igitur simul omnes risum sustulere, existimã
tes ut res erat, uerè illum dixisse. Quorũ unus aliquis sic
coepit: Tuũ est, ô Hermogenes, dicere de amicis, qui sint,
ac ostendere quammulta possint, & quàm te curent, ut
uidearis optimo iure talibus amicis gloriari. Nemo est
qui ignoret, tum Græcos, tum barbaros in ea esse senter-

tia, ut putent deos omnia scire, & instantia et futura. Itaq; omnes ciuitates, omnesq; gentes diuinatione utentes, deos precantur ut mala auertant, bona autē largiātur. Hi igitur qui omnia sciunt, ac possunt omnia dij, sic mihi amici sunt, ut quoniā mei curam gerunt, nunq̄ eorū obliuiscar, neq; noctu, neq; interdū, siue quid cogitatione instituā, siue quid agendū suscipiā. Quia autem praeuidēt quicquid ex singulis euenturū sit, nuncios, rumores, somnia, aues mittentes mihi significant quae facienda sint, aut cōtrā quae facere nō deceat: quibus cūm pareo, nunq̄ poenitere necesse fuit. Iam uerò cūm nō obtemperarim, aliquoties castigatus sum. Et Socrates: Horū, inquit, nihil incredibile est. Illud tamen libenter sciscitarer, quo tādē illos colens modo, sic amicos habes? Profectò, inquit Hermogenes, uili admodū: laudo enim illos, nullis sumptibus factis. Quae autē largiuntur, semper cōmemoro, laudoq; quoad possum: & in quibus illos testes adhibeo, nihil in eis sciens mentior. Certē, inquit Socrates, si talis cūm sis, eos habes amicos. Dij, ut uerisimile est, uirtute, bonitate & probitate delectantur. Atq; hic sermo sic finem habuit. Postq̄ autē ad Philippū uentū est, rogant, quid spectans suis ridiculis gloriaretur. An non magnū est, inquit, quòd cūm omnes sciāt me scurrā, si quid boni habuerint protinus eò me inuitant: sin mali quid acciderit, fugiūt, ita ut ne respiciant quidem, uerētes ne inuiti rideāt. Et Niceratus: Tu igitur, inquit, iure optimo magnos tibi sumis spiritus: mihi enim cōtrā accidit, amici enim in prosperis rebus me fugiūt: at si fortuna reslarit, cognationis genealogias cōmemorant, nec unq̄ à me recedunt. Sed omittamus ista. Tu uerò (Syrausanum ostendens) inquit Charmides, qua re maxime confidis?

intueri. Maxime. Quid uerò, eadè ne uoce & uerecundè & confidenter loqui licet? Maxime. Quid uerò de sermonibus, sùnt ne qui ad odium impellant, & qui amicitia conciliant? Maxime. Ergo horum, bonus leno, qui utiles erunt ad placendum, eos docebit? Maxime. Vtrū autem præstantior qui uni gratos, an qui quamplurimis efficiat? Hic dissenserunt, & alij dixerunt, eum qui quamplurimis: alij, maxime, inquit. Ille, cum hoc quoque conuenire dixisset, adiecit: Quòd si quis etiam toti ciuitati gratos & approbatos efficere posset, an non is omnino habendus est leno? Perspicue, inquit omnes. Ergo si quis eos quibus præsit tales posset reddere, qb hanc artem optimo iure gloriari possit, ac iustissimè amplam mercedem accipiat. Postquam autem id assensi essent, Talis certè, inquit, mihi uidetur esse hic Antisthenes. Tum Antisthenes: Mihi ne, inquit, tribuis Socrates hanc artè? Certè, inquit: uideo enim te hanc & huius pedissequam multū exercuisse. Quamnam istam? Perductorum artem, inquit. Et ille uehementer indignatus, Ecquid, inquit, tale scis me perpetrasse? Scio, inquit ille, te ad Prodicū sapientem Calliam perduxisse, cum uideres hunc amore Philosophie captum esse, & illum pecuniæ indigere. Scio & ad Hippiam Eleum te perduxisse eundem, à quo artem reminiscendi didicit. Ex quo sanè tempore amoribus deditior factus fuit, quòd quicquid mali uiderit, id nunquam obliuiscatur. Nuper autem laudans mihi Heracleotem hospitem, cum effecisses ut illius amicitiam appeterem, cōmendasti, & tibi certè gratiam habeo: nam probus uir mihi uidetur esse: Aeschylū autem Phliasium apud me laudans, & me apud illum, an non sic affecisti, ut tua oratione mu-
tuò

tuò amantes canum more curramus, alter alterum quaerens? Cumq; uideam te ista efficere posse, bonum perductorem te esse iudico: qui enim potest sibi utiles cognoscere, eosq; impellere ut se mutuò appetant, seq; mutuò diligant, is mihi uidetur ciuitates cōsociare posse, utiles cōciliare nuptias, atq; ut ipse in magno sit precio ciuitatibus & amicis & socijs, efficere. Tu uerò, quasi malè audiens, quòd te dixerim esse bonū perductorem, ira cōmotus es? At certè, inquit, non nunc: si enim hæc possim, nimirū satiatus erit meus animus diuitijs. Atq; hīc sermonū ambitus absolutus est. Callias autem: *Quin tu Critobule, inquit, de forma in certamen cum Socrate descendis?* Rectè, inquit Socrates: uidet enim fortassis apud iudices probari lenonem. Non recusato tamen, inquit Critobulus: sed doce, si quid sapientia dignū habes, te esse me formosiorē. Modò, inquit, lucerna propius admoueat. Ad quæstionem iuris, inquit, te prouoco. At responde, tu uerò percōtare. Vtrum uerò in homine solū putas esse pulchritudinem, an etiam in alio quopiam? Equidem, inquit, & in equo, et in boue, & in rebus inanimatis multis esse arbitror: scio enim & scutū aliquod pulchrū esse, & gladiū, itemq; hastam. *Qui, inquit, fieri potest, ut hæc quæ inter se nullam habet similitudinē, omnia pulchra sint?* Si nimirū, inquit, in eos usus quorū causa quæq; cōparamus, probè fuerint uel confecta uel nata. Etiam hæc, inquit Critobulus, bella sunt. *Nostin?* inquit, cuius gratia oculis egemus? Profectò, inquit, aspiciendi causa. Ita igitur mei oculi tuis erunt pulchriores. *Quo tandem modo?* quia tui tantummodo directò aspiciūt, at mei etiam in transuersum, quia sunt emissi & extantes. Tu dicis, inquit, cancrum omniū animan

tium optimis præditū esse oculis: Prorsus, inquit: nam et ad robur oculos optimè à natura constitutos habet. Vter autē nasus, meus ne an tuus formosior est? Equidem, inquit, meū arbitror, si modò odorandi causa dii nobis fabricati sunt: tuus enim in terrā intuetur, meus autem erectus est, ut undiq; odores recipiat. At simus nasus qui potest esse recto pulchrior? Quia, inquit, nō obturat, sed statim finit ut oculi, quæ sub ipsos cadunt, aspiciant. At editus nasus tanq̄ uim adferens, oculos quasi muro cingit. Iam quod ad os attinet, inquit Critobulus, tibi cedo: si enim mordendi causa factū est, multò tu melius, quàm ego mordeas. Labra autem, quia crassa sunt, an nō putas me suauius osculari quàm te? Videor, inquit, tua ratione, uel asinis ipsis turpius os habere. Sed an nō putas satis magnū esse illud argumentū, me esse te formosiorē, quòd Naiades, deæ cū sint, Silenos mihi similiores quàm tibi pariūt? Et Critobulus: Non possum amplius, inquit, cōtra ista dicere: itaq; ferant sententiā, ut q̄ primū quid me oporteat pati uel dependere intelligam. Modò clām ferant: pertimesco enim tuas et Antisthenis diuitias, ne me potentia opprimatis. Puella igitur et puer clām tulerūt. Socrates interim curauit ut lucerna admoueretur Critobulo, ne fallerentur iudices: effecitq; ut ei qui uicisset, nō fasciæ, sed oscula pro corollis à iudicibus decernerentur. Posteaq; autem coniecti sunt calculi, ac Critobulus omnibus uicit: Papæ, inquit Socrates, quàm nō uidetur tua Critobule, Calliæ pecuniæ similis: illius enim probissimos efficit, huius uerò quasi numerosissima, potest et disceptatores et iudices corrumpere. Deinceps alij iubebant ut uictoriæ præmia, nempe oscula auferret: alij domino persuadere, alij alia iocabantur.

tur. At Hermogenes etiam tum fitebatur. Et Socrates nominatim illum appellans, Potés ne, inquit, quid sit parœnia dicere? Et ille: Etsi, inquit, quod rogas nescio, tamen quid mihi uideatur, dicam. Ad pocula molestū esse conuiuus, id ego parœniā esse iudico. *Parœnia quid.* Intelligis ne igitur, inquit, te nūc nobis esse molestum tuo silentio? An etiam quando loqui mini, inquit? Non, sed cū intermittimus. An uerò ignoras, interea dum loquimur, ne pilum quidem, nedum sermonem quenuquā interiecisses? Tum Socrates: Possis ne, inquit, homini reprehenso & coarguto succurrere? Ego uerò possim, inquit: cū enim tibia canitur, omnino fitemus. Et Hermogenes: An igitur uultis, inquit, ut Nicostratus histrio tetrametra ad tibiam recitabat, sic ego uobiscū ad tibiam disputem & colloquar? Tum Socrates: Per deos, inquit, oramus ita facias: existimo enim ut carmen iucūdius est ad tibiā, sic & tuos sermones suauitatis non nihil accepturos à sonis, præsertim si, ut solet tibicina, tu quoq; inter recitandū aliquem adhibeas gestum. Et Callias: Cū igitur, inquit, hic Antisthenes aliquem coarguit in conuiuio, quis erit tibi arum concentus? Antisthenes: Confutatum, inquit, decet (opinor) sibilatio. Ut autem Syracusanus tales sermones conferrī animaduertit, & suas negligi præstigijs, illosq; mutuis sermonibus oblectari, Socrati inuidens, Tū ne es, inquit, Socrates ille, cognomento φροντιστής. An non, inquit ille, melius est, quàm si ἀφρόντιστος uocarer? Nisi sublimium curiosus esse uidereris. Nosti ne, inquit Socrates, quicquam dijs sublimius? Minimè, inquit ille: at negant te ista curare, sed αἰωφελίστα. An non, inquit ille, ista quidem ratione deos curo? siquidem illi αἰωλὸν ὠφελῶσι, id est, uiuant supernè, & è sublimi lucens

mittūt. Quòd si frigida loquor, tu autor es, inquit, qui mihi sis molestus. Missa fac ista, inquit, ac mihi dic, quot pedes à me distat pulex: hæc enim aiūt te metiri solere. Tum Antisthenes: Tu certè, inquit, Philippe peritus es coniectandi: an nō uidetur tibi hic uir conuiciū facere uolenti similis esse? Certè, inquit, & quidem multis alijs. At, inquit Socrates, tu de ipso ne cōiectato, ne tu quoq; conuiciatori similis uideare. At si omnibus bonis & præstantissimis eum cōpararo, laudatori magis q̄ cōuiciatori me quis similem iudicari: nunc quidem tu cōuiciatori similis uideris, si omnia quæ in eo sunt optima esse dicas. An uis ut improbiorib; similem iudicè? Ne improbis quidem. At ne mini? Nemini, ne istorū quidem, cōpara. Verū silens, nescio quemadmodum cōuiuio digna efficiam. Facile quidem, si quæ loqui nō conuenit, inquit, tacebis. Atq; hæc quidem parœnia sic est sedata. Pòst erāt, qui iuberent cōiectare, erāt qui uetarent: tumq; ne iam omnia turbulenta essent, Socrates rursus: Quando quidem, inquit, omnes cupimus loqui, an etiam simul canemus? Et ut dixit, cœpit canere. Postq̄ autē cecinisset, allata est saltatrici orbis saltatorius, in quo admiranda erat editura. Hic igitur, inquit Socrates, uerè uidebor ut dicis phrontistes, id est, cōtemplator: nunc enim qua ratione puer tuus itemq; puella hæc q̄ facillimè peragant, contemplor: maximè enim oblectamur hoc spectaculo, id quod etiā te uelle certò scio. Mihi igitur in caput salire periculi genus esse uidetur, quod cōuiuio nō cōuenit. In rota quidem dum uersatur, scribere & legere mirabile quiddam est: sed quid uoluptatis hæc afferant, scire nō possum. Nec uerò eos qui corpus intorquēt, & rotas imitantur, spectare iucundius est, q̄ quiescentes pulchros

pulchros & formosos. Nec illud quidem ualde rarum est, in miranda incidere, si quis appetat, sed statim licet præsentia & in conspectu posita spectare. Cur tandem lucerna propter splendidam flammam quam habet, lucem fundit zachenū uerò cum sit splendidum, lucem nullam emittit, alia in ipso cōspicienda exhibentur? Item quæ sit ut oleum liquidum cum sit, flammam augeat, aqua uerò quia liquida sit, ignem restinguat? alioqui enim hæc nō idem quod uinum efficiunt. Quòd si ijs habitibus, quibus Gratia, & anni tempora, ac Nymphæ pinguntur, ad tibiam saltarent, multò arbitror eos facilius spectatores tenere posse, conuiuiumq; multò hilarius futurum. Syracusius igitur, Certè, inquit, uereq; dicis Socrates, ac ea quibus oblectabimini spectacula inducam. Exijt igitur Syracusius, ac tintinnabulis perstrepat. Socrates uerò rursus nouum orationis exordium induxit. Vtrum, inquit, æquum est præsentis magni Dei, & sempiternis dijs æqualis, & forma maximè iuuenilis, magnitudine autem cuncta sustentis, animo hominibus æqualis, Cupidinis obliuisci, nullamq; mentionem facere, præsertim cum huius ipsius Dei Thiasotæ fanatici simus omnes? nam tempus nullum cōmemorare possum, in quo amore uacē. Charmidem uerò scio multos amatores habere, ac nōnullos ab ipso amāter appeti. Critobulus quidem certè cum adhuc ametur, iam amasiorum amores cōcupiscit. Quinetiā Niceratus, ut ego audio, & amat uxorem, & ipse uicissim ab illa amatur. Hermogenem etiā quis nostri ūm ignorat probitatis, qualiscūq; tandem sit, amore tabescere? Non uidetis quàm grauia sint siu percilia oculi immoti, moderata oratio, uox lenis, hilares & mores & gestus: deorum autem uenerabilium maximè

amicitia utens, ne nos quidem homines contemnit. Tu uero solus ex omnibus Antisthenes amas neminē? Per deos, inquit, te amo, & ualde quidem. Tum Socrates irridens, quasiq; delicias faciens, Ne sis, inquit, mihi molestus, Callia, ut uides, agenti. Et Antisthenes: Quam aperte tamen tu leno tui semper hæc agis, aliàs dæmonium prætendens, aliàs aliud aliquid captans, mecum colloqui recusas? Et Socrates: Per deos, inquit, ô Antisthenes, modò ne me concidas, omnem aliam molestiam, quam mihi exhibueris, & fero, & feram amicè. Atenim, inquit, tuum amorem occulto quidem, quia non animi sit, sed formæ meæ. Nam Autolycum à te amari Callia, ciues norunt omnes, multiq; ut opinor, peregrini. Atque huius rei causa est, quòd è patribus clarissimis & illustrissimis prognati estis ambo illustres & clari: ac ingenium quidem tuum semper sum admiratus, hoc uerò tempore multò magis, cum uideam te amore captum non delicijs fracti, aut mollicie delicati, sed eius qui omnibus & fortitudinem & continentiam approbat suam. Tales autem appetere, signum est eius qui amator sit ingenij & naturæ. Vtrum igitur una sit Venus, an gemina, cœlestis una, altera in terris uersans, nescio: nam & Iuppiter ipse cum unus & idē sit, multa cognomēta habere uidetur. Vtriq; tamē separatim dicatas esse aras, templa & sacrificia, terrestri quidem nocentiora, cœlesti autem puriora, non ignoro. Cupidines autem corporū à terrestri, animi autem & amicitiæ rerumq; honestarum immitti à cœlesti, coniectare licet: quo quidem amore uideris mihi Callia captus esse. Coniecturam autem facio ex probitate eius quem amas, quòd uideam à te patrem eius adhiberi cum cōgressis

su eius uteris : nihil enim horum clam patre à bono & probo amatore fit. Et Hermogenes: Per Iunonem, inquit, ò Socrates, cum propter alia multa te admiror, tū quòd gratificans Calliæ simul instituis qualē esse oporteat. Certe inquit: atq; ut magis etiā delectetur, de ipso testari uolo, multò esse præstantiorem animi quàm corporis amorem. Nam sine amicitia congressus nullos magnificièdōs esse scimus omnes: diligere autem mores eorum quos miramur, necessitudo priuata & uoluntaria uocatur. At eorum qui quæ corporis sunt amant, mores accusant permulti, & amasium oderunt. Quòd si ambo ament, ætatis flos celerrimè profectò deflorescit: qui cum defecerit, necesse est simul & amicitiam marcescere. Animus autem quantò diutius in prudētia uersatus, tantò amabilior reddi solet. Ac in formæ usu inest etiam quædam satietas: & quæ in cibus propter expletionē accidunt, eadem in amoribus accidere puerorum necesse est. At animorum amicitia, quia casta est, insatiabilior esse solet: non tamen existimare debeas, idcirco cum Venere esse coniunctiorem: sed apertè expletur desiderium cum à dea petimus, ut uenusta & carmina & opera largiatur. Quemadmodum enim admiretur & diligat amasium florens forma liberali, & moribus uerecundis, animoq; generoso, quæq; statim in æqualibus imperio digna esse uideatur, & amicitia conciliatrix, ad explicandum nulla opus est oratione. Verisimile autem esse talem amatorem à pueris uicissim amari, deinceps exponam. Primùm enim, quis eum oderit, à quo sciat se bonum probumq; iudicari? Deinde autem uideat, illum quæ ad pueri honestatem pertinent magis curare quàm suam uoluptatem? Ad hæc cre-

dat, neque si quid falso assimularit, neque si morbo deformior factus fuerit, amicitiam minutum iri. Quibus autem communis est amor, an non necesse est hos ipsos cum uoluptate se mutuò aspiciere, beneuoleq; colloqui, fidemq; mutuam habere, ac providere alios alijs, delectari alios aliorum honestis actionibus, & condolere si quid inciderit erroris: tum uerò, perseuerare in letitia, cum ualentes congregiuntur: sin autem in morbum inciderit uteruis, multò celebriorem habiturum familiarium frequentiam, atq; absentium magis etiam quam presentium curam habiturum? An non hæc sunt iucunda? Atq; propter huiusmodi officia & simul diligunt amicos, & eis utuntur usq; ad senectutē. Qui autem ex corpore pendet, quid causæ est cur eum puer red amare uelit? utrum quòd sibi ille ea tribuit, quæ ipse concupierit, puero autem dedecorosa probra? An propterea, quòd quæ festinat agere ultra amores puerorū, ijs prohibeat maxime familiares? Iam quòd non uim adhibeat, sed uerbis persuadeat, ob eam causam maiore est odio dignus: qui enim uim affert, se improbum esse declarat: qui autem persuadet, eius cui persuadet animum corrumpit. Iam uerò qui mercede formam uendit, cur magis amet amatorem qui emit, quàm qui in foro uendit & addicit? non certè, quia florens cum obsoleto, & formosus cum deformi, & cum amante cōgreditur non amans, ipsum diliget. Neq; enim puer cum uiro, quemadmodum fœmina, uoluptatum particeps est Venerearum, sed sobrius ebrium Venere incitatum spectat: unde nihil mirum si contemnit amatorem. Iam si quis consideret, ex ijs qui propter mores amatur, inueniet nullam unquam interuenisse molestiam: at ex im

pudico

pudico congressum multa iam, eaq; scelerata designata esse. Illiberalem uerò congressionem eius esse, qui corpus magis quàm animũ diligit, deinceps exponam. Qui enim præcepta uiuendi atq; dicendi dat, is optimo uiro honore est afficiendus, quemadmodum ab Achille Chiro & Phœnix. Qui autem corpus appetit, meritò in mendicimorem semper sequetur, cum præsertim petens & requirens uel osculum, uel aliam aliquã tactionem, semper comitetur. Quòd si audacius loquor, nolite mirari: uinũ enim simul incitat, & semper meus domesticus amor stimulat, ut in aduersarium ipsius Cupidinem loquar libere. Mihi enim uidetur, qui formam sibi spectandam proponit, ei qui agrum conduxerit similis esse: non enim ut maioris sit precij, diligentiam adhibet, sed ut ipse multis modis ex eo uoluptates plurimas percipiat. Qui autem amicitiam magis appetit, is similis uidetur suum agrum possidenti & colenti: undiq; enim inuehens in eum quicquid possit, utiliore & preciosiore efficit, quem amore prosequatur. Quinetiam qui scierit puer se forma eleganti præditum, amatori dominabitur, ut uerisimile est, idemq; alia improba facturus est. Qui autem cognouerit se, nisi honestus & probus fuerit, amicitiam non retenturum, eum decebit maiorẽ uirtutis habere rationem. Maxime autem bonum est ex puero amicum bonum reddidisse, quòd necesse sit & illum uirtutem exercere: fieri enim nequit, qui ipse in uitijs uersetur, eum efficiat bonum qui cum consuescat. Nec uerò impudens & impotens, continentem amasium efficiet & pudentem. Sed cupio tecum, inquit, ò Callia, sermones conferre, ac exponere, quemadmodum non homines modò, sed etiam dij

ipsi & heroës, animi amicitiam pluris, quam corporis
 æstiment: quia Iuppiter quibus cum congressus est, for-
 ma captus, eas mortales passus est manere: at quorũ ani-
 mos præclaros admiratus est, eos immortales effecit: quo-
 rum de numero sunt Hercules & Dioscuri, qui sunt Ca-
 stor & Pollux: cõmemoratur etiam alij: illudq; affirmo,
 ipsum quoq; Ganymedem non propter corpus, sed pro-
 pter animum in cœlum à Ioue esse translatum, cui rei uel
 ipsum uocabulum testimonio sit: est enim alicubi apud
 Homerum, γαῦνται δ' ἀνδρῶν, quo uult significare, letari
 audiendo. Est etiam alibi, Varia in animo *μύθρα* uoluit:
 quod significat cõsilia in animo uoluntate prudentiæ plea-
 na. Ex his igitur duobus, non propter corporis uolupta-
 tem, sed propter sententiarũ iucunditatem, nuncupatus
 Ganymedes in deorum numerum relatus est. Imò uerò, ò
 Nicerate, Achillem Homerus facit non propter amores,
 sed propter sodalitatem & societatem, Patroclo interfe-
 cto decentissimè parentantem. Atq; etiam Orestes & Py-
 lades, Theseus, Pirithous, alijq; multi ex numero semi-
 deorum præstantissimi fuisse cum laude prædicantur, non
 quia unà concumberent, sed quia alij ab alijs res maxi-
 mas & pulcherrimas admirabantur, communiter esse ge-
 stas. Quid uerò nunc res præclaras, an non omnes ab ijs
 qui ultrò suscipiunt labores & ad eunt pericula, magis esse
 gestas, quam ab his qui assuefacti sunt uoluptatē gloriæ
 præponere, reperiemus? quanquã Pausanias Agathonis
 poetæ amator, in defensione eorum qui ex impotentia &
 intemperantia uolutati essent, dixit exercitũ fortissimum
 confici posse ex pueris & amatorib. istos enim dicebat in
 ea esse opinione, ut maximè uerecatur ne alij alios deserat:
 admirabiliter

admirabiliter loquens, si qui assueti sunt uituperationibus & nullis curis, atq; securitati & impudentiæ, hi turpe aliquid admittere maxime uererentur: atq; testimonia adducebat Thebanorum & Eleorum, qui dicuntur ista non ignorare: nam etsi cum pueris concumbunt, eos tamen statuunt in acie ad præliandum. Sed nihil in ea re arguementi simile adducit: hæc enim illis legitima, nobis autem probrosissima sunt. Mihi quidem uidetur in acie instructi diffidentibus similes esse, ne si separati essent amasij, bonorum uirorum munera non exequerentur. Lacedæmonij uerò, qui arbitrantur, si quis corpus appetat, nihil unquam postea honesti aut boni consequi posse, adeò perfectè amasios bonos efficiunt, ut si etiam cum peregrinis, quanq̃ nō in eadem ciuitate, instructi fuerint, quemadmodū amator, præsentis deserere uereantur: nō enim impudentiã, sed pudorem deum esse credunt, ac suis moribus colunt. Videmur autem omnes in his quæ à me dicuntur consentire posse, si ista ratione consideremus, utrū puero, quem quis amet, magis credat uel pecunias, uel liberos, uel munera apud eū deponat? existimo enim uel ipsum forma amasij fruētē, potius hæc omnia ei qui propter animum dignus sit amari, crediturum esse. Mihi uidetur, ô Callia, te dignum, ut dijs gratias agas, quòd tibi Autolyçi amorem cōciliarunt: satis enim perspicuum est eum esse honoris appetentem, qui ut præconis uoce prædicaretur Pancratij uictor, multos labores multosq; dolores sustinet. Quòd si existimat non solum seipsum & patrem decoraturum, sed futurum ut sua fortitudine de amicis bene mereri, & patriam augere, ac de hostibus trophæa statuere possit, atque ob eam causam celebrem

Et clarum futurum tum apud Græcos, tum apud Barbaros, quid est quamobrem quem in his adiutorē esse posse optimū duxerit, cum ipsum non putes maximis honoribus ab illo affectum iri? Si igitur huic placere cupis, considerandum tibi est, qua tandem arte Themistocles potuit Græciam in libertatem uindicare: itemq; uidentum, qua tandem sciētia fretus Pericles, optimus consiliarius uisus sit patriæ: atq; etiam animaduertendum, qua ratione in philosophia uersatus Solon, præclarissimas leges ciuitati dederit. Illud etiā scrutandum, quibus Lacedæmonij exercitationibus præstantissimi duces esse uideantur: hospites uerò qui sunt ex illis omnium præclarissimi uiri semper ad te diuertunt. Atq; illud quidem scito, ciuitatē seipsam breui, si modò uelis, tibi permissuram: maximæ enim res in te sunt, patrius es, et in ciuitate princeps: sacerdos eorum deorum, qui ab Erechtheo instituti sunt, qui aduersus Barbaros cum Iaccho militauerunt: ac nunc in celebritate festi maximè sacerdotum decorus uideris esse omnium qui antè fuerunt. Corpus habes omnium ciuium spectatu pulchrū maximè, robustum ad sufferendos labores. Quod si nobis uideor grauiora quàm conuiuio conuenit, tractare, nolite mirari: nam bonorū uirorū et uirtutis perstudiosorū, cum ciuitate, amator esse nunquam destiti. Ceteri igitur de auditis disputabant: Autolycus autem Calliam aspectabat, et Callias illum intues, Ergo, inquit, ô Socrates lenocinans ad ciuitatem me perduces ut rempublicam capeßam et administrem, eiq; semper gratus sim? Certè, inquit ille, si animaduertit te non uideri solū, sed reuera uirtutis esse studiosum: falsa enim laus citò reipsa cōfutatur: at uera probitas, nisi deus ali-
 quis

quis impediatur, semper actionibus splendidiorē gloriā comparat. Atq; colloquium quidem hunc finem habuit. Autolycus autem, quia iam tempus erat, surrexit ad deambulandum. Et Lycon pater, qui unā cum illo erat, conuersus, Per Iunonem, inquit, ō Socrates, bonus & probus mihi uideris. Postea sedile quoddam intus positum est. Tum Syracusius ingressus, cū thronum ascendisset, Viri, inquit, Ariadne suum & Bacchi thalamum ingreditur: post ueniet Bacchus in cætu deorum ebrius factus, ac eodem ingreditur: tum ludos inter se faciunt. Quibus dictis, principiō Ariadne uelut sponsa exornata prodijt, ac in folio resedit: atq; sic prodeunte Libero, ad numeros Bacchicos tibia canebatur. Tum igitur admirati sunt saltationis magistrum: statim enim ut Ariadne audiuit, tale quid fecit, ut omnes intelligerēt, eam cum uoluptate audiuisse: nec tamen obuiam iuit aut surrexit, sed illud apparebat, uix eam posse conuiescere. Postea uerō quā Liber eam aspexit, saltans, ut si quis summo amore incitatus, ad genua sedit, eamq; complexus est & osculatus. Illa etsi uereri uidebatur, tamē amatorie illum uicissim complectebatur. Conuiuæ autem hæc spectantes simul plaudebant, & clambāt rursus. Vt autem Bacchus surrexit, erexit Ariadnen. Post illa igitur licebat spectare gestus osculantium, & inter se complectentium. Qui autem spectabant uerē formosum Bacchum, pulchramq; Ariadnen, non illudentes, sed reuera oribus admotis osculantes, omnes sursum elati, quasi pennis præditi uolarent, spectabant. Etenim audiebant Bacchum rogantem ipsam, an se amaret: ea autem sic iurante, non solum Bacchum, sed uniuersos qui adessent, iurare, puerum & puell-

& puellam inter se mutuò amare: similes enim uideban-
 tur non arte factis gestus, sed immixtis ad peragenda ea
 quæ iam dudum concupiſſent. Ad extremũ autem cum
 uidiſſent cõuiuæ eos mutuis complexibus implicatos, &
 iam ad cubile ituros, qui non duxerant uxores, se ductu-
 ros iurauerunt: qui autem duxiſſent, conſenſis equis ac
 incitatis, ad uxores ſuas, ut eis fruereſſent, feſtinarunt. So-
 crates autem ac alij qui cum Lycone & filio remanſe-
 rant, cum Callia deambulatum iuerunt. Atq; ad
 hunc modum conuiuium dimiſſum eſt.

XENOPHONTIS SYM-
 POSII FINIS.

Xenophontis

423

ATHENIENSIVM RESPVBLI-
ca, Sebastiano Castalione interp.



DE Atheniensium uerò republica, quòd
eam reipublice rationem sequuti sunt,
ideo non laudo, quòd dum eam sequun-
tur, illud effecerunt, ut improbi melio-
re essent conditione, quàm probi. Atq;
hæc quidem in re non laudo. Sed postquàm ita eis uisum
est, ostendam eos rectè & reipublicam tueri, & alia ad-
ministrare, in quibus reliquis Græcis peccare uideantur.
Principiò hoc dico, pauperes & plebem ibi meritò plus
posse, quàm nobiles & diuites, propterea quòd plebs est quæ
naues agit, et potentiã ciuitati cõciliat: tum gubernatores
& hortatores, & qui sunt præfecti quinquaginta, et pro-
retas, & nauium fabricatores: hi sunt qui potestatem ciuita-
ti pepererunt, multò magis quàm ciues, quàm nobiles, quàm sœnato-
res. Cùm igitur hæc ita habeant, uidetur æquū esse, ut om-
nes magistratus gerat, tum à sortitione, tum à suffragijs,
utq; cuiuis ciuiū liceat causam orare si uelit. Deinde qui
magistratus, siue clari, siue obscuro, ad salutem pertinent,
aut ad periculū totius populi, horū magistratuū admini-
strationem nihil moratur plebs: neq; rei militaris præfe-
cturam, neque equitatus sibi conuenire existimat. Intel-
ligit enim magis è re sua esse, si non ipsa his magistrati-
bus præsit, sed potentissimos præesse sinat. Qui autem
magistratus mercedem, & rei familiaris utilitatem af-
ferunt, his adipiscendis studet plebs. Præterea miran-
tur nonnulli eos ubiq; plus tribuere malis, & egentibus,

& plebeijs, quàm bonis: sed in hoc ipso apparebit eos po-
 puli potestatem conseruare. Nam pauperes, & plebeij, et
 deteriores, dum bene cum eis agitur, & multi accedunt,
 popularem potentiam augent. Quòd si bene rem gerant
 locupletes & boni, contrariam sibi partem corroborant
 plebeij. Est autem ubiq; terrarum optima quæq; pars po-
 pulari contraria potentia. Nam in optimis quibusq; mi-
 nima est incontinentia, & iniuria: plurimaq; probitatis
 diligentia. At in plebe plurima est imperitia, confusio &
 peruersitas. Nam & paupertas eos magis impellit ad tur-
 pia: & ignorantia inscitiaq;, propter rei indigentiam, in-
 est in nonnullis hominũ. Sed dicit quis, nõ debere eis per-
 mitteri, ut omnes, sine discrimine, causas orent, aut senten-
 tiam dicant, sed tantũ peritissimi, & optimi quiq;. Ipsi
 uerò etiam hoc in genere scitè faciunt, ut malos quoq; ora-
 re sinant. Nam si boni concionarentur, & sententias dice-
 rent, cum eorum similibus bene ageretur: at cum plebeijs
 non bene. Nunc autem cum surgat ad cõcionandum qui-
 uis nequissimus, excogitat quod bonum sit & sibi & sui
 similibus. Dicit quis: Quid tandem boni cogitet aut sibi,
 aut plebi, talis homo? At isti intelligunt huius imperitiam
 & nequitiam cum beneuolentia, magis è resua esse, quàm
 boni uiri uirtutè & sapientiam cum maleuolentia. Qua-
 re huiusmodi administrationibus efficitur non ut optima
sit ciuitas illa quidem, sed ut popularis potestas ita maxi-
me conseruetur. Populus enim non uult, bene constituta ci-
 uitate, seruire ipse, sed liber esse, & dominari. Prauam au-
 tem constitutionem parum curat. Nam quod tu putas nõ
 bene constitutum, in hoc ipso sita est plebis potentia & li-
 bertas. Quòd si bonam constitutionem quæris, primũ ui-
 debis

debis scientissimos quosq; eis leges ferre. Deinde punient boni malos, & consultabunt de ciuitate, neq; sinent insanientes homines consultare, neq; dicere, neq; concionari. Ab his igitur bonis q̄ primū populus sit in seruitutē delapsurus. Seruorū autē & peregrinorū maxima est Athenis licētia, neq; eos pulsare ibi fas est, neq; tibi decedet seruus. Cur autē ita soleat, ego disserā. Si mos esset seruū à libero pulsari, aut peregrinū, aut libertinū, sepe quis Atheniensem pulsaret, seruū esse ratus. Nam ueste nihil antecellit populus ille seruos, & peregrinos: & specie nihilo est præstatiore. Quòd si quis hoc quoq; miratur, eos permittere seruis apud se luxuriari, nonnullis etiā magnificè uiuere, hoc quoq; uidebuntur prudenter facere. Siquidem ubi naualis potestas pendet à censu, necesse est mancipijs seruire, ut eo quæstu habeant quòd dominis rependant, quò libertatem adipiscantur. At ubi diuites sunt serui, hinc non iam ex usu est ut meus te seruus metuat. In Lacedæmone quidem meus te seruus metueret: si uerò me tuus seruus metuat, periculum erit ne etiā suas facultates det, ne ueniat in periculum de seipso. Hanc igitur ob causam fecimus ut in uitæ cōmunitate eodem iure uterentur & serui cum liberis, & peregrini cum urbanis, quòd eget ciuitas peregrinis, tum propter artium multitudinem, tum propter rem naualem. Hanc ob rem ergo etiam peregrinis par in uitæ cōmunionē ius fecimus. Gymnasijs autem, & musicæ deditos populus sustulit: existimans hoc nō decens esse, intelligens his non posse operam dari. In cōmeatibus item, & gymnasiorum, tîremiumq; magistris, intelligunt diuites cōmeatum suggerere, pauperes autē accipere: diuites gymnasijs præesse, pauperes & in gymna-

sijs, & in triremibus parère. Censet igitur ut argentum accipiat populus, ut qui & cantet, & currat, & saltet, & nauiget in nauibus, ut & ipse abundet, & locupletes red dantur pauperiores. In iudicijs quoq; non magis æquitas rationem habent, quàm suæ utilitatis. De socijs autem quòd dum enauigant, calumniantur, ut uidentur, etiam bonos oderunt, intelligentes necesse esse, ut is qui dominatur, odio sit ei qui paret. Quòd si pollebunt diuites, & potentes in urbibus, futurum esse ut breui amittat potentatum populus Atheniensis. Itaq; hac de causa bonos à magistratibus repellunt, pecunia mulctant, expellunt, interficiunt: malos autem augent. Boni autem ex Atheniensibus bonos in socijs ciuitatibus conseruant: intelligentes è re sua esse optimos quosq; semper in ciuitatibus conseruare. Dicit fortasse quispiam, in eo positas uires esse Atheniensem, si socij possint pecuniã cõtribuere. At plebeijs uidetur melius esse, ut sociorũ pecunias unusquisq; Atheniensem habeat: illi autem quantum opus sit ad uictum, & opera, ne possint insidiari. Videtur autem populus Atheniensis in hoc quoq; imprudenter agere, quòd socios cogunt Athenas ad ius petendum nauigare. Sed opponunt ipsi quæ hinc bona populo Atheniensi proueniant. Primum quòd à Prytaneis mercedem per totum annum accipiunt. Deinde quòd domi sedentes, sine nauigatione socias ciuitates administrat, & populares seruant, & aduersarios opprimunt in iudicijs. Quòd si suæ quiq; domi iurisdictionem haberent, cum sint perosi Athenienses, eos ex suis euerterent, qui populo Atheniensi maxime essent amici. Accedit ad hæc, quòd populus Atheniensis hæc lucratur, dum ius Athenis petunt socij. Primum centesima urbi

urbi maior est in Piræo. Deinde si cui cœnaculū aut mancipium meritorium est. Præterea præcones melius rem gerunt, propter sociorum peregrinationes. Ad hæc nisi ad iurisdictionem uenirent socij, eos solos Atheniensium honorarent, qui ad ipsos nauigarent, Imperatores, triremium præfectos, legatos. Nunc cogitur sociorū unusquisque populum colere Atheniensem, intelligens sibi esse Athenas proficiscendum ad experiendum, & causam dicendam, non apud alios, quàm apud populum, qui sanè Athenis lex est. Itaque cogitur in iudicijs orare, & si quis intrat, manum prehensare. Propter hanc causam socij magis serui efficiuntur populi Atheniensis. Adde quòd propter possessiones, & principatus à suis finibus remotos, discunt obiter remigare tum ipsi, tum comites. Necessè est enim ut qui sæpe nauigat, remum prehendat & ipse, & famulus, discatque naualis instrumenti nomina: fiuntque boni gubernatores tum experientia nauigiorum, tum meditatione. Meditantur autem alij nauigium gubernando, alij nauem onerariam: nonnulli hinc ad triremes transeunt. Plerique protinus naues ingressi, remigant, quippe qui possint, utpote per omnem uitam præmeditati. Armorum autem (quæ minimè bene habere uidentur Athenis) hæc est ratio. Hostibus quidem & inferiores se esse, & superiores existimant. Sociorum autem tributariorum, & in terra præstantissimi sunt, & se putant armis dominari, si socijs sunt superiores. Præterea huiusmodi quiddam eis fortuna accidit. Qui in terra subditi sunt imperio, his licet ex paruis oppidis coire,

et collatis uiribus pugnare. At qui in mari parent, quotquot insulares sunt, his oppida eodem conferre non licet: interiacet enim mare, cuius imperium est penes eos, qui dominantur. Quod si liceret etiam latenter eodem conuenire insularibus in unam insulam, perirent fame. Quae autem oppida sunt in continenti Atheniensibus parentia, ea si magna sunt, propter metum parent: si paruula, propter utilitatem. Nullum est enim oppidum, cui non opus sit aliquid aut importari, aut exportari: quod non fiet, nisi pareat eis, qui maris potestatem habent. Deinde qui dominantur mari, his licet facere, quae terra dominantibus non licet: nonnunquam terram uastare potentiorum. Licet enim appellere ubi hostes uel nulli, uel pauci sunt: quod si hostes aduentent, licet conscensis nauibus soluere, atque hoc qui facit, minori in difficultate est, quam qui succurrit. Tum autem in mari imperantibus licet a suis finibus quamlibet longè nauigare, cum terra dominantibus non liceat suos fines itinere plurium dierum egredi. Nam et tarda itinera sunt, et comatus longioris temporis haberi nequit pedibus uadenti. Ac pedibus quidem iter facienti, aut per pacatum uadendum, aut pugnando uincendum est. At nauiganti licet, si quo fuerit superior, excensum facere: si inferior, eius terram deuitare, ac praeter nauigare, donec aut ad pacatam regionem, aut ad inferiores se perueniat. Frugum quoque morbos, qui coeli uitio conciliantur, qui terra plurimum possunt, egrè ferunt: qui uerò mari, faciliè. Non enim simul omnis terra laborat: itaque ex ea, quae copiose extulit, suppetit eis, qui mare tenent. Iam uerò (si leuiora memorare fas est) propter maris imperium primum epulandi modos inuenerunt, dum inter

ter se cōmiserunt, ut in Sicilia, aut in Italia, aut in Cypro, aut in Aegypto, aut in Lydia, aut in Ponto, aut in Peloponneso, aut alicubi alibi: hæc omnia in unū coacta sunt, propter maris imperium. Deinde cū uocem omnem audiant, aliud ex alia delegerunt. Ac Græci quidem propria magis & uoce, & consuetudine, & uestitu utuntur. Athenienses uerò temperata ex omnibus & Græcis, & Barbaris. Sacrificia autem, & festa, & fana, cū sciret populus fieri non posse, ut pauperum quisq; & sacrificaret, & epularetur, & sacra compararet, & urbem pulchrā magnamq; incoleret, excogitauit quo pacto hæc fierent. Sacrificantur igitur publice, nomine ciuitatis, hostiæ frequentes. Populus autem is est qui epulatur, & hostias sortitur. Et gymnasia quidem, & lauacra, & spoliaria, diuitibus nonnullis priuata sunt. At populus ædificat ipse sibi priuatim multas palæstras, spoliaria, lauacra, magisq; his fruitur plebs, quàm pauci, & beati. Iam diuitias soli possunt habere & Græcorū & Barbarorū. Nam si quod oppidum lignis abundat ad fabricādas naues idoneis, ad quam rem adhibebit, nisi maris dominatorem conciliauerit? Aut si quod ferro, ære, lino abundat oppidū, quam ad rem adhibebit, nisi maris dominatorem cōciliauerit? Atqui ex his ipsis mihi suppetunt naues, ab alio ligna, ab alio ferrum, ab alio æs, ab alio linum, ab alio cera. Neque uerò hæc aliò importari sinent, si qui nobis hostes sunt, cū maris usum non concedent. Et ego quidem nihil comparans ex terra, omnia hæc per mare habeo, quorum aliud oppidum nullum duo habet, neq; est eidem materiæ & lini copia: quin ubi lini plurimum est, ibi nuda est regio, & absque materia: neque æs, & ferrum ex eodem

oppido: neq; alia duo triaue, uni sunt oppido, sed aliud alij. Postremo apud omnem continentem aut littus est prominens, aut insula adiacens, aut aliqua angustia. Itaq; licet maris dominatoribus huc appellere, & eos, qui continentem incolunt, infestare. Sed unum eis deest. Nam si insulam habitantes, mare tenerent Athenienses, liceret eis damnum inferre, si uellent, neque tamen pati, quandiu mare tenerent, ita ut neq; ipsorum fines uastarentur, neque hostes admitterent. Nunc agri cultores & locupletes Athenienses, hostibus magis obnoxij sunt. At populus, quippe qui sciat illos nihil sui crematuros, neq; uastaturos, sine metu uiuit, neque illis obnoxius est. Præterea ab alio metu liberi essent, si insulam incolerent, uidelicet nunquam urbem à paucis proditū, neq; portas apertum iri, neque hostes inuasuros (quomodo enim insulam habitantibus hæc fierent?) nec rursus seditiones ulla fore in populo, si insulam colerent. Nam nunc quidem, si seditiones mouerent, hostium spe mouerent, ut eos per terram inducturi. Quòd si insulam colerent, ab his quoq; in tuto essent. Postquam igitur à primordio non contigit eos habitare in insula, nunc hæc faciunt: facultates suas in insulis deponunt, freti maris imperio: Atticam autem terram uastari patiuntur: scientes, si eam misererentur, maioribus se commodis priuatum iri. Item societates, & fœdera, necesse est ut paucorum imperio subditæ ciuitates præsent. Quòd si conuentis non steterint, fieri non potest ut non pauci illi qui pepigerunt, criminis autores esse uideantur. At quæ populus paciscitur, licet reliquis reiecta culpa in unum illum, qui dixit, & qui sciuit, negare: non enim adfuisse, aut comprobasse, quæ

se, qui quidem quæ sciscuntur, in pleno sciscitentur populo. Aut si hoc non uideatur, at mille inueniant occasiones non faciendi quod nolint. Et si quod malum euenit ex plebiscito, causatur populus paucos homines ipsi contrauenientes, negocium corrupisse. Sin aliquod bonum, sibi ipsi causam ascribit. Comoedijs autem traduci, & maledictis incesi populum quidem non sinunt, ne ipsi malè audiant, sed priuatim iubent, si quis aliquem uult: intelligentes non uulgarem, neque de multitudi-
ne esse eum, qui traducatur ut plurimum, sed aut diuitem, aut nobilem, aut potentem. Pauperum quidem, & popularium paucos sanè traduci, & ne eos quidem, nisi ob curiositatem, aut quia conentur aliquid supra plebem. Itaque ne hos quidem suggillari ægrè ferunt. Equidem hoc dico, populum Atheniensem cognoscere quinam ciuium boni, qui que mali sint: quod quum sciant, eos qui sibi commodi sunt, & utiles, diligunt, etiam si mali sint: bonos autem magis oderunt. Non enim existimant uirtutem illis ad suum bonum inditam esse, sed ad malum. Contrà autem, quidam, quum re ipsa natura de plebe sint, non sunt populares tamen. Ac populi quidem potentatum ipsi populo ignosco. Nam cum eo bene agi, omnino ferendum est. Sed qui, quum de plebe non sit, mauult tamen in ciuitate habitare, quæ plebis, quàm quæ paucorum arbitrio regatur, is ius uiolare statuit, & nouit facilius posse eum, qui malus sit, in ciuitate transigere, in qua populus imperet, quàm in qua pauci. Ac de Atheniensium quidem ciuitate institutum non probo. Sed postquam uisum est eis populi imperio

gubernari, rectè mihi uidentur populi imperium tueri, dum hac ratione utuntur, quam ego demonstraui. In hoc etiam uideo à quibusdam Athenienses reprehendi, quòd interdum nò licet ibi senatui, neq; populo, hominem expedire, qui illic per totum annum desideat. Et hoc Athenis fit nullam aliam ob rem, quàm quòd propter negotiorum multitudinem, non possunt omnes, confectis eorum causis, dimittere. Nam quo pacto possint, quibus primum plura sunt agenda festa, quàm ulli Græcarum ciuitatū, in quibus festis minus possunt negotia procurari ciuitatis? Deinde tot causæ, actiones, iudicia iudicāda, quot ne uniuersi quidem homines iudicant. Senatui autem statuenda sunt multa de bello, multa de pecunijs comparandis, multa de legum latione, multa de quotidianis negocijs, multa etiā de socijs: tum tributū accipiendū, & rei naualis, et sacrorum gerenda cura est. Quid ergo mirum est, si, cū tot sint negotia, nequeunt omnium hominum causas expedire? Sed dicunt nonnulli, si quis argentum habens, senatum adeat, aut populum, eius negocium confici. Ego uero his fatebor pecunia multa confici Athenis, atq; etiam plura confectum iri, si plures argentum darent. Hoc tamen exploratum habeo, omniū quibus opus sit negocijs absoluendis, ciuitatem non esse satis, ne quidem si quis eis quantumuis auri argentiq; det. Hæc quoq; dijudicanda sunt, si quis nauem nò conficit, aut aliquid respublica ædificat. Præterea choragis uacandum est in Bacchanalia, in Apollinaria, in Quinquatria, in Promethealia, in Vulcanalia quotannis, & triremium præfecti constituuntur in singulis annis quadringēti, & de his, si qui uelint, dijudicandū est quotannis. Ad hæc magistratus sunt probandi, &

di, & dijudicandi, & pupilli probandi, & uinctorum custodiae constituendi. De his quidem rebus quotannis stato tempore statuendum est exercitibus: tum si quod aliud repentinum crimen extiterit, aut si quis rarum aliquod facinus, aut impium quid commiserit: & adhuc permulta omitto, sed quod maximū est, dictum est, praeter ordinationes tributi, hoc autem ferè fit quinto quoque anno. Agè sanè, nonne existimandū est haec omnia esse dijudicanda? nisi si quis neget ibi debere dijudicari. Nam si quidem conuenit oportere omnia dijudicare, necesse est id in anno fieri. Atqui ne nunc quidem, cum per annum iudicent, sufficientiunt maleficis coercendis, praeter multitudinem hominum. Esto sanè: sed dicet aliquis iudicare quidem oportere, sed pauciores iudicare. Igitur si pauca fiant iudicia, pauci in singulis iudicijs sint necesse est. Itaque & aliquid moliri facile erit ad paucos iudices, & subscribere, & multò minus iuste iudicare. Praeterea existimandum est, festos quoque dies agendos esse Atheniensibus, in quibus iudicia exercere nefas. Et quidem festa agunt dupla, quam alij. Sed ego pono paria ciuitati, quae paucissima agit. Cum haec igitur ita se habeant, nego fieri posse ut aliter seres habeant Athenis, quam quomodo nunc habent, nisi si potest paulatim aliud adimere, aliud addi: multum quidem rectè immutari non potest, ut non de populi potentatu aliquid detrahatur. Nam ut melius habeat respublica, possunt multa excogitari. Sed ut manente populi imperio, melius respublica administretur, non facile ratio inueniri potest, nisi quam modò dixi, paulatim addendo, aut detrahendo. Videntur autem Athenienses hoc quoque non rectè instituire, quòd deteriores eligunt in ciuitatibus seditione

motis. Sed ne hoc quidem ab re faciunt. Si enim eligerent meliores, eligerent non eos qui eadem secum sentirent: nam in nulla ciuitate pars optima beneuola est erga plebem, sed pessima quæq; pars in quaque ciuitate, optimè uult plebi. Similes enim similibus bene uolunt. Hanc igitur ob rem Athenienses sibi conuenientia deligunt. Quoties autem conati sunt eligere optimos, non profuit eis, quin intra breue tempus populus seruiuit: modò Bœotis: modò, cùm Milesiorum elegerunt optimos, intra breue tempus per defectionem populum conciderūt: modò cùm elegerūt Lacedæmonios aduersum Messenijs, intra breue tempus Lacedæmonij, euersis Messenijs, bellum Atheniensibus intulerunt. Arbitretur autem fortassis aliquis nullum immeritò à iure gerendi magistratus per infamiã repulsum Athenis. Ego uerò dico quosdam esse, qui iniuria repulsi sint, sed eos paucos. Atqui nō paucis opus est, qui Athenarum populare imperium inuadant, quandoquidem sic se res habet, nihil moliri homines, qui meritò infamia notantur, sed si qui immeritò: at quis putet multos immeritò infamia notatos Athenis, cum populus sit qui magistratus moderatur: & ex eo quòd non iustè imperent, neq; iusta dicant, aut faciant, ex his inquam causis Athenis sint infames? His considerandis non debet iudicari aliquid esse mali ab eis, qui sunt Athenis infamia notati.

XENOPHONTIS ATHENIENSIVM
REIPUBLICAE FINIS.

XENO

Xenophontis po 439

RI, SEV DE VECTIGALIBVS,

IO. RIBITTO INTERP.



Go semper illud uerum esse putauī, quales
essent gubernatores, tales respublicas exi-
stere solere. Quoniā autem ex ijs qui prae-
sunt reipub. Atheniensiu, nōnulli esse dice-
rentur qui ius nossent, ita ut in ea re nullis postponēdi ui-
derentur, sed propter multitudinis paupertatē se in ciui-
tates iniuriosos esse cogi dicerent, ex eo deliberare cœpi,
an ciues aliqua ratione ex sua regione (id quod iustissimū
esset) ali possent: existimans si id fieret, foret ut eorū pau-
pertati cōsultum esset, & reliquis Græcis in suspicionem
non uenirent. Mihi igitur consideranti quæ in mentem
uenerant, statim uisa est ipsa regio talis esse, quæ pluri-
mos fructus suppeditare, ac maximum ærarium habe-
re possit. Atq; ut omnes intelligant hoc primū à me ue-
rè dici, ipsius Atticæ naturam explicabo. Hic igitur
anni tempora temperatissima esse, uel ea ipsa quæ gi-
gnuntur in hac terra, testimonio sunt, quum præsertim
quæ multis in locis ne germinare quidem possunt, hinc
fructificent optimè. Ac ut ipsa terra, sic mare uicinum
omnium rerum feracissimum est. Iam quæ dijs suis tem-
poribus bona largiuntur, ea omnia & tempestiuissimè
nascuntur, & tardissimè deficiunt. Nec uerò solūm
ea quæ in annum & florent & senescunt, uerum etiam
bona habet æterna. In ea enim nascitur lapis copiosis-
simè, è quo templa aræq; pulcherrimæ fiunt, & dijs ma-
ximè digna simulachra: quod genus lapidis tum Græ-

Attica tempera
tissima.

ci, tum Barbari expetunt. Est etiam terra, quæ si seratur, nullū edit fructū: si fodiat, multo plures alit, q̄ si triticum ferret. Nec dubiū est, quin diuano quodam fato subar gentosa sit: nam cum multa sint terra mariq; oppida uici na, in nullum tamen horū ne exigua quidem argēti uena peruenit: ut nō sine ratiōe credi possit, in Græciæ orbis q; Athenæ in me-
 dio orbis sitæ. totius medio hanc urbem ædificatā esse. Quò enim quiq; ab ea lōgius absunt, hoc in molestioribus uel frigorib. uel caloribus uersantur: omnesq; qui ab ultima Græcia in ul timas orbis partes cōmeare statuerint, hi Athenas tanquā circuli tornum uel præternauigāt, uel præter gradiūtur. quæ etsi aquis circūfusa non est, tamē quibuslibet uentis quæ requirit, importat, eaq; quæ uult exportat, cū inter duo maria posita sit: cūq; continens sit, in ipsa ora multos capit mercatus. Iam uerò plurimæ sunt ciuitates, quæ à uicinis Barbaris, molestijs afficiūtur: at Athenienses eas habent uicinas, quæ & ipsæ plurimū absunt à Barbaris: atq; horū quidem omniū, ut dixi, terram hanc procreatri cem esse puto. Quòd si præter illa bona quæ ex se ipsa gi gnit, inquilinorū cura geratur in primis, hoc de pulcher rimis uectigalibus mihi unū esse uidetur. Nam cum præsi dia uitæ necessaria præbeāt, multisq; partibus reip. pro sint, tantū abest ut præmiū ullum accipiant, ut contrā sti pendii etiā suo nomine pensitent. Ac cura quidem, quæ mihi satis magna esse uidetur, hæc est, si quæ remp. nihil iuuant, & ignominia incolis inurere uidentur, detraxeri mus, ac hoc eos leuauerimus onere, ne armati cū ciuibus militare cogantur. Magnū est enim periculū, absens: ma gnum etiā est, ab artibus & ædibus discedere. Quinetiam utile erit ciuitati, si ciues cum ciuibus coniuncti militent,
 magis

magis quàm si cum illis instruantur, quemadmodum hoc tempore Lydi, Phryges, Syri, & alij cuiuscunq; generis populi barbari: magna enim ex parte ex incolis cōstant: ac præter utilitatem quæ ex eo quòd ordinari desierint cum illis consequetur, ciuitati etiam ornamento erit, si in prælijs Athenienses magis sibi quàm alienigenis fidem habere uidebuntur. Et incolis cum alia, tum equitatum, sicut æquitas postulat, impertiēdo, & beneuolētiores illos habituri uidemur, & ciuitatem potentiorē, maioremq; efficiemus. Deinde quoniam multa sunt intra muros urbis domicilia deserta, uacuaq; areæ, si ciuitas concedat eos qui ædificauerint possidere, si modò digni uidebuntur qui id petierint, hisce rebus spero multò plures & probiores incolendi causa Athenas uēturos. Quòd si magistratum creauerimus, qui sit & dicatur incolarum custos, quemadmodum à principio fuerunt pupillorum custodes, ijq; aliquo afficiantur præmio qui quamplurimos in urbē incolas adduxerint, id & beneuolentiores reddet incolas, & ut par est, omnes qui ciuitate carebunt, Athenas expetent incolendi causa, atq; ita uectigalia maiora & auctiora reddent. Iam qua ratione mercaturam ciuitas factitare & iucūdiſsimè et quæstuosissimè possit, deinceps exponā. Primū enim naues ornatissimas, et stationes tutissimas habet: ubi quidem in portū appulsis, licet per tēpestates iucundè cōquiescere & refici. Cum uerò plura sint urbes, in quib. mercatores uicissim onus accipere & exportare cogātur, quòd nūmis inutilibus extra suam ditionē ciuitas illa utatur: at Athenis plurima quidē quibus homines indigēt, exportare licet uicissim: sed si nolint mercibus illorū suas naues uicissim onerare, sed argentū

acceperint, quæstuosissimã mercaturã fecerint: ubicunq;
 enim illud uendiderint, omnino amplius sorte recipient.
 Quòd si mercatus præfectis, qui summa æquitate & cõsi-
 lij celeritate res ambiguas distinguãt, præmium aliquod
 proponeretur, nec quisquam inuitus quò uellet nauigare
 prohiberetur, fieret hoc pacto ut & plures & libentius
 mercaturã factitent. Vtile & honestum est ut mercato-
 res & nauicularij honoribus afficiantur. Nonnunquam
 etiam ad hospitium inuitandi sunt, qui magnis & copio-
 sis nauibus & mercibus ciuitatem iuuare uideantur: tali-
 bus enim honoribus affecti, non solum lucri, uerum etiam
 honoris causa ad amicos festinabunt. Quantò autem plu-
 res ad habitandũ uenerint, tantò plura & importabun-
 tur & exportabũtur, emittẽtur & uẽdentur et plus mer-
 cedis ac stipendij auferetur. Atq; ut hæc augeantur uecti-
 galia, nullis omnino opus erit impensis, sed decretis hu-
 manitatis & curæ plenis. Alia quidem uectigalia quæ-
 cunq; cõparari possunt, sumptus requirere arbitror. Nec
 dubito tamen, quin ciues sint ad hæc alacriter contributi-
 ri: memoria repetens, quã multa nostra ciuitas, cum au-
 xiliũ ferret Arcadibus, imperatore Lysistrato, cõtulerit:
 quã multa item duce Agesilao. Nec ignoro multas sæpe
 triremes sumptuosissimas emissas esse, easq; ædificatas,
 cum adhuc esset incertũ, utrum plus utilitatis an calami-
 tatis ea res esset allatura. Illud uerò satis perspicuũ esset,
 ea nunquã se recuperaturos, ac ne participes quidem eo-
 rum futuros, quæ ipsi cõtribuisent. Possessionem autem
 nulla alia re tam honestam comparare licet, quã si ad
 reipublicæ tempora & opportunitates cõtribuatur. Qui
 enim decem minarum tributum pependerit, quale est
 nauticum,

*nauticum, ei exigenti triobolum propè in die reficitur. Qui autem quinq; minarũ, plusquàm sesquiteritiũ. Plurimi autem Atheniensũ plus in singulos annos recipiunt, quàm cõtulerint. Qui enim minam representarint, duas propè minas uectigalis nomine recepturi sunt, & id quidem in urbe, quod uidetur in rebus humanis & tutissimũ & diuturnissimũ esse. Equidem existimo si in beneficorũ numerũ ac benemeritorũ in omne tempus perscriberentur peregrini, multos etiã ex illis collaturos esse. Sunt & ciuitates, quæ hoc beneficiũ appetituræ sunt, cum in hunc ordinem ascribi cupiant. Spero & nonnullos etiam Reges, & Tyrannos, & Satrapas fore, qui hoc beneficium cupidè appetituri sint. Cùm uerò sumptus suppeterent, honestum & utile foret nauicularijs in portibus ad merces exponendas & copias, naualia ædificare. Vtile etiã erit, mercatoribus in locis uenditioni & emptioni opportunis, diuersoria & tabernæ esse publicas, & omnibus illic commeantibus. Quòd si mercatum frequentantibus domus & tabernæ in quibus merces exponant uenales ædificarentur, tum in Piræo, tum in ipsa urbe, hæc simul & essent ciuitati ornamento, & multum uectigalia auge-
 rent. Illud quoq; mihi uidetur esse commodum, ut tentemus, an ut ciuitas triremes publicas comparauit, sic etiã naues onerarias comparare possit, easq; prædibus acceptis, quemadmodum in cæteris publicis, locare. Si enim id etiam fieri posse uideatur, multum ex hac re uectigalis accedet. Iam ex argentifodinis, si, ut res postulat, instituantur, permultũ pecuniæ, etiamsi nulla alia essent uectigalia, in ærarium inuectum iri arbitror. Sed ijs qui illarum commoditates ignorant explanare decreui: hac enim fa-*

cultate cognita, facilius qua ratione illis ipsis utendū sit, cōsulendo uidere possitis. Iamdiu igitur fuisse in illis operarios, nemini ignotū est, cū presertim nemo sit, qui quo tempore cœptæ sint, se scire profiteri audeat. Cū autem sic olim fossa sit & egesta materia argenti, considerate nec aliquā partem eiecti acerui spontē nascentiū glebarū & argentosarū, nec ipsum argentosum locum quicquam diminutū & contractū esse, sed magis ac magis protendi ac dilatari uidetur. Quo aut tempore plurimi homines uersati sunt, nullus unquam opus sibi deesse dixit, sed semper opera ipsa operariōrū numerū uincebant. Et nunc quoq; qui ad metalla habent sua mancipia, nullus eorū multitudine fatigatur, sed semper q̄ potest plurima cōparat mancipia. Etenim cū pauci fodiunt & quærūt, paucæ etiā, ut opinor, pecuniæ repeririūtur: cū autem multi, multiplex argenti spuma, quæ ἀργυρίτις dicitur, existit. Itaq; in hoc solo opere, quod quidem sciam, magnificè apparatus inuidet nemo. Iam uerò agrorum domini, quot iuga satis sint agro colendo, & quot opus sit operarijs, possunt dicere: ac si quis plures q̄ par sit immiserit, in damno ponunt. At in argētarijs operibus operarijs opus esse fatentur omnes: etenim nō ut cū multi sunt ærarij fabri, quos χαλκοτύπης Græci uocant, iam perfectis æreis operibus cessant, itemq; ferrarij: & cū abundanter frumentū aut uinum prouenerit, cū satis multi sint fructus, inutilis existit agricultura, adeo ut multi relictis agris, ad mercaturā & cauponariam & fœnora se cōuertant. At argyritis quanto copiosior exiterit, & argenti plus cusum fuerit, tanto plures ad illud opus se conferre solent. Etenim supellectili familiæ necessaria comparata, non multum ultra
coēmi

eodēmi solet: at argenti nemo adhuc tam multum habuit,
 ut nihil amplius requireret: sed si qui permultum habue-
 rint, id quod redundat defodiunt, quo nō minus delectan-
 tur, quam si eo uterentur. Quinetiam ciuitates cūm secun-
 da utuntur fortuna, tum ciuibus maximē argento opus
 est: uiri enim in arma splendida, & generosos equos, in
 ædes & substructiones magnificas pecuniam profun-
 dunt: mulieres uerò ad cultum preciosum, & mundum
 aureum conuertuntur. Rursus cūm ciuitates caritate an-
 nonæ laborant, aut bello ingruente, quia terra nullo cultu
 adhibito ignaua sit, tum ad necessaria comparanda, tum
 ad auxiliares retinendos, multò magis nummis opus est.
 Quòd si quis dixerit, & aurū nihilo minus utile esse q̄ ar-
 gentum, huic non magnopere repugnabo: illud tamen
 scio, cūm aurum copiosum esse uel mediocriter uisum fue-
 rit, ipsum illud uilius effici solere, argentū uerò reddere
 preciosius. Atque hæc idcirco à me explicata sunt, ut si-
 denter quamplurimos homines in argentaria opera mit-
 tamus, atq; illic substruamus non dubitanter, cūm neque
 argentifodina ipsa defectura sit, neque futurum sit ut ar-
 gentum ullo unquam tempore uilescat, ac nullo in pre-
 cio habeatur. Videtur autem mihi & ciuitas ipsa prior
 me hæc decreuisse: concedit enim idem ius quod ciuibus,
 peregrinis, qui in metallis opus facere uoluerint. Ut au-
 tem etiam apertius de cibarijs dicam, nūc exponam qua
 ratione institutæ argentifodinæ ciuitati possint esse uti-
 lissimæ: nec ex ijs quæ dicturus sum ullam quæro mei ad-
 mirationem, quasi aliquid inuenerim difficile inuentu:
 nam ea quæ dicturus sum, partim etiam nunc omnes uide-
 mus, partim uerò præterita, ut est rerum omnium condi-

tio, audire possumus. Illud tamen dignū admiratione est, quòd ciuitas cum uideat & sentiat multos priuatos ex ea esse locupletatos, tales non imitetur: iam pridem enim de his, quibus ea res curæ fuit, audiuimus, Niciam Nicerati filium in argentifodinis mille homines habuisse, quos Sosia Thraci locarit, qui obolum immunem pro singulis in die persolueret: numerum autem semper equaliter exhibebat. Fuerunt & Hipponico sexcenta mancipia eodem isto modo dedita, quæ in die minam afferebant immunem, & Philomonidi trecentas semininas, & alijs ut cuique facultates suppetebant. Sed quid necesse est uetera commemorare, cum & hoc tempore multi sint homines in argentarijs ista ratione addicti? Perfectis autem ijs, quæ à me dicuntur, illud tantum noui fiat, si ut priuati comparatis mancipijs uectigalia sibi instituere perpetua, sic ciuitas publica coëmat mancipia, donec unusquisque Atheniensium terna possidere uideatur. An hæc autem quæ à me dicuntur fieri possint, secum quisque reputans iudicabit. An non planè perspicuum est rempublicam facilius posse, quàm priuatos, precium hominum statuere? Senatui quidem certè facilè est, ut uoce præconis proclamari iubeat, ut qui uolet, sua proferat mancipia, atque ita quæ oblata fuerint, precio comparare. Posteaquàm autem habuerit, quid est cur quis coëmpta minus uelit à publico conducere, quàm à priuato, cum iisdem conditionibus obtenturus sit? conducunt enim de republica lucos, templa, domos, ac ab eadem uectigalia redimunt. Atque ut empta tueri, seruareq; possitis, Republicæ licet prædes à conductoribus accipere, quemadmodum & à uendentibus corpora. Imò uerò publica-

no facilius est fraudare, quàm ei qui mancipia conduxerit: pecuniam enim potest quis aliquo modo publicam furari & auertere, cum priuatam aliquam similem publicæ habeat. Quàm autem fieri potest, ut quis mancipia nota publica notata, cum multa & ei qui emerit, & ei qui eduxerit, constituta sit, furetur? Atque hætenus de eo, an ciuitas & comparare homines, & tueri posse uideatur. Si quis rursus cogitet, existentibus multis operarijs, exituros etiam multos qui mancipia locare uelint: illud animaduertat & confidat fore, ut multi ex ijs qui opus faciendum locant, publicos homines conducant, præsertim cum multæ sint opum facultates: multi item ex ijs qui in opere uersantur, senescant: multi præterea & alij tum Athenienses tum peregrini, qui corpore quidem opus facere neque uelint neque possint, sed cum consilio res suas gerant & curent, libenter necessaria suppeditabunt. Itaque si primum constituantur mille & ducenta mancipia, iam conijci potest, intra quinque annos aut sex, ex ipso hoc uectigali non minus sex millibus rempublicam habituram. Iam ex hoc numero si obolum unusquisque in die immunem afferat, sexaginta talentorum uectigal in anno ciuitas auferet. Ex ijs autem si uiginti in alia mancipia impendantur, reliqua quadraginta, ut res postulabit, in alium aliquem usum licebit transferre. Cumque decem millia confecta erunt, iam centum talentorum existet uectigal. Testes mihi esse possunt, si qui sunt adhuc, qui quantum uectigal seruorum ante res apud Deceliam gestas inuentum sit, meminerint. Illud quoque testimonio est, quòd cum innumerabiles omni tempore in argentifodinis ope-

ra fecerint, nihil tamen ab illis hoc tempore differant,
 quas maiores nostri descripserunt. Et ea quidem quæ
 nunc fiunt omnia testantur, nunquam plura manci-
 pia illic esse posse, quàm ipsa requirant opera, quum
 præsertim neque profunditatis fundum, neque cunicu-
 los ullos fossores inueniant. Atqui hoc tempore nihi-
 lo minus novos cuniculos facere licet quàm antè: neque
 tamen quisquam certò possit dicere, quasi id antea uide-
 rit, utrum in cæsis partibus, an in non cæsis, argenti
 materia, quæ ægyptiis dicitur, copiosior sit. Cur ita tan-
 dem dicat aliquis: an non nunc etiam, sicut antea, multi
 cædunt, quoniam pauperiores sunt, qui in metallis uer-
 santur, quum recens opus faciendum iterum locarint,
 & magnum est novos cuniculos ducenti periculum?
 Nam qui inuenerit materiam operi commodam, copio-
 sus & diues efficitur: qui autem minus inuenerit, ea o-
 mnia quæ impenderit, perdit. Itaque in istud pericu-
 li huius ætatis homines non ita multum cupiunt uenire.
 Mihi tamen uideor, quod dem consilium, habere super
 hoc quoque negocio, quomodo novos cuniculos instituen-
 di ratio tutissima esse possit. Athenis enim decem sunt tri-
 bus, quarum cuique si ciuitas parem mancipiorum nu-
 merum daret, ipse autem coniunctis fortunis novos cuni-
 culos instituerent, hoc pacto, si aliqua inueniret, omni-
 bus indicaret utilitatem: sin due, aut treis, aut qua-
 tuor, aut etiam pars tribuum diuidia inueniret, profectò
 ex illis operibus maiores caperentur utilitates: nam u-
 niuersas falli nulla rerum præteritarum coniectura ue-
 rissimile uideri possit. Possent etiam & priuati eadem ra-
 tione coniuncti & consociati, tutius periculum adire.

Neque

Neq; uerò metuendum est, ne respub. ita constituta in priuatorum currat offensionem, aut contrà priuati in reipub. sed ut armorum ac belli socij, quò plures coniuncti fuerint, hoc se mutuò firmiores & potentiores reddunt: sic in argentifodinis quantò plures erunt qui faciant opera, tantò plus bonorū & reperient & reportabunt. Explicauit igitur, qua ratione constituta repub. Atheniensibus omnibus de publico necessaria ad uictum suppeditari posse arbitrer. Quòd si qui sunt, qui existiment ad hæc conficienda permultos sumptus esse necessarios, nec unquam satis magnam pecuniam conferri posse, ne sic quidem animum despondere debent. Non enim res ita habet, ut aut simul omnia fieri, aut ex ipsis nullam utilitatē capi necesse sit, sed simul ut quæq; primū ædificata fuerint uel ædes, uel naues, uel empta mancipia, ea ipsa utilitatem præbent. Quinetiam uilius erit hæc uicissim, quàm simul omnia fieri. Nam si simul multi ædificarent, sumptuosius & ornatius quàm si diuisi faciendum suscepissent, absoluerent. Mancipiorū autem permagnū quærentes numerum, & deteriora & charius emere cogemur. Sin uerò pro ratione facultatum operabimur, quæ erunt rectè instituta ea deinceps persequi licebit. Sin autē quid peccatum fuerit, ab eo abstineamus. Iam uerò si omnia simul fierent, omnia simul à nobis suppeditari opus esset. At si alia perficiantur, alia pendeant & differantur, superius iam confectum uectigal, quæ erunt necessaria suppeditabit. Illud fortasse uideri possit ualde metuendum, ne si ciuitas nimium multa compararit mancipia, nimium multis opera ipsa compleantur: sed hoc metu liberati erimus, si non plures quàm ipsa requirunt opera,

in singulos annos mittemus. Ita mihi quidem uidetur his in rebus eam sequi rationē optimū esse, quæ est facillima. Quod si rursus propter tributa hoc bello exacta existimatis ne tantulū quidem contribui posse: uos uerò quantum pecuniæ ante pacem pensitabatur ex uestigalibus, tantū in gubernatione reip. impendite in proximū annū. Quas uerò supra illam summā acquirētis, tum quia pax tum quia incolæ & mercatores colentur, & multis comitantibus plurima & importabūtur & exportabūtur, & ad portū mercatus erunt frequentiores, hæc recipientes ut quammaxima sint uestigalia efficere debetis. At si quis est, qui uereatur, ne si bellum ingruat, hoc sit inane institutum: is cogitare debebit, rebus nostris ita constitutis, bellum fore formidolosius hostibus ipsis qui inferent, quam nostræ ciuitati. Quid enim ad belli usum hominum multitudine utilius? multas enim naues implere publicas, multi terrestri prælio infestare poterunt hostes, si quis eos obsequio retinere uelit. Equidem existimo belli etiam tempore fieri posse, ut metallariorum opera non intermittantur, præsertim cum ad mare quod meridiem uersus extenditur, una sit munitio, qui locus Anaphastus dicitur, altera uerò in loco qui Thoricos uocatur ad mare Aquilonare: quæ loca alter ab altero stadia circiter sexaginta distant. Si igitur inter hæc duo tertium aliquod propugnaculum in editissimo montis loco excitetur, in unum locum ex uniuersis munitioibus ad opera faciendalicebit uenire: ac si quid tumultus bellici senserint, citò in munitum & tutum secedere & confugere licebit. Sin plurimi hostes uenerint, si frumentū, aut uinum, aut pecudes inuenerint extra munitioes, ea nimirū secū auferent.

ferent. At si argētarijs metallis potiti fuerint, quid aliud habituri sunt quo utantur, nisi saxa? Sed quo tandem modo in metalla hostes irruptionē facere possint? abest enim à metallis proximè urbs Megara paulò, amplius quinquaginta stadijs: absunt etiā proximè Thebæ multò amplius sexaginta. Itaque si illinc alicunde ad argentaria metalla uenerint, ut ipsam urbem prætereant necesse est. Quòd si pauci fuerint, ab equitibus & circumstantibus peditibus concidentur. Ut uerò desertis suis, cum magnis copijs è suis finibus exeant, non facile est, propterea quòd Athenæ ipsæ propiores essent oppidis istorum, quàm ipsi illi, quandiu quidem in metallis hærerent. Quòd si uenirent, qui possent illic durare, commeatu & cibarijs carentes? Frumentari autem periculum habet, si quidem pars id faciat, tum de ijs qui inuadunt, tum de ijs de quibus certamen suscipiunt: sin uniuersi semper uadant, magis obsideri possint quàm obsidere. Nec uerò solùm quod ex mancipijs exigitur tributum annonam augebit, uerum etiam ea hominum multitudo quæ in metallis uersatur, & mercatus qui illic institutus fuerit, ædificia publica argentariorum, causa metallorum facta, fornaces item & cætera omnia, auctiora reddent uectigalia: erit enim hæc ciuitas admodum celebris, si isto pacto fuerit instituta: nec loca ibi minoris erunt dominis suis, quàm ea quæ sunt ad urbem. Itaque si quæ dixi facta fuerint, non solùm pecuniæ abundantiosem, uerum etiam & parentiosem legum, & moderatiosem, & bellicosiosem ciuitatem nostram fore confirmo: si quidem præfeti gymnasiolorum maiorem adhibebunt diligentiam & curam, si stipendium acceperint maius, quàm qui in gymnasijs ad lampades præsunt:

similiterq; praesidiarij & lancearij, quibus incumbit obire regionem, haec omnia, si in suo quisque officio dimensum acceperit, accuratius diligentiusq; curabunt. Quod si perspicuum est fore ut summa pace fruamur, si cuncta uectigalia è repub. constituentur, an non æquum est, ut pacis custodes creentur? cum praesertim talis magistratus ciuitatem multò gratiorem & frequentiore, ut omnes in eam undique cõfluere uelint, effecturus esse uideatur. Si qui autem sunt qui nostram ciuitatem, si pace fruatur, imbecilliore, ignobilioreq; in Graecia, atque minus celebrem fore arbitrentur, ij, mea quidem sententia, non ritè perpendunt. Hæ enim dicuntur beatissimæ respublicæ, quæ plurimo tempore in pace uixerunt. Athenæ autem omnium ciuitatum maximè uidentur in pace augeri posse: quis est enim omnium qui hanc urbem, si quietata fuerit, non desideret? Atque ut à nauicularijs & mercatoribus ordiamur, an nõ frumento, uino, oleo, pecudibus abundantes, item qui consilio & re, sua possunt augere? Iam uerò opifices, Sophistæ, Philosophi, Poëtæ, quiq; istorum opera tractant, itemq; sacrorum publicorumq; spectatu & auditu dignorum cupidi, præterea si qui multa citò uendere aut emere uelint, ubi facilius quod cupiunt assequuntur, quàm Athenis? Quod si contra hæc nihil dicitur, sed nonnulli principatum ciuitati recuperare dum cupiunt, bello magis quàm pace id effici posse arbitrantur, recordari debent primum Medicum bellum, utrum tandem uiolentia, an nostra erga Græcos beneficentia maris principatum, & Græciæ quaestur an adepti sumus. Iam uerò cum crudeliter nimium uideretur ciuitas imperare, imperioq; esset priuata, nõne tum quoque

cum

cum ab iniurijs abstinuimus, ultrò ab insularis classi maritimæ iterum præpositi sumus? Quid? an non & Thebani beneficijs nostris prouocati, imperium suum Atheniensibus concesserunt? Præterea Lacedæmonij nõ uiolati à nobis, sed beneficijs affecti, Atheniensibus quod uellent de imperio ut constituerent, permiserunt. Nunc uerò propter Græciæ perturbationem illud ciuitati nostræ accidisse uidetur, ut nullo negotio, sine periculo, sine sumptibus, Græcos sibi conciliare possit. Ciuitates enim quæ inter se bella gerunt, nisi licet ut reconciliemus: licet etiam, si qui in illis seditionibus dissideant, consociare, & in gratiam ut redeant efficere. Si conspicuum erit uos procurasse ut Delphi suis legibus, sicut antea, utantur, idq; efficiatis non bellando, sed per Græcas ciuitates legationes dimittendo, nihil erit mirum, si omnes Græcos concordēs, coniuratos, sociosq; recipietis, aduersus illos qui Delphicum templum à Phocensibus desertum occupare conabantur. Itemq; si intelligent uos dare operam ut terra mariq; omnia pacificentur, equidem existimo cunctos uotis expetituros, Athenas secundū suā patriā maximè saluas esse. Quòd si rursus quisquā est qui existimet, bellum quàm pacem utilius esse ad rem, pecuniamq; augendam, non uideo qua ratione hæc melius iudicari possint, quàm si quis res antè gestas consideret, earumq; euentus qui fuerint nostræ ciuitati, secū reputet: reperiet enim quondam in pace permultum pecuniæ in ærarium inuectum, quæ omnis pecunia bello consumpta est. Intelligi poterit, si considerare uelimus, & hoc quoq; tempore, bello multa uectigalia defecisse, & ea quæ superessent, in res admodum uarias exhausta esse: at iam pacato mari ea-

dem & aucta esse, & ijs uti licere ciuibus suo arbitratu. Quod si quis me roget, an etiam si quis in ciuitatem iniuriosus fuerit, censeam cum eo pacem conciliandam? equidem illud nolim: sed hoc affirmo, nos hostes facilius ulcisci posse, si nostra ciuitas iniuriosum habuerit neminem: illi enim nullos habebunt armorum belliq; socios. Atqui si nihil est eorū quæ à me dicta sunt, quod non fieri possit, & quidem facile, quibusq; factis gratiores futuri sumus Græcis, urbem tutius incolemus, celebrius erit nomen nostrum, populus omnibus rebus ad uictum necessarijs abundabit, locupletes impensis bellicis liberabuntur, cumq; futura sit maior omnium rerū copia, magnificentius etiam quàm nunc festos dies celebrabimus, & templa instaurabimus, itemq; muros & naualia reficiemus: sacerdotibus autem, magistratibus & equitibus quæ præberi solebant more institutoq; patrio, restituemus, quid est quamobrem quamprimùm hæc non aggrediamur, ut etiam nobis uiuentibus rempub. tutam & beatam uideamus? Quod si à uobis hæc decreta fuerint, illud consiliando, ut Dodonam Delphosq; legati mittantur, qui à dijs oracula petant, sit ne hæc reipublicæ cōstitutio & nunc & in reliquum tempus huic ciuitati fāusta & felix futura. Si annuerint, censebo interrogandos quibus dijs conciliatis accitis, hæc pulcherrima & optima efficere possimus. Quoscunq; autem designarint deos, primū ijs ut litemus æquum est, deinde ut rem ipsam aggrediamur. Quæ enim dei uoluntate suscipiuntur, ea par est meliores felicioresq; euentus habere.

XENOPHONTIS PORO-
RYM FINIS.